VLRICHI HVTTENI

EQVITIS GERMANI

OPERA

QVÆ REPERIRI POTVERVNT OMNIA.

EDIDIT

EDVARDVS BÖCKING.

VOLVMEN III.

LIPSIÆ
IN ÆDIBVS TEVBNERIANIS.
A. CIƆIƆCCCLXII.

Ulrichs von Hutten
Schriften

herausgegeben

von

Eduard Böcking.

Dritter Band.

Poetische Schriften.

Leipzig.
Druck und Verlag von B. G. Teubner.
1862.

VLRICHI HVTTENI

EQVITIS

POEMATA

CVM COROLLARIIS.

COLLEGIT RECENSVIT ADNOTAVIT

EDVARDVS BÖCKING

IVR. VTRIVSQ. ET PHILOS. D. AA. LL. M. IN VNIV. LITT. BONN. IVR. PROF. PVBL. ORD.
BORVSS. REGI AB INTIMIS DE IVRE CONSILIIS.

LIPSIÆ

IN ÆDIBVS TEVBNERIANIS.

A. CIƆIƆCCCLXII.

Iustum et tenacem propositi virum
non civium ardor prava iubentium,
non voltus instantis tyranni
mente quatit solida, — — — —
— — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — —
si fractus inlabatur orbis,
inpavidum ferient ruinæ.

Ulrichs von Hutten

Poetische Schriften

mit erläuternden Zugaben

herausgegeben

und mit Anmerkungen versehen

von

Eduard Böcking

der Rechte und der Philosophie Doctor, öff. ord. Professor der Rechte zu Bonn,
geheimem Justizrathe.

Leipzig.

Druck und Verlag von B. G. Teubner.

1862.

HVTTENI POEMATVM

PARS PRIMA.

PARS SECVNDA.

EXHORTATORIA . EPIGRAMMATA . HEROICA.

PARS TERTIA.

PARS QVARTA.

ADDENDA.

ACCESSIO SVBITARIA.

Supremam huic volumini edendo manum adhibuisse putaveram, cum ecce insperatus, quamvis exoptatissimus adferretur nuntius Turicensis, exempla, de quibus Indic. bibliogr. Hutt. num. XIX. XXIIII. 5. XXXVII. A. aliisque locis in occulto iacere deperditave esse ægre scripsi, iam felici cura bibliothecæ Turicensis præfecti v. cl. Horneri reperta esse. qui vir humanissimus a me rogatus, qua est liberalitate, inventum thesaurum meis usibus permisit. At, ut nihil est ab omni parte beatum, quamvis avidis oculis perlustrarem fere trementibus manibus volutatum libellorum acervum, is non continebat id exemplum Triumphi, de quo Hutt. opp. I. p. 236. et III. p. 415. dixi Huttenum Münchio teste, sed parum fide digno, sua manu pro deleto nomine 'Eleutherio Byzeno' adscripsisse 'Ulrich Hutten autore'; verum in duobus certe Triumphi exemplis (Indic. bibliogr. Hutt. n. XVI. 2.), quæ Turicensis bibliotheca nunc in promptu habet, eiuscemodi nihil adscriptum esse nuntiatum est. Ne vero ingrati animi accusemur, ab interitu vindicata exemplaria supra indicata tria cum editione nostra diligenter comparavimus, eaque quæ Münchium, incredibilis et neglegentiæ et protervæ iactantiæ hominem, olim sequi coacti aut omisimus aut parum recte adnotavimus, nunc addemus. Ubi | post aut ante litteras ab Hutteno adscriptas posuimus, significatur marginem cultro abscissum quæ nunc desiderantur, olim continuisse. In collectionis Steckelbergianæ quæ vocatur exemplo (Indic. bibliogr. Hutt. num. XXIIII. 1.), quod Turicensis bibliothecæ est, multis locis, non omnibus, recentior manus, quæ tamen ipsa quoque sæculi XVI. est, verba Hutteni manu olim scripta sed infelici cultro abscissa iuxta superstites Huttenianas litteras renovavit, ita tamen ut non raro nonnullæ syllabæ litteræve nunc et ab Hutteni et a recentiore manu scriptæ extent.

Exemplum Hutteni manu emendatum est Indic. bibliogr. Hutt. num XIX. 1. descriptum. Primæ paginæ, in qua est inscriptio quam titulum vocant, cuius 7 versus postremos (Publico *usque ad* IMPERIALI.) lineis transductis omittendos esse significavit, Huttenus subscripsit ‘Maximiliano Austrio Imperante’.

Vol. pag. vers.

V. 99 14 HVLDERICVS DE] *delevit H. et superscripsit* Vlrichus ab
22 benevolentiæ] *comma adscr. H.*
25 Quam] Quæ *corr. H.*
33 pugnata] *H. corr.* |pugnata (*puto* expugnata)
35 non] *in 1. non extans addid. H.*
100 11 benignitas] *H. corr.* beneuo *lentia*
27 ſi *1.* Si *corr. H.*
29. sq. de nobis meritum] *delevit H. et adscr.* erga nos | (*amantem, aut simile quid*)
101 22 ; in] . In *corr. H.*
102 1 iam] *del. H. et adscr.* |im (olim *puto*)
10 , ſemper *1.* . Semp| *corr. H.* . *Ante hunc versum et ante 12. 13. 14. H. posuit* , ,
103 5 aliqđ *1.* aliquo| *corr. H.* (aliquod)
12 *e verbis* de religione *ab H. additis solum* |gione *superest.*
17 *post* tempore *comma posuit H.*
21 Vera inq̃ȝ *1. delevit H. et inferiori marg. adscr.* |nec (*i. e.* nec) huiusmodi, ut cum inanib. ante ſuñorū Pontificū ꝛc.
106 24 *post* Africā *comma in 1. omissum adscr. H.*
107 6 non] *Hutt. corr.* N
109 7 , totum] . Totū *1.* ū *delev. H. et adscr.* ā
110 4 , hunc *1.* . Hunc *corr. H.*
17 ? ferrum *1.* . Fer *corr. H.*
24 vultis] *H. corr.* Vul.
33 berberiei *1. H. corr.*
111 12 ac *1. H. corr.* Ac
13 hij *1.* hi *corr. H.*
21 diis immortalibus] *del. H. et adscr.* |opt. max. (*puto* deo, *non* Christo *præcessisse*)
23 consilio] *H. comma adiecit.*
24 ut. aliud] *H. interaddid.* |ıocati (puto *provocati*)
115 18 ac] *delev. et corr.* et *H.*
29. sq. *non* et cognati *addid. H. sed extat* |e cognati *ut legendum putem* vere cognati
32 et] quæ *1. corr. H.* et
116 5 , iidemque] *H. fecit ex* . Tum *1.*
17 deduxistis] *del. H. et adscr.* deductā acce|(*pistis*)
33 esse satis volo] *del. H. et interposito commate adscr.* |reliquū |ıolo (*An* præfatū, esto, reliquum non volo?)
37 et *ante primum* ut *adscr. H. et tum ex* Vt (*ante* tranquillum) *fecit* Vtqȝ
119 6 viaio *1. del. H. et adscr.* vitio
120 22 vos iuverit] *del. H. et adscr.* |ibeat. (*puto* vobis libeat.)
31 suffigimus] *delev. H. et adscr.* |nimus, (*quasi fuisset* sternimus)
121 22 . Statim *1. H. corr.* , ſta
23 . Et *1. H. corr.* , et

Vol. pag. vers.
V. 122 18 ac *del. et adscr.* et *H.*
24. sq. *Ad marg. H. adscr.* , , *ut significetur locos* (*in libro de guaiaco etiam adhibitos*) *aliunde desumptos esse.*
123 15 Afflictæ *1. a corr. H.*
18 *ad marg. H. adscr.* , ,
22...24 *ad marg. H. adscr.* , ,
27 Quos ego iubeo *1. delevit H. et adscr.* |dẽ deſinãt, |di adſenta- |minu ſtul |ere. Hos |urimũ ve ani iſta (*An: Ut qui*dem desinant, ...di adſenta*tione ho*minum stul*titiam aug*ere (*vel* stul*titię fav*ere) Hos *enim plu*rimum ve*lim in*ani iſta ?)
124 20 . Vbi *1.* , u *corr. H.*
21 maxime] *hoc ad marg. scripsit H. pro deleto* etiam *1.*
31 *H. ad marg.* , ,
35 *H. ad marg.* , ,
38 fiant] *delev. H. et adscr.* diſcant| (*esse*)
125 4 *H. ad marg.* , ,
13 *post* quem *H. adiecit* diu
18...20. 23. 24. *quinquies ad marg.* , ,
126 23 . Sine *1.* , ſine *corr. H.*
27 *vocabulo* omnis *H. adiecit* q3
127 14 uiciſſent etiam alii *1. H. post* etiam *comma posuit*
128 6 *post* illud *H. ad marg. adscr.* unicui| (*non* unicum)
8. 9 aut deus, aut fortũa melior *1. delevit H. et adscr.* Chrũs opt
129 19. 20 *H. ad marg. bis* , ,
20 Quid? q *H.*
36 ſi natiuũ qs *1. H. delev.* ſi *et* qs *et adscr.* ſiquis
130 24 totum *H. ex* to *fecis* tan (tantum)
131 16 fiet] *delev. H. et adscr.* ut fiat (*non simplex* fiat)
22 Nam minus nihil curo, quã ut a Cardinalibus petatur *H. adscr. inferiori margini, quasi inserendum esset in 1. statim sequenti* Hactenus discordiæ (*nostræ p. 132. v. 15.*)
133 33 Ociat˜ Germania *1. H. delevit* Germania *et adscr.* iuuent|
37 , intellexiſtis? *1. H. adscr.* . Intel

Epistolam Hutteni ad Iacobum de Bannisis, quam dedimus vol. I. p. 92., H. lineis transductis in novam editionem non recipiendam esse significavit.

Emendationes Hutteni manu Turicensis biblioth. exemplari collectionis Steckelbergianæ (ut vocant, quam descripsimus Indic. bibliogr. Hutten. num. XXIIII. 1.) adscriptæ, quas Münchius aut omisit aut neglegentius indicavit, hæ sunt:

Vol. pag. vers.
V. 2 1...3 VLRICHVS ... LECTOREM. *delevit H. et superscr.* |chi Hutteni de Orationib. ſuis in Vuirtenp. Epigramma.
I. 39 11 Dii immortales *del. H. et adscr.* Immortalis ‘| χι͡
12 adeo *del. H. et adscr.* plurimũ
21 quam *del. H. et adscr.* per omnia
40 2 , quamquam *1. H. adscr.* Quanq
III. 401 1 DE *ante* HVTTEN *delevit H.*
403 19 bonis. Non eſt *1. H. corr.* bonis? neq3 ẽm (neque enim)

Vol. pag. vers.

III. 403 20 Solentur mercede pii, *1. del. H. et adscr.* Solemur merce| licet (mercede licet)

404 50 te primum hac arte petebat. *1. del. H. et adscr.* hac nos |a arte petebat. (|prima)

51 nos hæc commenta faventeis *del. H. et adscr.* decepti erra- |imus omnes. (errauimus)

52 Atq; iſtum cepere patrem. *1. del. H. et adscr.* Errauit |us iſte pater. (prius)

408 161 aut ante sepultos] aut una sepultos *habet 1. neque emendavit H.*

181 concia *1. del. H. et adscr.* miſceat

409 210 nec] *H. emendavit* neq;

410 237 . ſic *1. H. adscr.* . Sic

244 ſonans] *H. emend.* ſonat

411 274 , te *1. H. adscr.* . Te

412 4. sqq. DEPLORATIONIS ... FINIS. *lineis transductis omittenda esse significavit H.*

I. 40 10...14 *Inscriptionem delevit H. et superscripsit* Vlrichus Huttenus Equ. Iacobo Fuchs Canonico Sal.

20 de Hutten] ab Hutten *corr. H.*

24 fore ſcio, *adscr. H. deleto* uidebitur *quod in A est post* fuerit,

25 erat] *sic emend. H. pro* uidebatur *A.*

43 19 aliquandiu] ſuſpendere *H. adscr.*

31 ecglogas *A.* g *delev. H.*

44 26 Gymnaſium, *A. del. H. et adscr.* ſcholam, *tum mea culpa non adnotatum est post* possideri *H. adscripsisse* hanc

31 Fugiebat enim arrogantiæ opinionem. *delev. H. et inferiori marg. adscr.* Inimicus enĩ erat arrogantiæ, eiuſq; opinionẽ de ſe fugiebat studio. (*Parum accurata est adn. mea 31.*)

33. sq. factum ab amicis hoc accuſabat. *del. H. et adscr.* pronũciantes| inter ſalutan|dũ amicos cor'ripuit

45 8 . Reſpondit *A. emend. H.* , r

18 partim] *del H. et adscr.* deinde (*ut recte Münchius adnotavit.*)

46 2...4 *Inscriptione deleta H. scripsit* Vlrichi Hutteni ad Ludouichũ Hut: ſuper interempto filio conſolatoria.

28 diſpertiris] *deleto* ri *H. adscr.* ſpertis

47 4 deorũ *del. H. et adscr.* |elestib.

21 *post* acerbitatem *comma adscripsit H.*

48 6 tuliſti *del. H. et adscr.* coepiſti

15 amaretur *del H. et adscr.* mabatur

29 an *A. del. H. et adscr.* cur non

49 13 Medicare *A. del H. et adscr.* Medere

29 , videndum *A. H. emend.* . Videnđ

36. sq. quidem *delevisse H. recte adnotavit Münch. et pro sequenti* naturale *adscripsisse* natura

50 24...26 *Post* calamitosius? *H. hæc* (*non quæ Münch. rettulit*) *inserenda inferiori marg. adscr.* Et tamen nihil' animo ĩminutus legitur. ſed ut fortiter hæc ſpectauit, ita imperterrite mortem adijt.

51 13 et *omiss. A. adscr. H.*

Vol. pag. vers.

I. 51 26 tulit. *A. del. H. et adscr.* fert.

28 et *adscr. H. pro deleto* ac *A.*

37 nobis *delevit H.*

52 1 , propter *A.* Propt *adscr. H.*

5 ut *delev. H. et adscr. verbum nunc abscissum, fortasse* quod

12 *Post* adferunt *H. marg. adscr.* |qui |ionẽ quærũt. (*puto fuisse* iis qui ultionem quærunt.)

30 HERBIPOLENSI *delev. H.*

53 1...4 Neqȝ ego ... eſt *delev. H. et ad superiorem marginem, ita ut nunc primus versus abscissus plane desideretur, scripsit* .... |ſtudẽdũ fuit. Quare etiam valde, ut accepturi ea iſtic ſitis, cum | quia odioſũ eſt hui-| uſcemodi argumentor|(ũ) |genus *et ad dextram marg. ad latus verborum* cum quia triſte ar- *adscripsit* maxĩe *Itaque sic legi voluisse auctorem opinor:* Mihi vero non id, ut placerent quæ scripsi studendum fuit. Quare ... genus, maxime tum vero *et c.*

6 epiſtola *delev. H.*

10. 11 essem, nec essem quietus, & ut rectius dicam, qui nusquam essem? *delevit H. et primum inter versus adscr.* fui tunc, neqȝ fui quietus *tum ad marg.* fui tunc ne|(*qȝ*) fui quietus, et ut re|(*c*)tius dicam | nusquã fu|(*i*)

14 nullis plane studiis *del. H. et adscr.* literarũ ſtud(*iis*) minime

19 cum *post* quod *adscr. H.*

20 mouit ... quæsiuissem *del. H. et adscr.* mouiſſet, atqȝ ego quæ|rerem

21 hũc *A. del. H. et superscr.* eum

22 flagitioſæ *del. H. et pro deletis litteris* auda- *adscripsit* impuden (*ut* impudenciæ *sit.*)

28 quoties à ſtabulo uacaret, *A. del. H. et adscr.* cũ aliqñ (*cum aliquando* | uacaret à ſtabulo,

54 4 et *pro deleto* ac *H. adscr.*

9 stude literis,] *Immo: H. ad marg. post* stude, *adscr.* quocies de | literis | ſ'mo ẽ, (*sermo est*)

10 arguti eſſe uolunt, *A. delev. H. et adscr.* |aliquid |iud ſcire videri volunt. (*i. e.* tñ =tamen aliquid aliud s. v. v.

29 uelut *ante* populares *delev. H. et adscr.* haud ali quã

V. 3 1 DE *delevit et ex* HVTTEN *fecit* HVTTENI *H.*

9 . Omne *1. H. fecit* , o

4 6...11 *Locum lituris et adscriptionibus sic emendandum esse significavit H.* redderet. Sed me, quo parandum id erat maxime, dolor impedit ibi, qui cum maximus sit, minime ostendi verbis sustinet ab his, quibus plurimum adest. Nam ut recens est, nondum consolationem admisit, fixitque pro magnitudine sua radices, quæ avelli cito nequeunt, et altius statim insedit, quam ut leviter amoveatur. Turbati sumus enim, ut vehementius turbari vix possimus *et c. Quæ ad marg. nunc leguntur, partim recentiore manu, ut cultro abscissa verba restituerentur, inter Huttenianæ manus superstites litteras adscripta sunt.*

Vol.	pag.	vers.	
V.	4	10. sq.	turbari uehementius haud *del. H. et adscr.* |s turbari vix (*i. e.* vehemẽtius t. v.)
		31	*ante* votis *H. adscr.* e
	5	16	proderet] *H. delevit* ere *et suprascr.* a (*ut sit quod coniectura adsecutus sum*, prodat)
	7	23	cum] *H. margini adscr.*
	10	8	, quo *1. H. corr.* . Quo
	11	12	ut *ante* quo *adscr. H.*
	12	33	Amicitia *1. H. corr.* a
	13	24	Magisque *1. H. corr.* m
	14	13	Aduerſum *1. H. corr.* s
		34	Cuius *1. H. corr.* c
	18	24	*post* motum. *H. addendum adscr.* |inter- |.ſsimus. (*an:* ut intercipere possimus.?)
	20	28	Procustes] *nec corr. H. nam Hutteni tempore alteram* r *solebant omittere.*
	22	1	DE *hoc quoque loco delev. H. et ex* HVTTEN *fecit* HVTTENI
	24	6	poſtulãt *1. H. delevit et adscripsit* ſuſtinent, *sed tum hoc delevit et dextræ marg. adscr.* poſtulant.
		34	iucũda *1. delev. H. et adscr.* decens, *tum hoc deleto adscr.* amabilis
	27	6	Heluetios *1.* Suiceros (*non* Swiceros) *corr. H.*
	28	38	*ante* ferat *H. adscr.* pro se
	30	5	refrigeſcat *1. delev. H. et adscr.* mi nuat ſe (*non* minuatur)
		33	(nam *1. H. fecit* ?nam
	31	18	*post* boni *H. adscr.* quo uel parte (*m*|) ſcelerum redimat, | aut quod
	32	16	Finge *1.* Fingite *corr. H.*
		20	quæque] *non hoc, sed* imo quæ d. a. e.? *adscr. H.*
		23	et] *delevit H.*
		24	*post* confidentia *H. adscr.* fe| (*videtur fuisse* festiuus)
		26	*pro primo* miror, *non pro altero H. adscr.* mirarer (*Itaque adnotandum erat* mirarer *H.* ſperaret *H.*
	33	7	*post* hominis *comma adscr. H.*
		28	*post* talem *H. adscr.* |is eſt, (*i. e.* qualis est,)
	34	18	Helvetiis] *H. corr.* |uiceris (Suiceris)
		27. sq.	*post* ſit *H. in inf. marg. addendum adscripsit* Talem accuſo (*non* auerso) hominẽ. Quid hominem dixi? Talem inquam accuso beſtiam. Ex mor ꝛc.
	35	9	ac] *H. corr.* et
		10	ac affinitate *1. delev. H. et adscr.* |t (et) cognatione
		32	Suicere] (Suiceros) *corr. H.*
	36	16	Maiores *1. H. corr.* m *tum post* plura *adscr.* |lcriora (ũ = vel pulcriora)
		27	se] ſeſe *corr. H.*
	37	9	Marchionis (*non post* ALBERTI *sed) post* Casimiri *delev. H.*
		11	epiſcoprũ *1. H. adscr.* o
		21	*post* ſit *H. adscr.* alij aliter |(*d*|)evorauerint.
		33	*pro* ac cons. et *H. fecit* et cons. ac
	39	19	vobis] uobis *satis aperte habet H. manus.*
		24	beſtiam] beluã (*non* belluam) *corr. H.*
	40	3	nos *delev. H.*

Vol.	pag.	vers.	
V.	40	22	Quod reliquũ eſt, *ante* Vos *scr. H.*
	41	16	dila-|tione *H.*
		17	communitus *1.* cõmi nutus *satis elegantibus litteris adscriptum est* (non *'unleserliche Verbeſserung'*) *Ceterum* comminutus *recte etiam Færstemannus olim adscripsit, neque ego in falso* communitus *adquiescere debebam.*)
	42	1	*Hic tertium* VLRICHI HVTTENI *fecit H.*
	43	8	fœduis? *H. adscr.* ius?
	45	32	circunclufas *1.* a *del. H. et adscr.* u
		37	Inquirente *1. pro deleta* I *H. adscr.* i
	46	25	uefaniã? *1. H. corr.* æ (uæsaniam)
		40	Hactenus *1.* Aliquando (*non* Aliquamdiu) *corr. H.*
	47	9	*Quasi ante* Quod *addendum esset* |uod *adscr. H.*
		27	quodue] quóue *1. pro* ue *H. adscr.* ne
		30	*præpositis* , , *insignivit H.*
	48	7	careant *nec H. adscripsit.*
		11	. In *1. H. fecit* , in
		37	furiis *del. H. et adscr.* |ordibus (*i. e.* sordibus)
	49	4	*H. ad marg.* , .
		16	*inter* si *et* hinc *addendum* ulterius *adscr. H.* (*non* ulterius *pro* hinc) *Etiam versum* Sæpe ... est *signis* . , *ad marg. positis extulit H.*
	50	10	deos immortales *del. H. et adscr.* |hr͡m ĩmo-|rtalẽ (*i. e.* Christum [*non* deum] imm.)
		32	dii melius uertant *del. H. sed quod adiecisse indicavit lineolis* || , *nunc non superest. Puto scribi voluisse* Dii melius vertant, quam quod
	51	3	*post* opinio *H. adscr.* incumb|
		29	, quæ *1. H. deleto commate adscr.* Quæ
	52	17	Heluetios nobis *del. H. et adscr.* ſuos nobis | Suiceros
		21	Helvetiis] Suiceris *corr. H.*
		22	deleamus suspicionem *del. H. et adscr.* extinguamus |citudinem (*i. e.* sollicitudinem)
		25	, iſtud *1. H. corr.* . Iſtud
		32	*ad marg.* , ,
	53	24	*post* vestros. *H. adscr.* Ad humanos | affectus prouoca carem (*i. e.* provocarem)
		28	nobis *delev. H.*
	54	1	*Nihil in nomine mutavit H.*
	55	7	. Et teſtatum *1. H. corr.* , et
		21	contractas] contrectas *corr. H.*
	57	15	Heluetiis *1.* Suiceris *H.*
	59	1	defendi non poteras *delev. H. et adscr.* indic͡o (*i. e.* iudicio, *non* audire) debebaris,
		2	amicorum *del. H. et adscr.* inter amicos (*non* amicitiores, *quod Münchius fecit ex adposito* Hoc
		3	Hoc *fecit H. ex* Hæc *1.*
		6	, quem *1. H. adscr.* Quẽ
		17. sq.	quod conscius ... ementitum. *del. H. et adscr.* Nam nullã tam acerbam mortem iudicares, quã non obire malles quàm mendacio tam impudenter concinnato [*non* consinuato] vitam quærere.

Vol. pag. vers.

V. 60 23 non inferas *1. delev. H. et adscr.* inferre neſc| (*i. e.* nescias *non* nosti)

1 qui non vides *delev. H. et adscr.* et ĩſenſatꝰ |qui neqȝ vides |qȝ |ıtis (*i. e.* et insensatus, qui neque vides neque sentis)

4 non possit *del. H. et adscr.* iã ultra |non poſsit,

61 13. sq. potiuśqȝ re ipſa *1. delev. H. et adscr.* docuiſſes |ut iam poſses |re pocius |ipſa, quã *et ex sequenti* defenderes *fecit* defendere.

16 aiebas *del. H. et adscr.* ais *sed sequens* obijciebas *non mutavit.*

17 et *ante* mortem *adscr. H.*

28 *post* cui *posita est / et ad marg. adscriptum* eciã ſi |ndũ ſic inno |iſſent ıt omnia, (*puto* etiam si nondum sic innotuissent *ut pateant* omnia,)

30 *inter* vivit *et* nec *comma in 1. omissum interposuit H.*

35 idq́ȝ *1.* Idq́ȝ *H.*

62 1 ſinu, ut *1.* ſinu? Vt *corr. H.*

3 *post* etiam *H. ad marg. addidit* et (per *deletum est*) congreſſ| ad libidi|nem dignet| (*i. e.* et congressus ad libidinem dignetur.)

64 9 possit . r *1. H. fecit* poſſit? R

10 eum *delev. H. et pro sequenti* tu *posuit* eum

65 12 ſalutẽ *del. H. et adscr. incol*umitatẽ *et pro* redimiſſet *fecit* redemiſſet

66 29 et *delev. H. et marg. adscr.* illum

36 *post* nece *comma adscr. H.*

67 4 quod *deleta* o *H. adscr.* i (quid)

17 iniiſſe *corr. H.*

68 14 *post* est *H. ad marg. adscr.* |iti præſump |ntendis, atqȝ *et recentior manus* illo ingenti *et* ciõe *post Huttenianum* præsump *adscripsit. sed legendum est*, ingenti præsumptione contendis, atque

69 8 ac] *H. corr.* et

25 *post* parte *H. ad marg. addidit* non habes inquam ſolaciũ |hoc,

70 27 . Intus *1.* , i *corr. H.*

72 19 *post* flagitio *H. ad marg. add.* |oportuniſsĩe (*non* inopportunissime)

75 17 *margini adposita sunt* , ,

80 *non v.* 13. *sed v.* 16. te *delev. H.*

18 *post* ne *ad marg. adscr. H.* ſi |iã ferre |ɔſses. *et recentior manus* |nominia *et* |ıõ *Legendum:* si ignominiam ferre non posses *Ex puncto post* repellerent *comma fecit H. sed magnam quæ sequitur* H non mutavit

81 17 *pro deletis* profligati ... mores *ad marg. adscr. H. quod partim recentiore manu renovatum est* peſſĩa profligat*æ men*tis argum*enta*

22 *pro* tuo supplicio *ad marg.* quocũqȝ etiam *periculo*

83 5 *post* hebescat *in marg. add. H.* |nanae (*fuit* inhumanae) *et sequens* ueſtræ *delevit.*

84 1 *Neque hoc loco nomen mutavit H.*

16 *In hoc quoque additamento verba* nemo *et* fortasse *et* fuisset *recentior manus renovavit.*

85 9 *Ad duos versus qui continent* Iuuat ... auxilio est *H. posuit bina* , ,

26 *Pro deletis verbis* potius ... precari *marg. adscriptum est* tantũ precari *voluerunt,*

36 perdidiſſimus *1. corr. H.*

86 22 *post* mentem *H. comma posuit et rec. man. ad marg. adscripsit* |entem

Vol.	pag.	vers.	
			Tum pro deleto medium ... impetum, *H. ad marg. adscr.* |ius (illius) exercitū,
V.	86	35	*ad duos versus bina in margine* , ,
	87	1	Neq; tueri ſe *delev. H. et adscr.* Ne tueri ſe q (quidem, *rec. man.*)
		2	ipsis] *supersunt tantum litteræ* ipſi|
		6	publice] *H. pro deleta* e *posuit* o
	90	6	quod illam] Quod illam *H.*
		27	. Impuriſſimum *1.* , i(*mpurissimum*) *H.*
	91	7	. Fugere *1.* , f *H.*
		16	in *ante* accenso *delev. H.*
		20	perdidiſſimū *1. H. correxit.*
	92	15	*post* portentoſa *ad superiorem marg. add. H.* cum ſcribet
		21	vexarit,] *H. emendavit* uexaſset,
		22	agit hoc in *deletum et ad marg. adscriptum est* ægit hoc? *ut pote in*
	93	33. sq.	à ſacerdotum *del. et marg. adscr. est* et religioſorū h*ominum*
	95	4. sq.	*Tribus versibus* Quippe *etc. præposita sunt* , ,

---

In Phalarismi qui sequitur (cf. Indic. bibl. Hutt. p. 46*. v. 12. litt. 𝕵) *exemplo nihil emendavit Huttenus, unde adparet omittendum hunc dialogum ex nova editione censuisse auctorem, sed Apologiam pro Phalarismo, quæ tum sequitur, pariter ac superiora scripta emendavit.*

Vol.	pag.	vers.	
I.	288	18	neq; *1.* Neq; *H.*
	289	9	neq; *1.* Neq; *H.*
		21	te *delevit H.*
		26	ſuorum *1.* a *corr. H.* (suarum)
	290	10	, nec *1. H. fecit* Nec
		23	immo *1. H. adscr.* Im
		33	etiam *del. H. et ante sequens* fore, *cui comma addidit, posuit* etiam
		35	amicum ... patiar] *pro his ad marg. adscr. H.* patiar, et amicum eſſe credam,
	292	5	& dolorem *delev. H. et adscr. est: et ut* dolorem (et ut *a rec. m.*)
	293	6	neq; *ante* tibi *fecit H.* Neq;
		7	, uerū *1. H. adscr.* Verum
	294	12	tot9 *1. H. ex* 9 *fecit* us
		32	, quod *1. H.* Quod (*bis sic*)
	295	13	quam] qui *1. H. adscr.* (*non* quam *sed*) quā non r(*ecte*) *et tum ex* ſinis? *fecit* ſinas?
		23	fuiſset *pro* fuerit *1. adscr. H.*
	296	33	, quæq; *1.* Quæq *adscr. H.*
	297	4	liceat *1.* a *delev. H.*
		19	dirimere? *1. H. delev. et adscr.* imere, *cui rec. m. superscripsit* diri
		38	*superest tantum* ıautū
	298	3	nedū *1. H. del. et adscr.* nec dum
		13	monuiſſe *1. H. delev.* n
		28	ſunt *1. H. del. et adscr.* ſumus
		33	, tu *1. H. fecit* Tu
	299	6	. Nos *1.* , nos *H.*

Vol. pag. vers.

I. 242 20...23 *Pro* Etsi *usque ad* diuulganti *deletis H. inferiori marg. adscr.* Etſi nondũ credebam famæ, omnia temere diuulganti, (Nam | *longe* alia eſt apud omnes Virtutis tuæ opinio Rex Chrĩaniſsime, qu*am* ut talis aliqua in te ſuſpicio congruat,) tamen quæ ꝛc.

243 9 patior *1.* o *deleta H. aperte adscr.* a (patiar)

19 *superest tantum non* |mplici iam |anno

246 4 hunc *1.* u *del. H. et adscr.* i

11 *pro deleto* in eo sp. collocaveris *ad marg. est: ei te a*diunxeris?

16.17 *ad marg.* , ,

24 appellare *del. H. et adscr.* |onunciare (*pro*nunciare)

26 optimatum *del. H. et adscr.* |onorũ (bonorum *non* optimorum)

29.30 *ad marginem signa* , ,

258 3 fugacius] fugatius *1. sed deleta* t *H. adscr.* c

9 , quàm *1.* Quam *H. tum post* præda *additum est* nos

259 7 , feruntur *1. H. commu confixit et adscr.* . fer. *tum pro deleto* Heluetii *adscr.* Suiceri

12 *ante* VI *H. ad marg. adscr.* |pra (supra)

260 3 Stutgardie (*non* Stutgardia) *scr. H.*

262 14 *ante* palam *H. adscr.* et

16 *ante* hoc *comma posuit H. et sequens* me *delevit.*

263 7 facile *1. sed* e *deleta H. fecit* i (facili)

9 , fugit *1.* . Fug *adscr. H.*

267 8 *pro* Heluetii *1.* Suiceri *H.*

22 , Cui *1.* C *del. et fecit* c *H.*

27 dedit . to *1. Deleto* dedit *H. adscr.* dedidit . Tot

272 6 . fugit *1. H. ad marg.* Fug

8 , quo *1.* . Quo *H.*

13 . faceſſant *1.* . Fac *H.*

19 . ſatis *1.* Satias (*non* Satius) *adscr. H.*

Ad Hutteni scripta vol. II. numm. CCXXVIIII. CCXXX. CCXXXI. CCXXXIIII. CCXXXIII. CCXXXVI. CCXXXXV. pagg. 12. sq. a nobis edita, quæ continentur exemplo sub XXXVII. 2. Indicis bibliogr. Hutten. descripto, iam ex eo bibliothecæ Tigurinæ exemplari, quod Huttenus sua manu emendavit, infra scriptæ adnotationes addendæ sunt:

Vol. pag. vers.

II. 13 21 prætergredi] *delevit H. et adscripsit* |edi (*puto* egredi)

14 22 literis et] literis, &

15 5 nominis] nobis *2.* quod *H. linea transducta et adposito signo* ₰ (*quod se legere non potuisse Münchius adnotavit) omittendum esse significavit.*

7 proculcatã *2.* ũ *H.*

10 viro *2.* e *H.*

20 Euangelũ, *2.* i *H.*

16 10 manieſtas, *2.* f *H.*

15 concitiare? i *delev. H.*

26 pro *omiss. 2. adscripsit H.*

36 esse quod] esse, quod *H.*

17 14 adnituntur *2. del. H. adscripsit* |mur (*id fuit* adnitimur)

Vol.	pag.	vers.	
II.	18	16	aut] delevit *H. adscripsit* |c (*id fuit* nec)
		30	cui *omis. 2. adposuit H.*
	19	9	exulēt Bullis vexare] exulent, Bullis vexari *H.*
		22	quidē. *2.* ã *H.*
	19	31	? flagitoſe] i *H.*
	20	14	flagita. *2.* i *H.*
		20	nuge. *2.* a *H.* (*i. e.* nugae.)
	21	15.16	& chriſtianæ veritatis *H. deleto sequenti* ac libertatis
		19	vestris *ante* coram *del. H. adposito* iſtic *post* coram
	22	5.6	experimini] opus vobis, *2. quod H. del. et adpos.* |rimini,)*i. e.* experimini)
		8	testimonio,] teſtimonium, *2.* um *del. H. adscr.* o
			intuitu] intuitum *2.* m *del. H.*
	23	27	cogitatis, iugum & grauius· quã ut *2. post* ut *H. adscr.* à quoquã
	24	5	accumilatione *2. corr. H.*
		10	dicat] *sic H. quoque corr.*
		23	vivatis] *sic H. quoque corr.*
		28	cogimur] *sic H. quoque corr.*
		34	viveritis] uiueretis *corr. H.* (*et hoc ponere debebam*)
	26	7	ducant] *sic H. quoque corr.*
		17	manifestamque] *sic H. quoque corr.*
		19	tam] *H. quoque addidit.*
	27	17	prȩcario *2.* e *H*
		28	obtegentes] prætende| *H.*
	28	30	concendemus. *2.* n *delev. H.*
		33	Præterea *corr. etiam H.*
	29	24	concuſſonem, *2.* i *H.*
	30	8	veſtra exitium] veſtra, exitium *H.*
		22	polliceor] *etiam 2.* pollicear *corr. H.*
		23	adſiduitate *2.* s *delev. H.*
		26	vobis] *comma adpos. H.*
	31	14	cogitationis] homin| *H. quam compositissime fieri potest adscripsit, sed Münchius cum Latine legere non didicisset, quid sibi vellet vocativus* homines *non vidit, quod dissimulans adnotavit* 'Nach *cogitationis:* Unleserliche Correctur.'
	32	26	ovinam] *sic H. quoque corr.*
	33	4	barbari. *2.* barbari? *corr. H. tum* moneretis *2. corr. H.*
		9	quoquam] *comma adpos. H.*
		10	venerit] *comma adpos. H.*
	34	22	cupiditaiib. *2. corr. H. tum* nationi *2. corr. H.*

Vol.	pag.	vers.	
	39	34	intermiſſum *habet exemplum 2. ab H. correctum, qui* a (*pro* u) *adscripsit: meum exemplum 2. recte* intermiſſam *in ipso textu habet.*
	40	2	fieri] *delevit quidem H. sed idem etiam adscripsit* |btineri *quod* obtineri *fuisse cum non videret Münchius, adscriptum celavit.*
		20	metus *2. corr. H.*
			eos] nos *2. corr. H.*
	41	9	nobis] vobis *recte etiam 2. ab H. non mutatum, sed is comma adposuit.*
	42	9	ingeſſu *2. corr. H.*

Vol. pag. vers.
II. 42 35 tot] qꝫ (totque *ante* nobiliſs.) *corr. H.*
43 8 cęde ſœminarum *2.* f *corr. H.*
26 isti] *comma adpos. H.*
35 illa] *linea transducta delev. H.*
44 4 ſeruare illum: *2. delev. H. et adscripsit* ſeruaturũ i tum ho| (*puto* istum hominem)
6 cedis illi] *delevit H. sed post* domicilio *adscripsit* cedis

---

37 9 &c̃.] *delevit H.*
10 Si,] *del. H. et adscripsit* Vtinã,
11 optime] *delevit H.*
12 ex] et *corr. H.*
13 te] *delev. H.*
17 omnia crudelia *2. comma interposuit H.*
26 libertati *2.* s *adscr. H.*
38 3 etiam] *delev. H.*

---

48 8 haud dum] *delev. H. et adscr.* vix dũ
49 7 illorum odio] *delev. H. et adscr.* reip. ſtud (*i. e.* reipublicæ studio)
20 *inter* omnia *et* & quæ *H. interposuit* illis literis
50 2 *post* etiam, *H. adscr.* quantũ honeſte licebit,

---

59 7.8 constantissime] *delevit H.*

Inferiori margini postremæ paginæ exempli 2. manu sua emendati Huttenus adscripsit Optimam uitæ rationem delige, eam tibi | iucundam reddet conſuetudo.

Restat ut ad vol. IIII. pag. 423. ex libris Turicensibus recuperatis hoc exemplum adnotemus:

3*

IVLIVS | ❡ Dialogus uiri cuiuſpiam eruditiſſimi, | feſtiuus ſane ac elegans, quomodo IV-|LIVS. II. P. M. poſt mortem coeli fores | pulſando, ab ianitore illo D. Petro, in-|tromitti nequiuerit, q̃ꝫq̃ꝫ dum uiueret | ſanctiſſimi, atq̀ꝫ adeo ſanctitatis no|mine appellatus, totqꝫ bellis felici | citer [*sic*] geſtis præclarus, domi-|num coeli futurum ſe | eſſe ſperarit. | INTERLOCVTORES. | Iulius. | Genius. | D. Petrus. | Lector, riſum cohibe.

Plagulæ 3 (signatæ A B C) sive 24 folia in 8°. min., quorum ultima pagina vacat, pænultima sex versus habet, quorum duo postremi sunt itaqꝫ Vale. | FINIS. | *Ceteræ singulæ paginæ tantum non omnes constant 31 versibus. Neque inscriptiones neque numeri singulis paginis superscripti sunt.*

HVTTENI POEMATVM

PARS PRIMA.

ELEGIÆ ET DE ARTE VERSIFICANDI LIBER.

[a. 1506 . . . 1517.]

PRÆFATIO EDITORIS AD OMNES QVATTVOR PARTES.

> Mir kommt aber immer vor, wenn man von Schriften, wie von Handlungen, nicht mit einem gewissen parteyischen Enthusiasmus spricht, so bleibt so wenig daran, daß es der Rede gar nicht werth ist. Lust, Freude, Theilnahme an den Dingen ist das einzige Reelle, und was wieder Realität hervorbringt; alles andere ist eitel und vereitelt nur.
>
> Goethe an Schiller.

Quod Hutteni carmina, rudem adhuc indigestamque molem, in quattuor partes dispescui, optima ratione factum esse iudicabunt, spero, qui auctoris vitæ scriptisque paullo diligentius studuerint, omnes. sponte profecto ea digestio argumenta poematum temporaque, quibus conposita sunt, contemplanti sese præbet, in tantum ut mirer in hunc diem neminem, quem sciam, fili, quo suspensa sunt singula, rectitudinem et ex ipsius scriptoris indole ingenioque quasi enascentem necessitatem prædicasse, nisi multo usu didicissem quam longe plerique fere omnes hodieque ab adcurata veraque universæ Huttenianæ vitæ ingeniique morumque ingenuæ et quasi conpactilis unitatis, rectitudinis, duritiæ, quæ cum incorrupta humanitate et profunda probitate et adsiduo fervore unice coaluerant, cognitione absimus, multosque esse qui Huttenum ideo tantum, quod versus multos fudit lauream que a Cæsare coronam accepit, ad augustum poetæ nomen admittant. Non novum est Huttenum adulescentulum elegiis condendis tirocinium Musarum posuisse, nec doctos latet id e ratione litteras discendi docendique, qua et ipse, Rhagii, Trebelii, Vigilantii discipulus, Eobani sodalis, usus est, facile explicatu esse: verum ingenitam hominis primariamque imi animi condicionem et intentionem elegiacam fuisse sentire potius quam doceri debemus. Eiusdem autem iuvenis, in quo (ut de Alcibiade Nepos olim dixit) natura quid posset experta est, ingenium, dum ex doloribus ac gaudiis elegos pectoris fidibus effingit, rerum humanarum conperiendarum gratia patriasque externasque nationes pervisendi inpetuoso studio, quod ipsum tum varii casus tum præcipue monasticæ vitæ effugio excitatæ patris iræ debitæ necessitates et morbida vis corpusculum infestans auxerant, vehementer conmovebatur. ita scholis cathedrisque relictis, versus tamen, ubicumque et quidcumque agebat, Musarum cultor, in arma castraque inruit Germanosque suos et suum Cæsarem in prælia contra quemcumque hostem nunc prece blandiens nunc conminationibus terrens tam orationibus quam heroicis carminibus epigrammatumque aculeis accendit*), ipse interim re-

*) Thal und Berg durchzieht er, fest im Glauben
An die Freiheit, sinnend tief im Herzen
Lied und Wahrheit, seines Busens Wonne.
'Kein Tyrann soll uns zur Knechtschaft rauben!
'Heilen will ich meines Volkes Schmerzen.
'Auf, o auf, du deutscher Aar, zur Sonne!'

rum publicarum recte administrandarum beneque gerendarum artis vix minus studiosus quam cuius vitam his unis officiis totam destinavisset. Musea poterat relinquere, Musas non potuit; sed in musea etiam, quotiens potuit, rediit libenter, liberalioresque litteras et earum propugnatores ut sincere amabat, ita pie colebat ac strenue ab hostibus ingenii quoque armis defendebat lætisque suis laudibus celebrabat. Quo itaque modo, ut supra primam partem cum secunda, quantumvis altera ab altera diversa sit, cohærere et utramque solidi quasi corporis membrum esse significavi, rursus secunda ad tertiam ita accedit, ut altera alteri sese insinuet, inque quartam aperto tramite transeant. certamina contra curiam Romanam pro libertate Germaniæ ecclesiæque sanctitate, ut tum res erant, pro Luthero institui debebant: quantum illis universus fere terrarum orbis tunc concitari cœperit, quanta fortitudine Huttenus eadem pugnaverit, denique ut non hostibus sed morbo fractus occubuerit, nemo qui hæc leget exponere huius loci esse putabit, ut nec huius loci est demonstrare Huttenum rebus ecclesiasticis reformandis rei publicæ libertatisque Germanicæ nationis causa omnes vitæ nervos contendisse, dum Lutherus non nisi fidei Christianæ causa Romanam ecclesiam sollicitaret proque principibus ac rebus publicis, ut sacrorum bibliorum per omnia suprema auctoritas esset, contra pontifices Romanos acriter dimicaret. quam inter utrumque heroa differentiam convenientiamque ipse noster melius quam ab alio demonstratas me legere memini, litteris ad Lutherum scriptis ac præcipue his memorabilibus verbis „mea humana sunt, tu perfectior iam totus ex divinis dependes“ (vol. II. p. 55.) mea quidem sententia expressit.

Pauca ex omnibus quæ repperi Hutteni carminibus (repperi autem quamvis antea inedita fere nulla, conplura tamen, eaque minime spernenda, quæ, cum libellis continerentur quorum exempla vix uni aut alteri conspicere datum fuit, plane in oblivionem abierant) in hoc volumen non recepi, ut pote quæ in reliquis quattuor tomis suum locum, cumque, si a perpaucis recesseris, iustiorem quam si omnia huic volumini reservassem, iam invenerant. Ne vero inmerito in neglegentiæ crimen inciderem, etiam hic omittenda carmina eo quodque loco conmemoravi quem ei dedissem, si non omnium Hutteni operum, sed poeticorum tantum modo editionem paravissem. Atque hæc ipsa ratio, ut taceam alia, satis declarat cur nunc ad ea quæ ex Epistolis obscurorum virorum Hutteno deberi videantur, omnino non respexerim: his enim epistolis suum volumen debetur, quod a me elaboratum post hoc edi spero.

IN EOBANVM HESSVM
VLRICHI HVTTENI
ELEGIA
ET
EOBANI GRATIARVM ACTIO EXTEMPORALIS
scriptæ, ut videtur, Erfurti a 1506. exhibentur vol. I. p. 3...5. num. I.

[IN LAVDEM MARCHIÆ CARMEN.]

VDALRICVS HVTTENVS PHAGIGENA
RHAGII ÆSTICAMPIANI DISCIPVLVS
AD LECTOREM HVIVS LIBRI.

Marchia, tardigrado terra interiecta Bootæ,
Gargareum superat fertilitate solum,
Cuius in autumno cum pinguibus incola botris
Poma sub æstate præmia messis habet;
Vix sentit piceis borealia frigora tædis,
Tempore fœtura veris abundat apum.
Adde boum cultus, hic quorum copia tanta est,
Quanta sub Ionio fertur arena mari.
Sunt et equi celeres natique ad pondus aselli,
Quærit ad innumeras gramina pastor oves.
Ut tamen hæc taceas, lætam vagus Odera terram
Diluit, et varias piscibus auget opes,

Vide Indic. bibliograph. Hutten. n. II. 1...5. Scriptum est hoc carmen Francofurti ad Viadrum a. 1506.

PHAGIG.] *i. e. in Buchonia natus.* RHAG.] Ioannis Rack Sommerfeldensis. Cf. vol. I. p. 8. HVI. LIBRI] *descriptionis*, *de qua vid. Ind. bibl. n. I. 1. 2.* [1] Bootes sive arctophylax tardigradus [Pacuv. ap. Cic. de divin. II. 64, 133.], tardus, piger dicitur ideo quod tardius ad oceanum descendit. cf. Haupt ad Ovid. met. II. 176. sq. *Marchiam Troadensibus campis conparare audacis poetæ est.* tantigrado *2. 3.* [2] „... ipsa suas mirantur Gargara messes". *Vergil.* Georg. I. 103. [3] pĩguibus *1.* botrus] uva. *Cf. Michææ proph.* VII. 1. *Versibus 3...6 quattuor anni temporum amœnitates recenset.* [4] æstati *5.* [5] tedis *1. 2.* [8] *Etiam hæc hyperbola poeta nondum plenæ pubertatis digna.*

Quis non tam Tanais, nec abundat flavus Orontes,
Nec Phrigius Xanthus Romuleusque Tibris:
Piscibus Eridanum vincit, celeremque Caistrum,
Quique suis agitat fulva metalla vadis:
Multus ab Odricola defertur carpio gente,
Et crassus polipus, cæruleusque lupus.
Sunt quoque mutatæ peregrino sidere merces,
Quas opulentus Arabs, India sive dedit.
Egregias urbes atque altas possidet arces,
Templaque, cœlicolas quæ decuisse putes.
Hic Ioachim princeps, sceptri successor aviti,
Tale sua ne non in regione foret,
Gymnasio solidas erexit ad astra columnas,
Qua Francphordiacæ cernitur urbis opus:
Ingenuas artes dedit huc, sophicasque catervas,
Hic sua qui doceant carmina Phœbus habet.
O bene: divitiis adduntur Pallados artes,
Hæc bona sunt terræ diviciora suæ.
Terra ferax frugum fœcundas concipit artes,
Iuncta est Panchæis Cecropis ora locis.
Cætera quo melius noscas, hunc volve libellum,
Lector, ut et tellus nota sit illa tibi:
Hæc te Marchiticas ducant monumenta per oras:
Sic tibi, qui latuit, cognitus orbis erit;
Invenies illic quæ te legisse iuvabit,
Dum non quam relegas læseris illa prius.
Si tamen hoc quædam fuerint errata libello,
Parce, mora celeri condidit autor opus.

---

[13] Queis *5.* [14] Phrygius *3...5.* Xantus *5.* [15] Caystrum *4. 5. hod. Karasu.* [16] Pactolum, auriferis harenis celebratum, Chrysorroan. [18] Polypus *3...5.* cancri Viadrini hodieque celebrantur. cæruleusque *3...5.* lupus] lucius esox. [19] mutate *2.* [22] cælicolas *3.5.* que *2.* (quae *1.*) [23] Ioachimus I. marchio Brandenburgensis universitatem litterariam Francofurtensem condidit, cuius sollennis inauguratio d. 26. Apr. a. 1506. facta est. [24] : Tale ... foret: *1.* Academia Wittenbergensis condita fuerat a. 1502. [26] Francfordiacæ *5.* [27] Vigilantium et Rhagium. [29] Palladis *5.* [30] terrre *2.* divitiora *3...5.* [32] Panchæis *omnes. sed Huttenus voluit* Pangæis: *nam Thracicam fertilitatem cum Atheniensium cultu coniungere Francphordiam ait. de Arabia non cogitavit.* [33] Cetera *3...5.* [38] leseris *1.2.* Vigilantius in 'illis monumentis' etiam leges moresque quibus studiosi regerentur, descripsit. Vult itaque poeta memoriam Francofurti gratam semper iis fore quos civitate academica non indignos reddidissent propria peccata. [40] auctor *3...5.*

Ut hoc in carminibus scribendis adulescentes exercitandi genus stilusque poeticæ doctorum Francofurtensium disciplinæ commodius æstimetur, addimus Hutteni condiscipuli Henrici Brumanni Moguntiaci, quem ille decennio post in epistulis obscurorum virorum vol. II. ep. 55. ut 'vicarium in summo et bonum organistam' celebravit, consimile sollenne carmen, quod post Huttenianum in libris qui Ind. bibliogr. n. I. 1. 2. indicati sunt, legitur:

HENRICI BRVMMANNI MAGONCIACI
SECTATORIS IOANNIS RHAGII ÆSTICAMPIANI ORATORIS
IN FRANCOPHORDIANÆ DESCRIPTIONIS ET P. VIGILANTII POETÆ
COMMENDATIONEM
AD LECTOREM EPIGRAMMA.

Incertum est homini studium et diversa cupido
Qui legit hystorias gestaque pulchra virum:
Nam hic probat Hellanicum, placet huic Herodotus, et illi
Socraticus Xenophon Acesilusque vetus:
Lactea delectant alium quoque dogmata Livi,
Hic vult Salusti scripta videre brevis.
Sic diversa rapitque animum in diversa voluptas,
Mensque nequit recto sistere certa loco.
Tu vero exoptus qui altissima nostri, lector,
Pulpita Gymnasii principiumque novi,
Hunc poteris manibus complecti sæpe libellum,
Qui tibi iam placida mente legendus erit,
Marchia quæ tellus, quæ sit Francphordia nosces,
Quam, bone, piscosis alluis, Odra, vadis:
Principibus quæ sit prudentia, fama decusque,
Et quæ dent cultis munera doctoribus;
Quantaque fertilitas agri, quæ copia messis,
Numina quam faveant Bacchus et alma Ceres:
Quotque boves, pisces, quot oves celeresque caballos,
Quotque fovet doctos urbs celebrata viros.
Quantum etenim aerio cedunt virgulta cupresso
Et quantum lepori est fortior ipse leo,
Tantum est Gymnasium hoc ludo præstantius omni,
Quem tibi Romana aut Græcia terra tulit;
Quod tibi descripsit celebris Vigilantius author,
Gymnasii laus et gloria magna novi.
Hunc igitur digitis cape, lector amande, libellum,
Qui tibi permodico venditur ære. Vale.

Vigilantii] Cf. vol. I. p. 43. §. 32. [5] Livi lactea ubertas. Quintilian. Inst. or. X. 1, 32. [6] Sallustiana brevitas. Quintil. l. c. [9] noſtre *1. et cum 1. facit ubique 2.* [11] ſepe *1.* [13] que *bis 1.* [15] que *1.* [16] que *1.* [17] que *1.* [21] Cf. Vergil. ecl. 1, 25. [24] Grecia *1.* [28] Hodie magno ære qui emerent sunt: unum enim Vratislaviense exemplar extare creditur.

Ipse typographus, Conradus Baumgardt Rottenburgius disticho celebratur hoc:

DE CALCOGRAPHO AD LECTOREM.

Hoc tibi Marchitica Conradus in urbe monetis
Excussit graphicis ingeniosus opus.

Dubitabis num præceptoris carmen discipulorum versibus præferas: nam hoc præmissum est libro:

IOANNIS RHAGII ESTICAMPIANI
LVSACII ET RHETORIS ET POETE LAVREATI
EPIGRAMMA AD LECTOREM.

Cessa Niliaci mirari pulpita, lector,
Gymnasii et Cilici pectora docta soli
Cecropias cumulo laudisque æquare cathedras,
Cœlicolis iaceat Gallica turba scholæ:
Surgit Palladio maior Franckphordia ludo,
Cuius forma, situs, fama decusque patet
Hoc, quem vel manibus cupies tractare, libello,
Vel sua luminibus scripta vorare tuis.

VLRICHI HVTTENI
ADOLESCENTIS
DE VIRTVTE
ELEGIACA EXHORTATIO.

Ipse ego dum variæ meditor discrimina sortis,
Dum dubias vitæ difficilesque vias
Diversasque adeo curas hominumque labores,
Ingemit et tristi mens mihi corde dolet.
Nam quæcunque vides fragilis solatia mundi,
Omnia sunt longa disperitura die;
Utque leves paleæ vacuis motantur aristis,
Et quatitur rapidis silva comosa notis,
Hæret in humanis fragilis fiducia rebus,
Discrepat et dubiis decipit illa modis:

Indic. bibliogr. n. III. 1...4. Francofurti ad Viadrum a. 1507. hæc elegia scripta videtur.

---

monetis graph.] *typis æreis.* excudit 2. ingeniosus] *Diu moris fuit ut typographi suam artem, quasi singuli Fausti essent Guttenbergiique omnes, prædicarent.*
5 quecunq; *1. 2.* 7 Ariſtis *1. 2.* 9 Rebus *1. 2.*

Qui modo dives erat, fortuna exactus iniqua
    Aestuat et parvo fœnore vertit humum:
Rex erat et Latias tenuit Tarquinius urbes,
    Paruit ad nutum Dardana Roma suum;
Decidit ille tamen (nam quanta potentia nostra est?),
    Decidit, et missis urbibus exul erat.
Hæc eadem Siculi memorantur regna tyranni,
    Post sua qui pueris sceptra magister erat.
Ut tamen hæc maneant, et sis in tempore fœlix,
    Sistat in imperio terra fretumque tuo,
Teque vagum posita veneretur imagine vulgus,
    Det tibi fœcundas regia mensa dapes,
Sint vires formæque bonum cultique penates,
    Inque tuos veniat pulchra puella thoros,
Sis quoque, si quid id est, antiquo stemmate natus:
    Quis dabit hæc cineri funeribusque tuis?
Vidi ego magnorum pallentia corpora regum,
    Portabant tantum parva feretra decus.
O ubi tunc tumido frontosa superbia fastu,
    Claraque nobilitas, belligeræque manus?
Qui modo tot populos, qui tot modo rexerat urbes,
    Procubat ad fœdam truncus inanis humum.
Tabescunt etiam regali corpora luxu:
    I nunc et valida concute sceptra manu;
I nunc et forma, fortuna opibusque superbi,
    Inque brevi magnum tempore nomen habe:
Nudus es et gelidum premis, invidiose, sepulchrum,
    Nuda petit Stygios flebilis umbra lacus.
Discite, mortales, trepidæ moderamina Sortis;
    Intempestivas occupat illa moras:
Dona, potestatem, temeraria iura fidemque
    Spernite et effictæ numen inane deæ.
Clarior hac Virtus, refugaque securior aura,
    Ipsa locat famulis præmia vera suis.
Sunt qui divitias, sunt qui sectentur honores,
    Quique velint magnos pascier ante duces:

---

12 Eſtuat *1.* Aestuat *2...4.* 13 Tarq. Superbus. 14 Dard.] *ut sæpe ap. Verg. Horat. alios* Romani 'Dardana s. Dardania gens'. 17 Tiranni *1. 2.* Dionysius II. „ex tyranno literator factus". Cf. dialog. Phalarism. §. 27. 23 vircs, *1.* pœnates *2.* 25 id *omis. 4.* 27 Regũ *1.* Regum *2.* 29 O] Quid! *3. 4.* 37 p̄mis *1.* , invidiose, *3. 4.* 38 ſtigios *1.* stygios *2.* 39 sortis *3. 4.*

Hiis neglecta deest, sed habentibus omnia, virtus,
    Cum virtus nullo munere possit emi.
Vos quoque qui blande cupidos captatis amores,
    Ite, carent veris gaudia vestra bonis.
Quisquis amas, pulchros rugis fœdabere vultus,
    Cum dederit canas mæsta senecta comas.
Sola diu est igitur, sola est sine crimine Virtus,
    Labe carens, vitæ principiumque novæ.
Hanc pete qui vitam, qui non mortalia curas,
    Est aliquid vitæ consuluisse suæ.

---

[47] His *3.4.* [51] fedabere *1.* fȩdabere *2.* [52] Quum *3.4.* mefta *1.* moesta *3.4.*
[54] noue *1.*

VLRICI HVTTENI

EX EQVESTRI ORDINE ADOLESCENTIS

CARMEN EMVNCTISSIMVM

MORES HOMINVM ADMODVM IVCVNDE COMPLECTENS

CVI TITVLVS

VIR BONVS.

Ge: B: Herbip: ad lectorem

Edidit Huttenus, lector, tibi, candide, carmen
Conspicuum dulci Mæonioque sono,
Qui docet ut iustus fias, simul et moderatus,
Providus et sapiens, relligione sacer,
Moribus ut valeas rigidum exuperare Cathonem,
Dexteritate Numam Socraticamque scolam.
Morte carent omnes tolluntque ad Olympica regna
Cultorem, Virtus vulnere et ipsa caret.



VLRICI HVTTENI
EX EQVESTRI ORDINE ADOLESCENTIS
CARMEN EMVNCTISSIMVM
MORES HOMINVM ADMODVM IVCVNDE COMPLECTENS
CVI TITVLVS

VIR BONVS.

Cerne novos vultus, rerum studiose novarum,
Et facili monitus accipe corde meos.
Sæpe movent melius propiori cognita visu,
Inspice, sunt tetricis ista videnda viris.
Multa vident oculi, sed ad interiora remittunt,
Opportuna magis lumina pectus habet.
Rara mihi facies et solis cognita iustis,
Cura quibus veri est institiæque calor:
Novit Aristides, novit vir fortis Ulisses,
Et vos, Socraticæ candida turba scholæ,
Cumque Catone bonus Nasica, et Celius ingens,
Et Cicero, Latiæ gloria prima togæ;
Prudentes novere viri, rudis omnia damnat:
Dum damnat, vitæ est nescius ipse suæ.
Siqua rudi tamen est discendi cura, cupitque
Excolere ignavum nobilitate animum,
Ponat opus vitiis plenum, et nitatur in illud,
Unde decus longæ posteritatis erit,
Consilioque meo (nihil est præstantius illo)
Incubet, exemplar, quo doceatur, habet.

Hoc carmen, cuius exempla recensuimus Indic. bibliogr. num. VIII., quamvis anno demum 1513. publicatum sit, cum non ita longe post elegiacam de Virtute exhortationem conpositum esse videatur, quacum etiam quasi cognatione iunctum est, statim post eam ponendum esse duxi. Viri boni miram picturam carmini pro commentario esse auctor aperte voluit, quare adcurate repetendam iussimus. Fortasse aliquis ex versiculis Ge. B. Herbip. post ipsam carminis inscriptionem repetitis (cf. vol. I. p. 28.) aut ex Schottianis quos etiam exemplum princeps post Hutteni carmen habet, quo tempore hoc scriptum sit, exactius explicabit.

ADOLESC.] Adolefentis *1.* [8] inftitieq; *1.* [9] Ulysses *2. sqq.* [11] Coelius *6.* Cælius 7. [18] longe *1.*

Non doceo quæ dura putes, via levis eunti est
Ad celebres cultus perpetuumque decus;
Triste nihil monitis, nihil insuperabile nostris;
Et faciles aditus et pia iussa gero.
Adde quod est nobis vita, spes certa, perennis,
Quis nolit parvo magna labore sequi?
Vivimus ancipites, morimur fugacibus horis,
Nec certum est unum vivere posse diem.
Quando igitur vitæ nequicquam fidimus illi,
Quod potes, æternos vivere tende dies.
Utere me, vives. et si petis otia, veris
Disce frui, et si vis vivere, vive diu.
Nulla salus, corrupta quies, insana cupido
Est animo vitiis criminibusque dato.
Quæ si forte leves capiunt dulcedine mentes,
Sperne, latent pulchris dira venena rosis.
Si quid in hiis duri est, humanæ inamabile menti,
Non potes invitus prendere, dura fuge!
Fascinat insanas Veneris lascivia mentes,
Dulcia pestifero gaudia in ore gerens:
Hæc ubi solicito iuvenes præstrinxit amore,
In subitos casus insidiasque trahit.
Furta, doli, metus, ira, neces, contagia, cædes,
Et furiæ summum sunt in amore bonum.
Vince igitur flammas, ut ne capiaris ab illis;
Dum tener est, tenero flumina sparge rogo.
Sed capit et multos funesta pecunia cogit,
Et placet hanc partam quolibet esse modo:
Cæcus amor rerum est et non nisi vana libido,
Plena metus, nullo certificata statu.
Quantum opus est, satis esse puta: cogeris ab una
Morte supervacuas linquere divitias.
Siqua igitur placeant, nisi sit placuisse decorum,
Effuge: sunt animo rhetia tensa tuo:
Blanda dabit Veneris, rerum dabit atra cupido
Perniciosa homini, displicitura deo.
Cedat amor rerum, cedat mellita voluptas,
Solius et siquid corporis esse vides.

---

[21] que *1.* lævis *6. 7.* [29] nequidquam *6. 7.* [31] ocia *2...5.* [35] Que *1.* [36] venenofa *1.* [37] his *3. sqq.* inam.] amabile *2. sqq.* [40] preftifero *1.* [41] sollicito *6. 7.* [45] ab] in *6. 7.* [49] Cecus *1.* [50] certificata! [54] retia *2. sqq.* densa *7.*! [57] Cędat *1. bis.* [58] Sōlĭūs.

Nec servire gulæ placeat, nocet esse superbum,
60 Pone etiam irato frena modumque animo.
Ne te corripiat sopitam ignavia mentem,
Semper age, et factis consule rite tuis,
Invidiamque aliis non unquam intende: ea pestis
64 Solum est authori perniciosa suo.
Ergo nihil vicii est, quod te seducere possit,
Si modo, quæ videas singula, pectus habes.
Verte acres oculos ad res quascunque gerendas,
68 Et quam suscipias, perspice cuncta prius.
❡ Hinc mihi fixa acies, et acuto lumine solor,
Quale oculos pictæ lyncis habere volunt.
Cuncta animi penetro visu, stata metior acta,
72 Et nihil incerta conditione gero.
Non faciles causas, non res considero vanas,
Captanturque oculis non nisi digna meis.
Utque malis timear, nec me leve vulgus aberret,
76 Torva sub inmota lumina fronte premo.
Viderit insipiens, oris gravitate retactus,
Noticia sceleris corruet ille sui;
Si bonus inspiciat, quod amet, cui pareat ultro,
80 Inveniet mentis dexteritate meæ.
❡ Sunt mihi porrectæ foribusque patentibus aures,
His nihil obscurum, quale sit, esse potest;
Utque inmanis aper crescentia gramina sentit,
84 Sic capio auditu verba relata meo:
Me potius iuvat aure frui quam fungier ore,
Auditusque procax est mihi, lingua gravis.
Sæpe moras causor, responsis tempora posco,
88 Nec refero nisi quæ sit tacuisse malum.
❡ Ore meo cresci frondentia lilia cernis,
Molior eloquio grandia sæpe meo:
Permoveo mentes hominum, verbisque pacisco,
92 Horrida causatrix prælia lingua sedat.
Erudio teneram dulci sermone iuventam,
Sic aliquis virides flumine nutrit agros.

---

[59] gule *1.* [64] autori *2. sqq.* auctori *6.7.* [65] vitii *6.7.* [66] que *1.* [68] qua *1.* [69] *Signa* ❡ *in 1. ad picturam viri boni allegoricam referunt. In 2.4.5. loco illius signi priora eorum versuum verba, quibus* ❡ *in 1. præpositum est, maioribus litteris expressa sunt.* solor] solers *se emendasse putavit 6. et secutus est 7.* [70] lincis *1.2.* [74] Atq; *1.* [75] immota *2. sqq.* premo] gero *7.* [78] Notitia *2. sqq.* [81] porrecte *1.* [83] immanis *2. sqq.* [86] pcax: eſt mihi l. *1.* procax, est mihi l. *2.4.5.* [90] ſepe *1.*

Plura ego perficio verbis gravioraque multo
Quam qui terribili concutit arma manu.
¶ Parte alia capitis radiantem molior ensem,
Iusticiæ specimen materiamque meæ:
Siqua minus verbis potero, vi fungor aperta,
Quique nihil iussis paruit, ense luit.
Dum gravis illata est raptis iniuria rebus,
Non nisi consulto pectore bella gero.
Non opibus parco, pœna perfungor eadem,
Sive habeat dives crimina, sive miser.
¶ Quale vel est cygni collum, vel quale colubri,
Est mihi, quod spaciis profero cuncta suis:
Tarda loquor, meditata prius, nihil audeo verbis,
Tunc, ubi consultum est edere verba, loquor.
Siquid apud superos oro, licet omnibus illud
Audire et cuivis exposuisse viro;
Nec reticenda deis homini loquor, undique verus
Et sine posthabiti suspitione doli.
¶ Pectus habet Libyci caput et torva ora leonis,
In quosvis casus fortia corda gero:
Non me versutæ præceps audacia linguæ,
Non terrent quovis bella minata modo.
Fortis in adversis animoso robore fungor,
Ut paleæ stolidi sunt mihi bella viri.
Pectus idem adversis, eadem sententia rebus,
Quæ fortunati temporis esse solet.
¶ Pes mihi, qualis erat quandoque Erymanthidos ursæ,
Quam dedit Arctoo Iuppiter ipse polo;
Pes latus, quoniam firmæ constantia mentis
Debebit iusti rebus adesse viri.
Nunquam animi vultum muto, nisi tempora poscant,
Tempore, non rebus, sanctio nostra cadit.
Sæpe minis tentor, maneoque immotus ab illis,
Sic Boreas validis incubet arboribus.
Adde quod oblatis eadem gero pectora donis,
Quæ tamen in vulgo sæpe valere solent.
¶ Dextra tenet clausos loculos coriumque revinctum·
Non tribuo nisi quod fasque decusque iubent;

96 concudit *1.* 98 Iustitiæ *2. sqq.* ſpeciem *edd. vet. m. corr.* 100 Cuiq; *1. sed antiqua manus corr.* Q. 103 pena *1.* 106 spatiis *6. 7.* 108 ædere *2. 3.* 112 suspicione *2. sqq.* 113 Libici *1.* Lybici *2. sqq.* Libyci *6. 7.* 115 preceps audatia *1.* 121 Ovid. Trist. I. 4, 1. 122 Iupiter *6. 7.* 127 Sepe *1.* 128 incubat *6. 7.* 130 Que *1.* ſepe *1.*

Parcus in immeritos ego sum, dextraque tenaci
Non sino inutiliter parta labore rapi;
At largus, siquando decet, si invitor honore:
Hinc iacit invisam larga sinistra stipem;
Pauperibus dono, per egentes largior amicos,
Et teneo superet quod mihi quodque meis.
¶ Vestibus incedo cultis, velorque decenter,
Et placet ornatus, munditiæque mihi;
Non tamen ut molli videar male tectus amictu,
Veste tegor fortis quam decet esse viri.
Consuevi in gestu pulchrum servare decorem:
Hoc solet intentos conciliare animos.
At siquid turpe est medioque inamabile vulgo,
Dedecet et magnis officit ingeniis.

FINIS.

ELEGIACVM
PETRI SCHOTTI ARGENTINENSIS
CVIVS ARGVMENTVM EST
VT MORE ALIORVM ARTIFICVM SCHOLARES QVÆRANT
ET PRÆCEPTORES ET DOCTRINAS NOBILIORES.

Quernis molitur quisquis compagibus ædes,
Tentat Dædaliis proximus esse viris:
Lysippum superare student qui marmora cælant,
Pictor Apelleum vincere gestit opus;
Quoslibet observes, vilis sit cerdo coquusve,
Culmina quisque sua certat in arte sequi.
Scilicet id laudem generat, precium quoque laudis
Scita dat artifici, dulcia lucra, manus.
Quid pudor, o pueri, linguæ præclara Latinæ
Quum passim occurrant, turgida scripta legi!
Asse licet veniat magni iam Musa Maronis.
Et scombris Cicero det licet ipse togam:
Crassa tamen crassis blateronibus acta iuventus
Pergit, illepidos fundit ab ore sonos.
Quid iuvat innumeros totiens iterasse modistas,
Si nequeas docte subdere verba decem?

---

[136] inuiſum *sic 1. sqq.* invisam *6.7.* [137] largio *6.7. Trochaice positus conparativus.* [138] meis] n. eis *1.* [140] mundiciæq; *2...5.* Finis *om. 2. sqq.*

QVÆR.] querant *1.* [2] Dedaliis *1.* [3] Lisippum *1. Sicyonium.* [4] Appelleum *1.* [9] ligue preclara *1.* [11] veniat *1. veneat.* [15] modistas *i. e. qui de modo discendi studendique, de modo versificandi, epistolandi, abbreviandi similibusque modis scripserunt.*

Expedit affatus citius quam regula linguam:
Verba Latina cupis? verba Latina lege.
Ergo tibi vocem Romana volumina fingant,
Sic tamen ut vitam lex regat usque dei:
Nempe fugit sceleri vinctam sapientia mentem,
A domini veniens incipienda metu.

[17] cicius *I.* liguam *I.* [21] Initium sapientiæ timor domini.' *Psalm.* CX. 10.

VLRICVS HVTTENVS
HERMANNO TREBELIO NOTIANO
POETÆ LAVREATO

unde et quando carmen quod edidimus vol. I. p. 8. num. IIII. scripserit, parum constat; putaverim autem factum esse a. 1508. dum Huttenus Francofurto ad Viadrum relicto Pomeranicas oras peragraret.

VLRICI HVTTENI

EQVESTRIS ORDINIS POETAE

IN

WEDEGVM LOETZ

CONSVLEM GRIPESVALDENSEM IN POMERANIA

ET

FILIVM EIVS HENNINGVM

VTR. IVRIS DOCTOREM

QVERELARVM LIBRI DVO

PRO INSIGNI QVADAM INIVRIA SIBI AB ILLIS FACTA.

[*A. M.D.X.*]

HERMANNVS TREBELIVS NOTIANVS
POETA LAVREATVS
in persona Lossii.

Numen Pieriis inest poetis,
Libertas, animus celebritasque,
Maiestas quoque, regia et potestas,
Et sunt cura deum sacri poetæ,
Chari principibusque regibusque;
Immo (vera loquar, nec ore ficto)
Res est maxima maximus poeta.
Sed cur Lossius ista nesciebam?
Eheu, numina ferreæque Parcæ
Debebant modo quem fero poetam.
DIIS AVSPICIBVS

Ante sequens hexastichon in *1.* est

Ad ſedecimuiros Gymnaſij Roſto-|chienſis Vlrici Hutteni Epiſtola cū Tetraſtichis in ſingulos.

quæ exhibuimus vol. I. p. 10...13. num. VI.

HER. TREBELIVS
LECTORI
DE DVOBVS LOSSIIS.

Hic canitur, lector, tibi Lossius unus et alter,
Et pater et natus, fraude doloque pares:
Res tamen hæc potius nati est, quia perfidus ille
Insidiis vatem deprimit innocuum;
At genitor quia fert spolium, describitur una
Lossius hic natus Lossius atque pater.

Carmen quod

AD CHILIANVM REVTERVM I. V. D.
V. HVTTENVS

exemplari Querelarum amico transmisso inscripsit primum editum est vol. I. p. 13...15.

Cf. Indicem bibliograph. Hutten. p. 4*. num. VI.

Exemplaria primæ editionis sex quæ extare scio (nam de Vratislaviensi an extet adhuc incertus sum, Zittaviense autem post editum indicem bibliographicum ad manus mihi venerat), præter Londinense, ipsius Hutteni manu correctum auctumque, quo de notitiam adcuratam diligentiæ humanitatique cl. v. Reinholdi Pauli, nunc Tubingensis, debeo, ipse omnia tractavi. Similes magnamque partem easdem plane emendationes atque Huttenus Londinensi exemplari sua manu adscripsit, aliæ veteres manus etiam Gryphiswaldensi (olim Wolgastensi) et Gottingensi et ei quod meum adpellavi adscriptæ leguntur; at ubi a me adnotatum est de veteribus manibus non addito Hutteni nomine, non id exprimere volui deesse eam emendationem Londinensi exemplari, sed id solum, eam mecum non communicatam esse, itaque me nescire utrum Londini extet an non. Mohnikio gratias debemus quod nobis hoc Huttenicum opus restituit, sed gratitudo veritatem offendere non debet: multa primus ille post auctorem horum carminum editor laudabilia præstitit, multa autem idem deliquit, quod in primis de versione Germanica dicendum esse mihi videtur. Münchianæ autem operæ nimium fere tribueret honorem si quis eam alicuius pretii esse iudicaret.

---

[1] Hoc Herm. Trebelii carmen hendecasyllabum quale in exemplo *1.* est, dedimus Ind. bibliogr. Hutt. p. 4*. num. IV. 1. (omisit *3.*) Quasi e regione Vigilantii hendecasyllabum ad calcem Querelarum positum est. [8] Cari *2.* [9] Imo *2.* loquor *2.* [13] Debebant] iure iusteque eam pœnam mihi inrogaverunt, ut quæ me conficiunt carmina poeta a me læsus ederet. [14] *om. 2.* [24] hec *1.*

VLRICI HVTTENI
IN
WEDEGVM LOETZ
ET FILIVM EIVS HENNINGVM V. IVRIS DOCTOREM
GRIPESWALDI IN POMERANIA
QVERELARVM LIBER PRIMVS.

[Elegia I.]

Dii, quibus extremi diffusa potentia mundi
    Cessit, et hoc totum est omnia quicquid habent,
Vos miser Huttenus lachrimis accersit inultis,
    Et querela, siqua est, voce requirit opem.
Respice, Christe, meos, ita tu quoque passe, labores, | Fortunæ Hutteni.
    Cum tibi mundanus indueretur homo;
Respice non veteres casus, sed temporis huius,
    Quam sint fortunis omnia dura meis:
Ecce furit teneros vehemens quartana per artus
    Et caput exhaustum est viribus omne suis,
Atque ubi desævit tremebundum in corpore frigus,
    Ingruit Aetnæo non minor igne calor;
Ipsa etiam est imis vis morbi incussa medullis
    Siccaque concusso pendet ab osse cutis;
Si pedibus conor malefirmum attollere corpus,
    Fessa sub hoc tenui pondere crura labant;
Si manuum offitio consuetos molior usus,
    Vix possunt siccas brachia ferre manus;
Nunc humero caput est fultum hoc, nunc incubat isti;
    Nulla mihi potus gratia, nulla cibi.
Hæc graviora facit lapsis penuria rebus,
    Quæque metum dubiæ cura salutis habet.

---

[1] Dii] *Littera D in 1. non expressa est, ut a miniatore adpingeretur.* [2] quidquid *2.* [3] lacrymis *2.* [11] de feuit *1.* [12] Etneo *1.* [17] officio *2.* [21] Hec *1.* [22] Queq3 *1.*

Quoque minus valeam, nullis hic fungor amicis
Qui possent tantis me relevare malis;
Et patria careo nimiumque iis urbibus absum,
Quas bonus implicito flumine Mœnus adit.
Undique tristitia est, ex omni angustia parte,
Circumquaque aliquid me facit esse gravem.
Hæc tamen ut patiar: superat longum omnia tempus:
Non tantum morbo pauperieque premor:
Bis fera cessit hiems, toties æstate peracta,
Et valetudo manet quæ fuit ante mihi,
Nec levius patior, morbus quoque tempore crescit
Fœdaque crescendo est viribus aucta lues:
Sic vaga continuis augentur flumina rivis,
Sic rogus insurgit qui modo parvus erat:
Non querar ista tamen, neque enim quæ ferre necesse est
Hæc indignato pectore ferre licet:
Sed movet in nobis miserandam Lossius iram, Lossii crudelitas.
Diis notum est liceat quam mihi iure queri;
Ille, febres præter, mortali vulnere presso,
Accincto longæ, Sorte iubente, viæ,
Infandum, misero foturas corpore vestes
Abstrahit et, morbum quod gravet, addit onus.
Nulla viro pietas, neque enim miseratur euntem,
Ut decuit, longum per grave frigus iter.
Dii, notum est vobis, quantum isto ex tempore pestis
Aucta sit in nobis quæ fuit ante minor;
Ipsum etiam vulnus concepti frigoris intus
Intendit vitæ prompta pericla meæ;
Qui iacui durum vehementi frigore corpus,
Semineces morbo concutiente manus,
Quique peregrinos in concava vulnera fletus
Commovi, ut varia sum revocatus ope;
Quem non permoveam? cui non miserabilis essem?
Res foret hæc duris illachrimanda feris;
Tunc Phalaris potuit posito flevisse iuvenco,
Busiris mœstum congemuisset opus,
Tunc ferus Eurystheus, tunc Thracius ore tyrannus
Dixissent 'pœnis est minor ille suis';

---

26 Menus *1.* 31 estate *1.* 37 que *1.* 38 Hec *1.* 39 miserandum *2. 3.* 42 longe *1.* 48 que *1.* 50 promta *2.* 54 sum *1.* reuocatus] cf. Verg. Aen. V. 476. 55 illacrymanda *2. 3.* 57 cf. dialog. Phalarism. §. 59 Euristheus: *1.* Thratius *1.* tirannus *1.* *i. e. Tereus.*

Movissem torvumque Scynim crudumque Procrustem,
    Traxissem rabidas a feritate tigres;
Omnia movissem, sed enim qui cætera vincit,
    Sævior in nobis, Lossius, esse potest:
Hunc rupes inter duræque ad robora quercus | Attende.
    Nutriit uberibus Aphra leæna suis,
Huic, ubi natus erat, quo nil crudelius esset,
    Dispositrix vitæ saxea corda dedit.
Hæc queror, o superi, donisque ad templa relatis
    Ferre pias iusta vos precor aure preces:
Dura ferat qui dura dedit, quique undique sævit
    Cuncta habeat quæ sint sæva inimica sibi!
Ille meas febres, ille horrida vulnera sumat,
    Ille ferat casus, ordine quemque, meos!
Imprecor ista quidem, sed adhuc graviora meretur,
    Omnia sunt vestræ debita iustitiæ.

[Elegia II.]

FACINVS LOSSII.

Tempus erat quo post ductos ex ordine menses
    Octupes occiduas Cancer inibat aquas,
Undique vis hiemis rapidos constrinxerat amnes,
    Undique concretus frigore pontus erat,
Et iam digressum Pomerana ex urbe parabam,
    Durum opus et nimium viribus acre meis:
Vertere iter potuit, si vellet, Lossius illud: | Causa direptionis.
    Huic ego tunc sumpto debitor ære fui;
Sed petii, ut sineret, neque enim iam reddere possem,
    Fortunam alterius me subiisse loci,
Sive quid ingenio quæsitum, sive per arteis,
    Quo possem lucro reddere sumpta viro.
Annuit et dixit 'Quod abis, ita forte necesse est,
    'Ergo tibi dabitur, non potuisse, satis',

---

[61] tornumq; *1.* Sinim *2. 3.* procuftem *1.* *Ovid.* her. II. 69. sq. „... torvusque Procrustes, Et Sinis, et tauri mistaque forma viri". Cf. dialog. Phalarism. [64] Scenio: *1.* [65] dureq; *1.* [68] Afra *2. 3.* [71] feuit *1.*

[1] Tempus] exeunte decembri a. 1509. *Ovid.* Fast. I. 311. sqq. „Ergo ubi nox aderit venturis tertia Nonis Sparsaque cælesti rore madebit humus, Octipedis frustra quæruntur brachia Cancri: Præceps occiduas ille subivit aquas". [5] Pomer.] Gryphia. [8] sumto *2. 3.* ere *1.* [12] reddere pecuniam mutuo sumptam cum usuris. [14] dabitnr: non potuiffe: fatis· *1.* i. e. *quod debitam pecuniam exsolvere non potes, pro satis datione tibi permittitur.* versum sine interpunctione exhibent *2. 3.* Cf. eleg. V. 79. sqq.

Sive dolis atque hæc simulata mente loquutus,
Sive ita pro mentis nobilitate suæ;
Cum molirer iter susceptum atque arva tenerem,
Emisit comites perfidus ille suos:
Forte fuit iuxta salices ex ordine natas
Alta palus duro pervia facta gelu;
Hac ibam timidusque nihil tutusque favore,
Ut peterem docti mœnia Rostochii:
Erumpunt subitoque viri crudele minantur,
Ni faciam parvas omnia dando moras.
Oravi fudique preces crudelibus istis,
Nec puduit tristes complicuisse manus,
Restabamque nihil, neque enim restare valebam
Effetusque febri vulneraque illa gerens:
Oranti, qui primus erat, morbumque querenti Raptorum ferocitas.
'Non dubita, tecum iam bene' dixit 'erit',
Detraxitque humero vestes: ego plurima flebam
Et duxi oratos in pia vota deos;
Tendit in adversum longa ille hastilia pectus
Atque ait 'Hic, taceas ni modo, vulnus erit'.
Deposui raptos humerum nudatus amictus,
Cætera crudeles eripuere viri:
Parva fuit modicis ita tunc compacta libellis
Sarcina de nostro fertilis ingenio,
Hanc tenui saltem: nam qua ditescere possent,
Non, quanquam cupidis, illa rapina fuit;
Testatusque deos, cum nil fera corda moverem,
Rapta est ex manibus sarcina tenta meis;
Nudato illusere viri pariterque ferebant
'I nunc et magni nomina Vatis habe!
'Forte novas aliquis, modo decantaveris illi,
'Donabit vestes nudaque membra teget'.
Atque ita ridebant; ego quam per frigora possem,
Aggredior cœptam continuare viam.
Quanta dehinc passus fuerim, quia multa ferebam,
Non patitur durus commeminisse dolor;

---

[16] mentis *1.* [18] Etiam a. 1491. Wedegus Lotze consul homicidii reus factus fuerat, quod iuvenem litterarum studiosum Gerhardum Berndes per lictores suos hiemali tempore captum vulneratumque in vincula coniecerat, in quibus frigore interemptus est. Cf. Kosegarten *Gesch. der Univ. Greifsw.* 1857. 4°. tom. I. p. 107. 136. sq. [25. sqq.] Cf. epigr. ad Maximil. 14. [39] diceſcere *1.*

Summa tamen pateant: ita vixi, ut vivere nollem,
    Et visum est tantis hoc superesse malis;
Morbus adhuc mecum est et ea valitudine plector,
    Quæ tunc est nimiis concita frigoribus.
Vix aliquid scribo, sed quæ nunc scribere cogor,
    Vix sunt in tanta condita tristicia,
Atque ea, sollicitos inter conficta dolores,
    Omnia cum lachrimis sunt agitata suis;
Dumque meus somno sub nonam Lossius horam — Studia Lossii.
    Solvitur et placidos gaudet abire dies,
Aut mihi per laceros vigilata nocte labores
    Rumpitur aut studio quæ solet esse quies.
Iactet opes igitur faustamque ex tempore vitam,
    Luxuriæque suæ nesciat ille modum;
Rideat enummes ærumnosasque Camœnas
    Et malit tepidas vivere delicias:
Nos celebres arteis pulchro iungemus honeste,
    Peste etiam multos continuante dies;
Vicerit insanos constans Pacientia morbos,
    Vincetur studio perfidus ille meo.
Nec dolet iis vinci, sed tunc fortasse dolebit,
    Quando sciet male se consuluisse sibi:
Ipsa graves etenim Virtus neglecta dolores — Virtus neglecta.
    Aggerit et tacito turbine pectus agit.
Hæc utinam veniant, nec me spoliarit inultus
    Qui nunc de nostro gaudet ovatque malo.

[Elegia III.]

AD PRÆCLARVM ADOLESCENTEM
WOLFGANGVM DE EBERSTEYN
NAVGARDIÆ COMITEM POMERANVM.

Parve Comes, non parve tamen, quia tradita virtus
    Sæpe fuit parvis maxima corporibus;

---

[53] valetudine *2:3.* [56] tristitia *2. 3.* [58] lacrymis *2. 3.* [60] placidus *1.* [61] labores] *sic habent 1. 2. 3.* dolores *æqualis Hutteno manus adscripsit exemplo meo.* [62] que *1.* [63] opus *1. sed ipse Huttenus exemplo Lond. et vet. manus exemplo meo corr.* [65] enummes] ærumnas *coniect. 2. male.* [69] patientia *2. 3.* [71] iis *monosyll.* vnici *1.* unici *2. 3.* („*Ihm nur ist fremd das Bedauern*". [!] *Mohnike.*) *In ex. meo vet. man.* vinci. [73] etenim *1.* [75] Hec *1.*

præclarū *1.* De gente comitum Ebersteinianorum Mohnikius refert Ottonem filium Brunsvicensis comitis Dieterici de Eberstein a duce Alberto Brunsvicensi a. 1256. cæsi (*Kranz* Saxoniæ VIII. 21.) ab episcopo Caminensi Her-

Parve Comes, non parve tamen, quia gloria dispar
Sæpe etiam teneris fulsit in ingeniis:
Si miser Huttenus prece te miserabilis urget
Et petit afflictis undique rebus opem,
Quid dubitas miseros demittere in aure rogatus?
Quidve negas vultum quem decet esse tibi?
Nec te difficilem nec te decet esse superbum:
Convenit ætati frons bene læta tuæ.
Si tibi, quæ nobis, eadem fortuna fuisset
Aut esses simili conditione miser,
Nil magis optares quam qui succurreret unum,
Quique tuis posset obvius ire malis;
Quod tunc optares, mihi nunc optare licebit,
Fortuna ex omni nubila parte mea est:
Quicquid erat rerum malesano Lossius ausu
Abstulit, ingeniis pestis iniqua bonis;
Nudus eo, vestram perveni nudus in urbem,
Quicquid erat rerum, Lossius omne tulit.
Res tulit, ut potuit; sed me divina voluntas
Ingenio nondum fecit abire meo;
Ingenium mecum stabilissima munera porto:
Suscipe iuditio dona probata tuo
Cumque suo Hutteno socias assume sorores;
Pars melior nobis parte abeunte manet.
Quidquid id est, toto iuvenis tibi serviet ævo
Atque erit ad nutum nostra Camœna tuum,

---

manno de Gleichen, avunculo suo, comitatum Naugartensem in feudum accepisse; hunc Wolfgangum autem patrem habuisse Ludovicum II., qui ut comitissam de Hohenstein in matrimonium ducere posset, episcopatum Caminensem per septennium a se gestum deposuisset. Wolfgangus anno 1505. Gryphiswaldiam venerat, ubi anno 1507. rectoratum gessit, in quo Henningum Lotze successorem habuit; inde anno sequenti Rostochium petiit ibidemque anno 1509. rectoratum gessit, successoremque habuit Iberum Grot. Cum anno 1518. episcopus Caminensis electus esset, Boguslaus X. eum confirmare noluit, effecitque ut defuncto episcopo Martino Karit, quem in peregrinatione Hierosolymitana (anno 1496. sq.) comitem habuerat, Erasmus Manteuffelius succederet; itaque præpositura cathedrali aliisque muneribus acceptis Wolfgangus contentus esse debuit. De morte viri neque Mohnikio neque mihi constat. Parvitas hominis magis ad corporis staturam quam ad ætatis brevitatem Mohnikio referenda esse videtur, cum certe non multos post Huttenum annos natus fuerit is qui a. 1507. rector eligeretur. sed cf. vv. 2.4.10.62. [7] rogatus] *i. e. rogationes.* [8] docet *1. sed Hutt. in ex. Lond. et vet. manus (quam Hutteni esse falso putavit Mohnikius) in ex. meo corr.* decet. [10] Etati *1.* [11] que *1.* [17] Quidquid *hic et* v. 20. *hab. 2.3.* [22] focit *1.* [24] inditio *1. sed Hutt. et vet. m. corr.* iuditio. *In 2.3.* iudicio *est.* [25] Cunq; *1.* [27] Quidquid *h. l. etiam 1.*

Inque tuas laudes ferventi moliar ore:
Num cupis, o, fato candidiore frui?
Hæc tibi, clare comes, fato meliore, ferentem
Suscipe, fortunas commiserate meas,
Quodque tibi cuperes fieri, si tu miser esses,
Huc ades et lapsis suggere rebus opem.
Respice in humanis quæ sint discrimina rebus,
Respice quam varium Sors agat imperium: Fortunæ varietas.
Quæ mihi nunc dura est, potuit quoque ludere tecum;
Non certum est hoc te posse manere statu.
Finge tuas volucer veniat Vulcanus in ædes,
Et centum indomito diruat igne domos;
Finge tuas præceps ruat ut Neptunus in agros,
Spemque anni, lætas deiiciat segetes;
Finge repentina confectos morte parentes
Ante diem miseras exposuisse animas,
Et cum iucundis affines cedere amicis:
Quid superest illa conditione tibi?
Dii tamen avertant, ne te mala tanta sequantur!
Et tu fortunæ sic memor esse velis,
Quæque tibi nondum nocuit, potuisse memento:
Illa quidem ancipiti datque rapitque rota:
Atque ubi cognoris mentemque immerseris illis,
Fortunæ tandem commiserere meæ:
Tot crucior morbis, absumque remotus ab illis,
Unde foret misero spes capienda mihi;
Rebus egens et inops curisque afflictus amaris,
Quamcumque aspicias, hac ego parte premor.
Hæc te permoveant, nec sis in cætera durus,
Auxilioque velis qua licet esse mihi.
Sic tibi cum membris animus quoque tempore crescat,
Et vivas multos hac probitate dies,
Nec tibi Fortunæ facies aversa geratur,
Et super æquales sit tibi partus honor.

---

30 condidiore *1. sed corr. Hutt. et vet. man.* 31 Hec *1.* 36 Fortune *1.* 47 Que *1.* 39 edes *1.* 49 Queqꝫ *1.* 50 Hæc Fortunæ imago innumeris Huttenianorum opusculorum locis redit. cf. impr. dialog. Fortunam. 52 Fortune *1.* 53 Miror, quod etiam Mohnikius miratus est, ne hoc quidem loco matris mentionem facere auctorem, cum præsertim ipsa quoque e gente Ebersteinia, quamvis non illa Pomeranica, oriunda fuisset. 56 Quamcunque *2. 3.* 57 Hec *1.* permoneant *1.* cf. eleg. I. v. 55. 61 fortune *1.* 62 equales *1. De rectoratu dictum.*

[Elegia IIII.]

AD IOACHIMVM NIGEMAN
COLLEGIATVM ROSTOCHIENSEM.

Tu quoque, Pomerias celebris Ioachime per oras,
Et titulo et rerum pondere nomen habens,
Musicus Huttenus fortunam expertus iniquam
Et male sublimi trusus ad ima loco,
Nudus, egens, expes, desertus, febribus ustus
Confugit ante oculos, littora visa, tuos:
Sic aliquis longo lassatus navita ponto,
Quod vidit primo lumine, littus adit:
Te mihi præcipue magno rude vulgus honore
Extulit, et famæ est copia pulchra tua,
Atque aliquis dicit 'Prece si pulsaveris istum,
'Mittet opem votis auxiliumque feret'.
Non temere scribo, fidis persuasus amicis;
Nec movet ingenium causa sinistra meum:
Invida paupertas atque hæc violentia morbi
Nonne viros possent sollicitare graveis?
Tempus erat quo me clementior aura fovebat,
Quo carui morbo pauperieque mea:
Tunc alios etiam privata sorte iuvabam,
Et nulli nostrum defuit auxilium:
Quæ fuit in nobis pietas ita præstita multis,
Hæc moveat vultus, o Ioachime, tuos,
Sisque mihi facilis precibus persuasus honestis:
Dextera sub quovis iudice causa mea est:
Non mihi, siqua fuit, ludendo perdita res est,
Cum foret ad cupidas alea iacta manus;

Ad hunc Nigemannum non nisi ex hoc Querelarum libro nobis notum Huttenus etiam tetrastichon nonum scripsit, quod dedimus vol. I. p. 12. Roſt. *1.* [1] Tu] *Littera* T *miniatori adpingenda relicta est in 1.* [3] Musicus] De poeta usurpant etiam veteres sæpius. [5] exspes 2. *sqq.* [6] littera *1. 3.* littora. *ut vet. man. in suo, nunc meo exemplo correxit, scripsit 2. et adnotavit, aperte* littora *scribi debere, et vertit ‚Zuflucht sucht er bey dir, dir, dem erblickten Gestad' [quasi per maria iactatus* Land, Land! *exclamaret]. Ipse quoque, propter v. 8. veterem illam manum sequor, cum mihi persuaserim eam ad exemplum ab ipso Hutteno emendatum. ut est Londinense in museo Britannico servatum, menda typographica sustulisse, quamvis Mohnikii error esset veterem illam ipsius Hutteni manum esse, quæ alicuius lectoris est, præceptoris, ut tum faciebant, glossas adnotantis.* [9] precipue *1.* [15] hec *1.* [18] carni *1. sed* carui *Hutt. exemplo Lond. et vet. manus adscripserunt.* [21] Que *1.* prestita *1.* [22] Hec *1.* [24] causa *1.*

Non oculata meos diduxit tessera nummos,
Nec volucer positas talus abegit opes;
Nec me vina, dapes et inepto scorta favore
Fecerunt humilem sortis adire statum:
Est in Pomeriis spoliator Lossius oris, Lossius spoliator.
Ille meas vestes ceteraque ille tulit.
Nec quicquam in causa est, cur me spoliarit inultum
Obsessor patulæ prædam agitando viæ:
Vis illata mihi et tumido violentia fastu,
Hanc furiam in damnum compulit ire meum.
Quod factum est nobis potuit contingere tecum,
Si nescis, varias sors premit arcta vices.
Nec mirum est mihi si voluit Fortuna iocari, Fortunæ varietas.
Sæpe vel hæc magnis ludit in ingeniis.
Cerne novos casus, priscam reminiscere sortem,
Et, potes, in nobis mollia corda gere:
Dii tibi, siqua mihi tribuas, in tempore reddant
Et meritum hac precium pro pietate feras.
Tu tamen, ut veterum rimasti scripta virorum,
Ut private arteis scisque docesque bonas,
Ut sophiæ cultor sinuosa volumina tractas,
Ut calles docto plurima digna viro,
Scis equidem tanta quæ pro pietate parentur,
Quid sit in afflicta sorte fuisse pium.
Pauper in hoc mundo, nec cultu divite vixit
Christus in humana conditione Deus,
Atque inopes idem divino sustulit ore Ab exemplo
Pauperibusque altas ipse recepit opes;
Martinus nudo pallam discidit egenti,
Perpetuum sibi nunc induit ille decus;
Pavit et Elisabet mensisque induxit egenos,
Nunc tamen æthereis vescitur illa cibis.
Omnia pro merito nobis pia numina reddunt,
Sive bonum sive es quicquam operate malum.
Nec posses alium potius quam me miserari:
Multum atque ex omni parte fatigor ego,

---

[33] quidquam *2. 3.* [34] prędam *1.* [39] Fortune *1. ad marg.* [40] Sepe vel hec *1.* [44] pretium *2. 3.* [46] private *olim ap. Cic. ad Att.* VII. 7. *legebatur pro* puto tu. *Possis autem etiam* privato. [49] que *1.* [53] Cf. Matth. V. 3. Luc. VI. 20. [54] recoepit *1.* [55] Nota de S. Martino Turonensi fabula. [57] Elisabeth *2. 3.* Hungariæ regis filia, Ludovici IIII. Thuringici vidua, † a. 1231. [58] Ethereis *1.* [60] operate] *metri c. pro* operatus. Cf. Proverbior. X. 29. et Pauli ep. ad Rom. II. 10.

In me grassatur vicibus quartana remissis
Et iaceo vacuum peste furente caput; Morbi Hutteni.
Vivida tabidulum contendit ad ilia vulnus,
Nec mihi luce aliqua est nec mihi nocte quies;
Huc fera paupertas fatis accedit iniquis,
Huc longe a patria terra remota mea;
Lossius huc raptor, iam nunc quoque fervidus ira:
Omnia sunt fatis horridiora meis.
Respice tot casus, animi miserere cadentis,
Sic habeas placidos in tua vota deos.

[Elegia V.]

AD ILLVSTRISSIMVM POMERANIÆ DVCEM BVGSLAVM.

Maxime tot princeps hominum, tot in urbibus unus
Cuius ad imperium cetera turba facit,
Pomera cui tellus certa ditione ministrat,
Cui bona fœcundos Rhugia nutrit agros,
Qui præclara tenes ex rebus nomina gestis,
Qui nisi quos Virtus præbet amas titulos,
O generis spes una tui, spes una tuorum,
Cuius in hoc fœlix tempore fama viget,
Si licet, emunctam post mille negotia mentem
Solve, pias miseri commiserate preces:
Cum sedeas iudex, causas censure tuorum, Ab offitio.
Et veniant ad te dives itemque miser,
Vertere in afflicti mæstissima fata poetæ
Et prosit causæ iusta querela meæ.
Non ego te donis captoque impello favore,
Non ego te falso vincere teste volo:
Causa mea ut iusta est, ita te sub iudice vincat,
Et noceat fictas composuisse preces;

Boguslaus X. s. Magnus, Pomeraniæ dux, nat. a. 1454., post patris Erici II. mortem a. 1474. partem Pomeraniæ et post avunculi Wratislai X. mortem a. 1478. totam Pomeraniam regnavit. Vir pius, strenuus, iustus ac severus, academiæ Gryphicæ a. 1456. conditæ diligens curator, codem quo Huttenus a. 1521. e vita excessit. Vitam viri egregie enarrat Kantzovius p. 134. sqq., et de Bugslai peregrinatione ad s. sepulchrum a. 1496...1498. facta diarium extat itineris socii principi ab epistulis Martini Dalmar, in Wilh. Böhmeri (Thomas Kantzows Chronik von Pommern. Stettin 1835. 8⁰. p. 300...326.). Cf. etiam quos Mohnikius laudat et Kosegarten I. p. 131. sqq. [2] Cuius *vet. man. in 1. ex* Cum *fecit.* cætera *2. 3.* [8] felix *2. 3.* [13] maestiss *1.* moestissima *2. 3.*

At mittet sua dona pater, sua munera natus
Lossius, et causam largitione geret. Lossiorum largitio.
Non ea tu sumes (neque enim tam vana verebor),
Tentabunt tamen ii sollicitare tuos,
Atque aliquis forsan, ubi ceperit ista, tuorum
Dixerit in parteis obvia quæque meas.
Sume animos, princeps, fraudesque immobilis illas
Cum bene vitaris, omnia cautus age.
Subdola magnanimos infringunt munera reges, Munera.
Et fama est ipsos hæc quoque velle deos;
Corrumpunt etiam causas sub iudice iustas
Et versant nutu iura fidemque suo;
Hæc oculos possunt etiam obcæcare severos,
Ne videant quæ sint turpia quidque bonum.
Qui semel hæc sumpsit, semel hæc cui visa libido,
Semper habet cupidas muneris ille manus;
Et qui dona capit, nihil inconstantius illo,
Fluctuat in parteis consilioque labat;
Nec bene possibile est illum dare iura roganti
Qui plus ex una parte favoris habet.
Non loquor ista tamen, quia de te suspicer illud
Quo solet in vulgo quilibet esse levis: Principis magnanimitas.
Deiiciunt faciles ingentia flumina campos,
Non eadem scopulos saxaque dura ruunt:
Sed vereor ne quis noceat mihi, dumque ego simplex
Nil coner, tacitos misceat ille dolos;
Cumque aliquid possit præsens facundia maius,
Disponat monitus antevenire meos.
Quicquid id est, dux magne, meas ne sperne querelas:
Accipiunt humiles numina magna preces,
Atque ea ab innocuis et paupertate moventur
Et magis a tristi pectore vota legunt.
Non moveat si parva meæ est iniuria causæ,
Sed tanta est, animum tangat ut illa tuum:
An nihil est, quæ tu pro libertate tueris, A rei magnitudine
Hæc aliquem citra contemerare, fidem,

[23] coeperit *1.* [24] queq3 *1.* [33] hec *1.* sumsit *2. 3.* hec *1.* [37] rogant *1. sed vet m.* roganti. [45] facundia *1. sed Hutt. in ex. Lond. corr.* [46] Disp.] *Lossius. ut insidiæ, vigiliæ disponuntur.* monitos *1. nec Hutt. nec vet. m. quidquam mutarunt; recte tamen* monitus *2. 3.* [47] Quidquid *2. 3.* [49] *Exemplo meo vet. m. adscripsit versus Ovid. art. am.* I. 363. *sq.* Tunc cum tristis erat, defensa est Ilios armis; Militibus gravidum læta recepit equum. [54] Hec *1.*

Iusque datum regni sumpto violare furore
    Atque ire in leges imperiumque tuum?
Hæc si parva tibi posita gravitate videntur,
    Et potes ipse tuis obvius ire animis,
Paulo aberit, quando populo sperneris ab illo
    Quem nunc legitima conditione tenes;
Paulo aberit, tua cum violata industria pace
    Fiet finitimis invidiosa locis.
Magna est impietas, qui publica iura prophanat; Iniquitas Lossii.
    Non levior, fieri qui sinit ista, tamen.
Tu ne igitur tam durus eris, tam ferreus, inquam,
    Ut possis patriæ nescius esse tuæ,
Vimque sinas fieri cuiquam violenter in illa?
    Nec malis leges omnibus ire pares?
Si mihi non falsa est quæ de te fama vagatur
    Quæque tuos mores ingeniumque probat,
Non impune feret summi contemptor honoris,
    Si quisquam est leges ausus inire tuas.
At solet afflictos rebus spoliare poetas
    Lossius, assensu consilioque patris:
Ille, ubi tu regnas, ubi libertate paterna Læsus princeps a Lossio.
    Tracta tibi a longis regna tueris avis,
In miserum Huttenum supremam exercuit iram.
    Quære quid hic iuris subroget ille sibi:
An, quia debebam quæ tunc non reddere possem,
    Propterea vis est non male facta mihi?
Quin abitum pepigi, quem perfidus ille remisit,
    Et sunt ad nutum singula facta viri; Perfidia Lossii.
Nunc tamen ille negat, dum pro se plurima fingit,
    Quem constat facti pænituisse sui.
At mihi detractas ægroto a corpore vestes,
    Quodque tuli in duro tristia multa gelu,
Si te quid miseret, miseri miserere poetæ:
    Res est ista tuos digna movere animos:
Non ego sum frigus mediocri triste dolore
    Passus, in afflicto corpore febris erat; Tempore morborum spoliatus.
Insuper et vulnus lateri lachrimabile nostro
    Hæsit et ex omni parte dolendus eram.

---

[55] sumto *2.3.* (Ius regni *non est*, *quod 2. dedit*, 'die verliehene Herrschaft'.) [57] Hec *1.* [63] profanat *2.3.* [64] que *1.* [70] Queqȝ *1.* [71] ſumpti *1. sed a vet. m. corr.* summi. [78] Quere: *1.* [79] que *1.* Cf. eleg. II. v. 13. sq. [84] penituiſſe *1.* poenituisse *2.3.* [85] egroto *1.* [86] Q qȝ *1.* [91] lacrymabile *2.3.*

Hæc poterant monuisse virum, qui mobilis esset,
Hæc potuit sævas causa tenere manus:
Non tenet ille tamen, sed contra iuraque fasque
In miseros dira perditione furit.
Exige crudelis rationem reddere facti, A iustitia.
Nec patere hæc fieri quæ prohibere potes,
Quæ prohibere potes et quæ tu avertere debes,
Neu sine vim fieri sævitiamque mihi.
'Sed factum est, et quis commissa invertere posset?
'Et satis est huius pœnituisse mali'.
Si satis esse putas, nunquam plectenda putabis
Digna vel extremo crimina supplicio:
Quid potuit crudele magis contingere ab illo Summa Lossii crudelitas.
Quam si etiam vitæ sumpta rapina foret?
Non tulit hanc igitur, sed sic permisit ut essem
Qui nihil optarem quam modo posse mori:
Auxit enim morbum, quo nunc quoque supprimor æger,
Nec, certum est, sic me vivere posse diu.
Hæc quoque, quam mitto, trepidanti est edita dextra,
Sæpe etiam lachrimas littera passa meas;
Vix ea præ morbo conscripsi, et plurima possem
Addere, sed pestis non sinit iste furor;
Qui si quid levior fuerit, querar omnia coram,
Et potes in casus pallidus esse meos;
Et melius credes præsentia verba loquuto,
Sed dubium est liceat sic mihi scripta loqui.
Tu tamen interea nostris instructe querelis,
Respice fortunam pauperiemque meam,
Respice tot casus, fer opem, te iudice nobis Ad ius provocat.
Pro tanto reddat Lossius æqua malo.
His ubi permotus nostram miserabere sortem,
Et vis arbitrio dirigere ista tuo,
Inspice, quo vitam pacto traduxit uterque
Lossius, et quo sit præditus ingenio:
Ille suo miseros condemnat crimine cives, Mores utriusque Lossii.
Et facit insonteis fraudibus esse reos;

---

[93] Hec *1.* [94] Hec *1.* seuas *1.* [97] redeere *1. sed Hutt. ex. Lond. et vet. m. corr.* [98] que *1.* [99] Que *1.* que *1.* [100] Neu] Non *2. 3.* seuitiamq3 *1.* [102] penituisse *1.* poenituisse 2. [109] Anxit *1. sed Hutt. et vet. m. corr.* eger: *1.* [110] Nec c. est, sic *edd.* (*i. e.* Et c. e. non posse). [111] Hec *1.* [112] Sepe *1.* lacrymas *2. 3.* litera *3.* [113] pre. *1.* [122] equa *1.* [123] miserebere *1. sed corr. Hutt. et vet. m.*

Cumque pia castas oppressit virgine matres,
Totaque adulteriis urbs scatet ista viri,
Qui, cum inditio miseros condemnat iniquo,
Si tribui censet non sibi posse fidem,
Novit honorato (quis enim versutior alter?)
Munere præfectos sollicitare tuos;
Hos, ubi muneribus pulchroque evicerit astu,
Pro se multa tibi commovet apta loqui:
Sic tua, sic, princeps, vafer ille negotia tractans
Sæpe tibi, si phas dicere, verba dedit:
Nunc quoque forte dabit; sed si pietate moveris,
Afficient animos hæc mea verba tuos.
Hanc genitor vitam duxit, quæ publica fama est
Et fieri ex multis res tibi nota potest;
At suus ille dolis natus graviora paternis — Lossius filius.
Addidit, et nusquam est hoc genitore minor:
Ille per infectam iusto petulantior urbem
Polluit et matres virgineumque decus,
Atque alias donis, alias vi oppugnat, et ardet
Per fora, per vicos, balnea, phana, domos:
Non ego quid temere (nota est vesania) fingo;
Si fingo, turpi respue scripta nota:
Addidit huic titulos sceleri gaudetque vocari
Doctor, et in rubra veste decorus ovat; — Lossius doctor Bullatus.
Sed, quia nil didicit, quia nil nisi turpia callet,
Non patitur doctos secum habitare viros,
Insidiisque suis verum insectatur honorem.
Hi sunt ii, princeps, quorum ego præda fui.
Quo decet arbitrio, nostras decerne querelas,
Et fac ne de te sit mihi triste queri.
Sic tibi qui mundum, qui te, qui cuncta gubernat,
Sit precor extremo mitis in arbitrio.

[Elegia VI.]

AD VALENTINVM STEGETIN
PRINCIPIS BVGSLAI SCRIBAM
VT QVERELAM PRINCIPI OFFERAT.

Fertur ab Hutteno defletis scripta lituris
Per te Pomerio danda Querela duci.

---

130 urbs] *Gryphica.* 131 indicio *2. 3.* 134 prefectos *1.* 138 fas *2. 3.* tibi verba dedit] *te decepit.* 140 hec *1.* 141 que *2.* 148 fana *2. 3.* 156 preda *1.* 157 decernere *1. sed corr. Hutt. et vet. m.*

Stegetin *1. nec corr. Hutt. nec vet. m., sed exemplari Wolgastensi, nunc Gryphis-*

Hic queror, ut patria spoliator Lossius urbe
  Intulit Hutteno vim, sine iure, tuo.
Respice tot lacrimas, miserandum respice morbum;
  Si potes, et casus commiserare meos:
Olim aderas nobis studiis addictus eisdem:
  Quid pudet Aonias te coluisse deas?
Per faciles Musas, per communemque magistrum
  Perque caput nostrum, per caput oro tuum,
Perque tuam, siqua est, qua nunc capiare, puellam,
  Ne tepidum in nostro fœdere pectus agas,
Utque tuus per te videat mea carmina princeps,
  Et tandem ut spolium vindicet ille meum.
Adde tamen si quid pro nostra parte loquendum est,
  Quo pondus causæ dent tua verba meæ:
Sæpe aliqua admotis valuit contentio verbis:
  Verba movent animos, verbaque pondus habent.
Quicquid ago, dum non verbis præsentibus utor,
  Facta est, quam fuerat, iam mea causa minor;

---

waldensi in marg. adscriptum est Stoyenteyn (*sive est* Stegentyn), *non* Steygenteyn, *ut 2. adnotavit, qui exemplo Gryphisw. adscripta Hutteni manu scripta falso credidit. Ipse 2 superscripsit* Steigenteyn. *et sic etiam 3.* Stoientin *gentis nomen est, e qua hic oriundus fuit, quem Cochlæus (Heumann. documm. p. 22. n. VII.)* Valentinum Stegentin *scripsit. De hoc Hutteni Francofurtensi conmilitone Heumannus (comm. isag. p. 27. ad p. 17. ep.* VI.)*:* „In Mart. Rangonis Pomerania diplomatica p. 120. inter viros virtute ac doctrina claros, quos ista ætate episcopatus habuit Caminensis, præter alios eminere dicitur Valentinus a Stoyentin I. V. D. ... Scultetus in annal. Evang. renov. ad a. 1522. 'In Pomerania cum deferbuisset', ait, 'persequutio Treptoviæ mota et princeps Bogislaus etsi edictum Wormatiense in Pomerania ordinibus promulgaverat, tamen exsecutionem non admodum severe urgeret, dehortantibus eum Valentino Stoientino et Iacobo Wobeser et aliis piis ac eruditis consiliariis, qui puriorem doctrinam amabant *etc.*'" Ante Huttenum Stoientinus Francofurtum reliquerat, sed quamvis, cum Huttenus has Querelas scriberet, duci ab epistulis fuerit, postea iterum cum Hutteno Bononiæ studiorum socius factus est, ut Cochlæi Bononiæ ad Pirckheimerum d. 25. Mart. a. 1517. data epistula ostendit, quam repetivimus vol. I. p. 132. num. XLIX. Gratiose iuvenem a Pirckheimero exceptum fuisse eiusdem Cochlæi epistula testatur, quæ exhibita est ab Heumanno p. 22. Bugenhagio Stoientinum auctorem fuisse, ut ille suam 'Pomeraniam' (ab Henr. Balthasare Gryphisw. a. 1728. 4⁰. editam) ducibus ipsique Stoientino dedicatam conponeret, Mohnikius p. 382. rettulit, qui de viri vita ad Klempzeni librum *vom Pommerlande. Strals.* 1771. 4⁰. p. 221. 225. lectores ablegavit. De morte viri nihil mihi constat, nisi quod idem Mohnik. adnotavit, de vidua Dorothea Glinken in Ann. acadd. legi ad a. 1548. [1] Frtur *1. (pro* Ertur *ut* F *adpingeretur) sed Hutt. et vet. m. in meo et Gryphisw. exemplis corr.*

[5] lacrymas *2.3.* [9] magistrum] Vigilantium Bacillarium puto. Cf. vol. I. p. 5. p. 43. §. 33. [11] capiere *1. sed vet. m. in Gryphisw. et meo exemplis corr.* [19] Quidquid *2.3.* presentibus *1.*

Vix licuit nobis re quicquam scribere in illa;
Ut rapiat, patrios Lossius ambit agros
Insidiasque mihi quovis molimine tendit, — Lossii insidiæ.
Exercetque suas in mala nostra manus.
Cum mihi non liceat præsenti fungier ore,
Vim precor ingenio qua potes adde meo;
Adde meis pondus quovis sermone querelis,
Carminibus vivæ suggere vocis opem.
Nota mihi doctæ satis est facundia linguæ,
Notum est quam possis omnia rite loqui:
Nec dubium est quin sis nostro præstantior ore,
Tu quoniam fluido vincis in eloquio.
Pande duci studiumque meum sortemque sinistram,
Lauda illi nostrum qua licet ingenium;
Adde istuc mores, et nostræ stemmata gentis:
Non dubium est quin sit mobilis ille tibi.
Ut tamen hæc facias, nostro movearis amore,
Quem scis ex animo nondum abiisse meo.
Te quondam Odricolæ multum coluere puellæ,
Nec minor in nobis concitus ardor erat,
Frater eras, memini, qua me quoque voce vocabas,
Si memor es, fratris tu miserere tui.

[Elegia VII.]
AD LVDOVICVM HVTTENVM
EQVITEM AVRATVM.

Musa, mihi longo nunquam defessa labore,
Pro me quodquod onus quæ pacienter obis,
Per tot me morbos, per tot solata labores,
Una comes multis sæpe relicta malis,
Longa iterum metuenda tibi via, et eminus, instat,
Perge, decebit onus te subiisse meum,
Vade per Hercinium protensi fluminis Albim, — Iter in Franconiam
Cuius habet lævas accola Saxon aquas,
Atque ubi transieris magnam Brunonis ad urbem
Et vaga Brunsvigio subdita regna duci,

[21] quidquam *2. 3.* [22] insidie *1.* [25] presenti *1.* [28] viue *1.* [29] docte *1.* lingue *1.* [39] Odric.] Francofurtenses Marchicæ. [42] misere *1. sed Hutt. et vett. manus corr.*

Lud. Hutt. interempti Ioannis patrem, Frankenbergensium Huttenorum parentem, de quo in omnibus his voluminibus sæpe dictum est. [1] Usa *1. miniatori adscribenda relicta littera* M. [2] que *1.* patienter *2. 3.* [5] metienda *1. sed Hutt. et meum ex. metri causa corr.* metuenda, (*adicitur in hoc glossema* propter Lossium); metiunda *exemplar Wolgast. et 2. 3.* [7] Hercynium *2. 3.* [8] leuas *1.*

Labere trans curvi fruticosa fluenta Visurgi,
Qua tenet arboreos monticola Hessus agros;
Fagina dehinc restat montosis edita silvis,
Qua celer ulvosas Fulda refundit aquas;
Hinc pete vitiferi pigre euntia flumina Mœni,
Francia nobilibus qua iacet ampla viris; Francia orientalis.
Ipse tibi notus locus est, Ludovicus ubi arcem
Huttenus pulchra conditione tenet:
Dirige, Musa, pedes istuc, equitemque serenum
Tristis adi, lachrimas cernat ut ille tuas.
Invenies biiuges agitantem in pulvere currus, Studium Huttenorum
Aut premere armatum terga fugacis equi,
Tractantem galeas gladiosque et missile robur,
Versantem hostiles Marte favente vices:
Quicquid agat, pete, Musa, virum, pete protinus istum,
Nulla verecundi signa pudoris habens;
Viderit has lachrimas disturbatosque capillos,
Viderit in teneras unguibus isse genas.
Ingemet et dicet 'Quæ, nostræ gloria gentis,
'Causa movet fletus tam impetuosa tuos?
'An dolet Ulricus iterum sorte actus iniqua,
'Et tandem in casus incidit ille novos?'
"Incidit" exclama lachrimasque exterge profusas Lossiana iniuria.
Atque "Utinam consors" dic "foret ille tibi!
"Hunc, iuvenes sævo defectum vulnere vires,
"Quartana corpus discutiente febri,
"Et tandem varios passum, velut ante, labores,
"Aptantem fortes in sua fata animos
"Lossius invasit raptor iuvenemque superbum,
Heu mihi quam tristi, contudit invidia".
Dehinc, ubi depromis miserandam ex ordine cladem,
Duc age cum lachrimis singula verba suis:
Difficile est blandas non exaudire puellas, Puellæ.
Sæpe heæ constantes deposuere animos;
Gratia inest illis et habent quo ducere possint,
Et potes esse illa tu quoque parte valens.

---

[11] Labe *1. sed corr. Hutt. et vett. manus.* [13] *Buchonia.* cf. supra p. 5. [15] Meni *1.* [17] arcem] Trimberg *in sinistra Salæ Franconicæ ripa fere intra Hammelburgum Kissingamque sitam.* [20] lacrymas *2. 3.* [24] morte *1. sed Hutt. et vett. manus corr.* [25] Quidquid *2. 3.* [27] lacrymas *2. 3.* [29] que *1.* [33] lacrymasque *2. 3.* [35] vulnere *1.* [42] lacrymis *2. 3. Versum parum recte interpretatus est 2.* [43] puellas] *Cum sua Musa loquitur poeta.* [44] hec *1.* hæ *2. 3.*

Nusquam aberit, nusquam tactas averterit aures,
    Inque tuas tandem sentiet ille preces.
Quam tamen implores vindictam, iniuria poscit,
    Et satis ipsa in se est causa movere potens.
Tu quoque subde locum, faciemque ostende modumque,
    Quo veniat nostris ultio digna malis;
Ipse sciet merito fieri, sed nesciet artem,
    Tu doce, et hæc lachrimis adiice verba tuis:
"Est urbs in veteri Francorum condita bello, | Francophordium ad Mœnum.
    "Nunc quoque ab autorum nomine nomen habens;
"Per mediam se Mœnus agit pontemque subintrat,
    "Nec procul hinc Reni vasta fluenta petit;
"Mœnibus alta suis domibusque extructa superbis,
    "Multum etiam populi laude superba sui:
"Hanc Scytha cum Daco Rhodopesque habitator et Hæmi,
    "Hanc Macedo et Graiæ finibus ortus humi,
"Hanc Asiæ cognatus adit, venit Apher ad illam,
    "Gallus et Hispanus, Perses et Assyrius;
"Undique tot gentes adeunt populique frequentant,
    "Emporium omnigenis mercibus illa patet:
"(Tempus enim notum est) pater huc quoque Lossius ibit; | Quid de Lossio agendum.
    "Tu preme servatas obsidione vias;
"Ceperis, includas: neque enim confodere cautum est:
    "De sumpto pœnas ipse poeta feret".
Hæc age et observa si quid tangatur ab illis;
    Si nihil, hoc iterum quo moveatur habes:
Collige gesta viri clarasque ex ordine pugnas:
    Illius in laudes area lata patet;
Ivit in adversos furibundo Marte Suevos
    Et pulchras Franci præsulis auxit opes;
Dispulit hinc Bavaros atque illinc perculit Hessos,
    Ipse suas gentes Renus adire tulit;
Deinde per oppositas Solymorum ad mœnia gentes
    Appulit et rubri littora sicca maris;

---

[54] hec *1. Ridemus hodie Musam latrocinia dulcibus verbis suadentem.* [55] menū *1.* [56] autoꝛum *1. sed in ex. meo vet. m. corr.* avorum *quod contra metri rationem dant 2.3.* [57] Menus *1.* [58] Rheni *2.3.* [59] Menibus *1.* exstructa *2.3.* [61] hemi *1.* [63] Asie *1.* Afer *2.3.* [64] Asirius *1.* [67] Wittich Lotze, *consul Grypeswaldensis, idemque mercaturam etiam egit, ut ex h. l. adparet.* [69] Caeperis, *1.* [70] sumto *2.3.* penas *1.* [71] Hec *1.* [76] pꝛesulis *1. Vireeburgensis episcopi.* auxit *1. sed correxerunt Huttenus et vett. manus.* pertulit *1. sed corr. vett. manus.* [78] Rhenus *2.3.* [79] Solimoꝛum *1.*

Vidit opes Italas et eodem tempore Graias, | L. Hutteni peregrinatio.
Vidit in Hesperio consita regna freto,
Vidit et Epirum, Corcyram Ithacamque vetustam,
Amplaque Pellæo regna relicta duci,
Isthmiacosque sinus, centumque per oppida Cretæ
Extulit in Paphiam lintea panda Cyprum,
Atque interpositas Aegæis Cycladas undis,
Et Rhodon et Delum Carpathiosque sinus.
Huic tandem reduci frondentem ad tempora laurum
Notum est Cæsarias imposuisse manus.
Hæc ubi pertuleris, non vilem Lossius hostem
Sentiet, et spoliis ingemet ipse suis,
Atque erit ut tandem precibus contendat amicis,
Cui nunc nulla satis sævicia esse potest.

[Elegia VIII.]

AD VLRICVM MANOVIVM
GRIPESWALDENSEM
OPTIMVM AMICVM.

Quicquid, amice, mihi crudeli Lossius ausu
Intulit, ut spoliis sæviit ille novis,

---

83 Corciram *1.* 84 Pelleo *1. Macedonico. Puto Scanderbegum indicari.* 85 Iſthi-niacoſq; *1.* Crete *1.* 86 linthea *1.* Ciprum: *1.* 87 inter positas *edd.* Aegeis *1. 3.* Cicladas *1.* 88 Carp.] *di Scarpanto. inter Cretam et Rhodum.* 90 Ceſarias *1. Friderici III. an Maximiliani mihi non constat.* 91 Hec *1.* 94 sævitia *2. 3.*

Manonium *1. apertissime habet neque quicquam correxerunt veteres manus. temere itaque Mohnikius silensque prætermisso quod in 1. est nomine* Pavonium *fecit, de quo tamen nihil omnino se conperisse adnotavit. Koseyartenum* (p. 165) Bavemannum *coniectura adsecutum esse nullius momenti est, neque magis quod Straussius de* Pavonio (Pfau) *tamquam de non ignoto homine sæpius scripsit, cum non animadvertissent falsum nomen exhibere Mohnikium. Ceterum ut* P *falso pro* M *positam esse affirmo, ita* (v) *ante* o *et* n pro u (v) *typographi errore positas esse dico; nam nomen* Manow *inter Pomeranica, ut* Manovski *inter Sarmatica nomina nihil alienum habet,* Mavon *nihili est. accedit quod vet. m. supra* u *signum* ∧, *supra* u *signum* ∨ *posuit, sic* Manonium, *et, quod dubitationem omnem tollit, in Trebelii Notiani carminibus, quorum inscriptionem vol. I. p. 16. ad v. 5. adcurate repetivimus, legitur hoc* 'Andreæ' Manovii *hexastichon:*

Andreas Manouius | Pomeranus |
Si quis amat ſacras non falſo pectore Muſas:
Et cupit Aonia cingere fronde caput.
Vendicet ſic Heri ſuauiſſima carmina Manni:
Et quod Duringus ſcripſit Apollo legat
Quod canit ille: omnis cõmendat Theutonis ora
Et nolens etiam Romula terra probat.
Viuat Trebelius
Muſarum aſſertor

2 ſcuijt *1.*

Ante mihi, memini, dicebas, ante monebas,
Ne vellem infido credulus esse viro;
Narrabas similes quas sumpserat ante rapinas,
Et potui monitu cautior esse tuo:
Sæpe tamen dixi 'Vincet pacientia, vincet, — Pacientia Huttenica.
'Donec ero, facili iurgia mente feram;
'Viderit hæc placide nec moto corde ferentem,
'Ingenium tandem mitius illud erit;
'Nec bene certabit nisi causa mobilis ulla,
'Quæ nulla ex nobis, ut moveatur, erit'.
Tu tamen instabas iterumque ex corde monebas:
"Si sapis", aiebas "provida corda gere:
"Ut nihil instiges, haud facto, haud læseris ore,
"Inveniet, qua te puniat arte, tamen;
"Ipse sibi causam dabit invenietque quod obsit,
"Atque aliqua saltem fraude nocere sciet;
"Tu nihil offendes, causa tamen, ille nocebit:
"Ne noceat, magna est cautio habenda tibi".
Ille tamen, quia blandus erat, quia sæpe bilinguis, — Lossius versipellis.
Detinuit vultus calliditate meos.
Heu mihi, tot monitis et amico hortamine nondum
Mobilis erravi credulitate mea.
Quod tamen erravi, venia sum dignus in illo:
Non sprevi monitus, dulcis amice, pios;
Fidus eram nimium, nimium pacienter adhæsi:
Quæ culpa est, virtus hæc eadem esse potest.
Da veniam, neque enim sprevi monitusque fidemque;
Da veniam: non est cur mihi abesse velis.
Crede mihi, nihil est cur irascaris amico,
Tu culpa, siqua est, non moveare mea.
Adde rei eventum, vel quod mihi luditur uni, — Hutteno luditur.
Si culpa est, nostro contigit ista malo.
Sed scio quid potius de me statuasque velisque:
Fama est in spoliis te gemuisse meis;
Fama est continuas egisse in fletibus horas,
Et mesta fœdum mente tulisse nephas;

---

[5] *Cf. supra ad eleg. II. v. 18. adnot.* sumserat *2.* [7] patientia *2. 3.* [12] Que *1.* [13] mouebas *1. sed corr. Hutt. et vett. manus ex. mei et Gryphisw.* [15] leſeris *1.* [21] ſepe *1.* [24] crudelitate *1. sed corr. Hutt. et vett. manus.* [25] Q *1.* [27] patienter *2. 3.* adhesi *1.* [28] Que *1.* hec *1.* [26 et 29] monitus] *monitiones.* cf. versus 3...6. 13. sq. 20. [36] genuiſſe *1. sed correxerunt Huttenus et utraque vetus manus.* [37] aegiſſe. *1.* [38] nefas *2. 3.*

Mittitur huc etiam tristis tua littera dextræ,
Littera flebilibus vix bene facta notis:
Nulla mora in nobis, tua visa iniuria nostra est;
Non possem fidei certior esse tuæ.
Ergo ego perpetuas agitabo in pectore grates,
Duret ut ex merito sollicitatus amor.

[Elegia IX.]
AD NICOLAVM MARSCHALCVM
DOCTISSIMVM VIRVM.

I, mea, nec longos obeundo congere passus,
Musa, cothurnato suscipienda viro:
Invenies illum placidas tractare sorores,
Invenies gravium volvere scripta virum;
Et iam forte vagas depingit in ordine terras | Marschalcus cosmographus.
Cumque mari silvas, flumina, rura, lacus,
Et gentes quavis cæli regione repostas,
Totque urbes graphico digerit in radio.
Dum licet, accedas, et quo decet ore saluta:
Non est quem metuas reddere dura tibi;
Ut tamen admissa es et te mandata iubebit
Edere, fortunas ordine pande meas;
Pande graveis morbos, varios expone labores:
Dixeris: ærumnas ingemet ille meas;
Utque malis olim tulit ipse simillima nostris,
Dum leget, in promptu causa doloris erit.
'Utere sorte tua, cui nunc fortuna secunda est,
'Quem levat ex longo parta labore quies;

Nic. Marschalcus, Stoientini amicus, Thuringius (Thurius), Erfurti circa a. 1470. natus, ibique educatus et eruditus, utriusque linguæ peritus, artiumque magister et iuris utriusque baccalaureus factus (in Albo Vittenb. a Fœrstemanno ed. p. 1. inter eos qui intitulati sunt a. 1502. sub rectoratu Martini Polich de Mellerstadt undecimus est „Nicolaus Marscalcus Thurius arcium magister et utriusque iuris baccalaureus erfordiensis") Spalatinum a. 1501. discipulum amanuensemque habuit (cf. C. F. Hummel Neue Bibl. Nürnb. 1775. 8º. Stück 1. S. 78) ab a. 1507. usque ad mortem (d. 12. Iul. a. 1525.); ducibus Megalopolitanis a consiliis fuit. circa a. 1520. Rostochii etiam inter doctores iuris naturalisque historiæ memoratur, librosque multos conposuit quos recenset Schœttgenius in Fabricii bibl. Lat. med. æt. VI. p. 755...760. Idem Schœttgenius singulari etiam libello viri vitam descripsit (Dresd. 1733. Rost. 1752. 4º.) quocum cf. Mohnik. et ab hoc laudatos scriptores atque Iœcher. h. v. In Westphaleni Monumm. vol. I. imago viri depicta extat.
[16] celi *1.* coeli *2.* [9] decet] licet *1. sed vett. manus corr.* decet. [11] crumnas *1.* [16] promptum *1. sed Hutt. et utraque vet. m. corr.*

'Utque tibi domus est, ut blandi muneris uxor,
'Ut grave sub tanto principe nomen habes, | Sub principe Magnopolensi.
'Dignum illis animum gere, et alto pectore gaude:
'Quid iuvat in macra degere tristicia?
'Si tamen est cur forte velis tristarier æger,
'Tristitiæ causam nostra rapina dabit,
'Non equidem, ut vigiles consumas fletibus horas,
'Sed quo more licet tristibus esse viris.
'Et quis non doleat? nec casu mœreat illo?
'Quis posset nostris lætus adesse malis? | Fortunæ Huttenianæ acerbitas.
'Nunquam aliquis potuit peius succumbere nobis,
'Nunquam aliquis potuit perditus esse magis.
'Lætus eram, memini, fotus melioribus auris,
'Et potui patrias fungier altus opes
'Et patrium iactare genus, iactare parenteis,
'Spemque aliquam vegeto sumere ab ingenio:
'Nunc iaceo in morbo, nunc sævo vulnere anhelo,
'Et sedet in membris vitaque morsque meis.
'Huc fera paupertas sese applicat, huc ferus hostis
'Lossius, ex Stygio bestia nata lacu, | Lossii crudelitas.
'Qui miserum morbo pressum febribusque perustum,
'Palpantemque arida vulnera sæva manu,
'Seminecem patria direpto eiecit amictu,
'Nunc etiam assidua conficit invidia,
'Intenditque suo nimium crudeliter hosti. | Lossianæ insidiæ.
'Insidias vitæ disposuitque meæ:
'Actum est de nobis, si quoquam ceperit astu:
'Heu mihi, quam sævas iactitat ille minas;
'Ipse suis manibus tepidum exhaurire cruorem,
'Ipse volet digitis membra secare suis,
'Percupidus venas validosque excindere nervos
'Intima sanguinea dirimet exta manu;
'Utque agat hæc, plateas et publica rura pererrat,
'Et nullo tutum me sinit esse loco.
'Quem quia nil video scelerum piguisse priorum,
'Continuoque malis invigilare novis, | Vindicta Hutteni.

---

[22] tristitia *2. 3.* [23] eger *1.* [28] Fortune Huttenianе *1.* [29] peius] prius *2.* prius *3.* nobis] *quam nos, i. e. quam ego.* [31] Loctus *1.* [35] ſeuo *1.* [38] ſtygis *1. sed Hutt. et vett. manus correxerunt.* [40] Papaltemqz *1. sed corr. vet. m. in exemplo meo.* ſeua *1.* [13] Loſſiane *1.* [45] coeperit *1.* [46] ſeuas *1.* [49] exscindere *2.* [53] pigniſſe *1. sed correxerunt Huttenus et veteres manus.* [54] nonis *1. sed Huttenus et veteres manus correxerunt.*

'Addam animo vires desperataque resumam
    'Pace cruentatas causa agitante faces;
'Armabo Clarias hydra lambente sagittas:
    'Forsitan et telis concidet ille meis.
'Quicquid erit, mallem privata pace teneri:
    'Non sinit ille, suas eiaculatus acus.
'Tu me, ne noceam, cessaverit ille, monebas,
    'Atque odiosa tibi scripta cruenta refers:
'Ille nihil cessat monitus, nihil ocia curat, | Lossius etiam pie monitus.
    'Inque dies nobis horridiora parat.'
Hæc ubi tradideris vati, mea Musa, Thuringo,
    Ad mea rescripto carmine tecta redi.

[Elegia X.]
AD LECTOREM.

Lossius hic meus est, hæc est iniuria, lector;
    Iam potes in causa certior esse mea.
Ast ego, quem moles iamnunc premit ista malorum,
    Quem fortuna suo fecit abire statu,
Qui nunc tot morbis et paupertate maligna
    In sordes humili conditione feror,
Non tibi de vili (procul hinc iactantia!) vulgo | Huttenus ex equestri familia.
    Emersi, veteri stemmate natus eques:
Nota satis vetus est Huttenæ gloria gentis,
    Nota satis generis sunt monumenta mei,
Insignita locis et rebus splendida gestis,
    Et nusquam fœdis obnebulata notis.
Ille etiam qui me genuit, non prœlia tantum | Hutteni genitor.
    Gessit honorato perpetuanda stilo,
Multæ urbes illum rebus petiere gerendis,
    Consilio magnos adiuvat ille duces;
Sunt et opes et digna viro possessio tanto, | Divitiæ Huttenianæ.
    Iunctaque nobilibus edita mater avis:
Si videas arces, si consito in ordine villas,
    Iurabis magni principis esse domos;
Si comitum turbam, si iura domestica cernas,
    'Ille aliquo' dices 'fungitur imperio'.

---

57 hidra *1.* 59 Quidquid *2.3.* 63 otia *2.3.*

1 hec *1.* 4 fœcit *1.* 9 Huttene *1.* 12 fedis *1.* fædis *3.* obuebul.] *metri causa sibi fecit verbum poeta.* 13 prelia *1.* 14 stylo *2.3.* 15 Multe *1.* 17 Diuitie *1.* Huttenianc *1.* 18 mater] *Ottilia ab Eberstein.*

Omnia magna satis cultuque instructa decenti,
Omnia sunt verbis uberiora meis.
Hoc ego sum genitus, quamvis modo vilis et expes
In varios casus Sorte iubente ferar.
Non volui patrios liber vacuusque penates,
Non volui noti rura tenere soli:
Plus placuit loca posse mihi peregrina subire, | Peregrinatio Hutteni.
Dum vigeat studiis læta iuventa suis,
Dum vigeant anni vegetique simillima veris
Exhibeant vires tempora prima bonas:
Nusquam habitare magis quam me delectat ubique,
Undique sunt patriæ rura domusque meæ;
Cumque alius dulces dubitet liquisse parentes
Nec velit a patrio longius esse solo,
Me iuvat esse aliquid famamque extendere factis
Et tepidum obscura tollere nomen humo.
Hoc fertur Samio tantum placuisse magistro, | Ab exemplo.
Ut peteret Pharios Italicosque sophos,
Hoc etiam constat magnum voluisse Platonem,
Dum varios orbis gaudet adire locos;
Fitque humilis qui magnus erat tantosque labores,
Qui posset placida vivere sorte, subit.

---

25 exspes *2. 3.* 27 Ad v. 27. sqq. cf. lib. II. eleg. 10, 269. sqq. 31 anni] omni *1. sed Hutt. et vett. manus corr.* 36 *Vergil.* Aen. X. 468. sq. „... famam extendere factis, Hoc virtutis opus ..". 39 *Pythagoræ* et Platonis, infra (II. 10. 270.) Apollonii Tyanensis exemplum sese sequi innuit. Sumpta sunt hæc (ut ea quoque epistola quam Mohnikius p. 353. sq. transcripsit, ignorans Hieronymianum locum ad verbum fere se transcribere) ex Hieronym. epist. LII. (ed. Benedict. I. p. 270. sq.) „Legimus in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transisse, ut eos quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Aegyptum et Archytam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam Magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit. ..... Apollonius (sive ille Magus, ut vulgus loquitur, sive philosophus, ut Pythagorici tradunt) intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit, et ad extremum latissimo Physon amne transmisso pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcam in throno sedentem aureo et de Tantali fonte potantem inter paucos discipulos de natura, de motibus ac siderum cursu audiret docentem; inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos reversus Alexandriam perrexit Aethiopiam, ut Gymnosophistas et famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret, et semper proficiens semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus Philostratus". De Platone videsis *Quintilian.* Inst. or. I. 12, 15. 40 Pharios] *Aegyptiacos.*

Ergo ego sum pauper, quoniam hoc ditescere visum
Et quoniam heæ veræ sunt mihi divitiæ;
Atque ideo versor lato vagus exul in orbe
Quod cupiam in culta splendidus esse domo.
Belle aliquis sentire hac me ratione probabit;
Improbat et cœptum Lossius odit opus, | Studium Los.
Et tantum mansisse domi bene vivere censet,
Dum saturat variis pectora deliciis,
Dum sequitur patrias corrupta fronte puellas,
Dum furit in doctos innocuosque viros,
Et solus dici cupit ista doctor in urbe, | Lossius doctor Bullatus.
Quos titulos nullo gestat honore tamen,
Mobilibus platanis longæque simillimus orno,
Quæ sæpe a rapidis decidit icta notis,
Sorte sua gaudet tumidumque e pectore virus
Non timet in quodvis exacuisse scelus:
Non mirum est igitur si me violaverit illo,
Quo sæpe immundas polluit ante manus;
Nec mirum est quia sic cecidi, quia fusus ad imum
Dissimilis videor nominis esse mei:
Ipsa suas Fortuna rotas pro tempore versat | Attende Fortunæ varietatem.
Et levibus nostras axibus ambit opes,
Ius illi quod triste velit, quod poscat amœnum
Efficere, et dubias datque rapitque vices;
Nusquam firma loco, nec eodem cognita vultu,
Lubrica et insigni mobilitate levis
Nunc videt Auroræ nitidos ascendere currus,
Nunc videt occiduas hæc Phaethontis aquas.
Non aliqua tamen hos motus ratione gubernat, | Pulchre.
Omnia femineo ponit in arbitrio;
Falsa, fugax, truculenta, levis, vaga, turbida, pugnax
Miscet, agit, censet, proruit, odit, amat;
Fregit opes Fortuna meas animumque reliquit:
Vellet et hunc fractum Lossius esse mihi.

---

46 hec *1.* hæ *2.3.* vere *1.* diuitie *1.* 48 Qx *1.* *Male vertit 2.* 20 ceptum *1.* 57 platanis] Themistocles „platano [δρυσί *Aelian.* Var. IX. 18.] sese conparabat, sub quam confugiunt homines orta tempestate; reddita serenitate prætergredientes folia eius stringunt ipsamque dicteriis incessunt". *Plutarch.* apophth. 185. (Reisk. VI. p. 701.) Cf. eiusd. Themistocl. c. 18. *Vergil.* georg. II. 70. „Et steriles platani ..". *Id.* eod. II. 111. „Nascuntur, steriles saxosis montibus orni". longaqz *1.* *sed Hutt. et vett. m. corr.* 58 Que fepe *1.* 62 fepe *1.* 65 Attn̄ fortūe *1.* Cf. dialog. Fortunam. 67 illi] *Fortunæ.* amenum: *1.* 71 adscendere cursus *2.3.* *perperam.* 72 Phaetontis *1.3.* Cf. Inspicientes. 73 Pulchre] *Hoc, ut fieri solebat, ab operis adpositum videtur.*

VLRICI HVTTENI
ADVERSVS
VTRVMQE LOSSIVM
QVERELARVM LIBER II.

[Elegia I.]

Ecce agit in vobis nostri pars altera fletus:
Da placidam nobis, obvia turba, manum,
Nec tibi sit placitum si quid male Lossius audet:
Audendum est qua nos iuraque phasque sinunt;
Sæpe fuit virtus animum committere factis
Et totum in vires extumuisse suas;
Sed quoniam immeritas prætendit Lossius iras,
Et ferus in quodvis effluit ille malum,
Displiceant vobis malesanæ iurgia linguæ,
Nec moveant odiis crimina ficta suis.
Ille quidem tota graditur vesanus in urbe, | Invidia Lossii.
Pallidus in mores ingeniumque meum,
Exacuensque in me genuinos undique dentes
Torva agit implicitis ora superciliis;
Si quis adest de me meritus bene, livet et odit
Inque meos omneis publica bella parat;
Si quis item nobis non detrahit ore maligno,
Ex merito musis obsequiturque meis,
Hunc, nisi consensum dederit persuasus amicum,
Impete conculcat, turbat agitque gravi,
Undique sollicitus de me varieque laborans
Ut nostri magnam concitet invidiam,
Quem movisse potens, monitis nisi forsitan illis
Assistat studio credula turba suo?
Ecce mihi tantos iamdudum impendit honores
Rostochium, ut vates dicar in urbe novus, | Condicio Hutteni apud Rostochienses.
Intenditque meo ingenio sitibunda iuventus,
Doctrinasque novas turba frequenter adit.

Li. ij. *1.* 1 Ecce] Ece *1.* 4 Jura *sed vett. m. ex. mei* q3 *addidit.* fasque *2. 3.* 5 Sepe *1.* 6 extimuisse *1. sine vett. manuum emendatione, quod non adnot. 2. recte tamen dedit* u *(item 3.).* 13 Euacuensq3 *1. sed in Gotting. exemplo et meo corr.* Exacuensq3 *Nihil adnot. 2.* 14 Torua *1. sed vett. manus corr.* 15 liniet *1. sed corr. in exx. Gott. meo et Gryphisw. quamvis nihil adnot. 2.* 25 iamdudum *1.*

Aestuat ille magis, nec adhuc sua spicula ponit,
Et queritur sortis splendida dona meæ.
Sæpe quidem monui, si quid desistere posset,
Ut saltem vellet lividus esse minus:
Ille nihil monitis, nihil hortatore movetur,
Et semper rabida crescit in invidia;
Nec satis apparet, siquem spoliaverit, illi,
Inque animi vires insuper ire parat;
Vellet et in famam, sed debilioribus armis
Nec famæ, tanto nec nocet ille animo:
Pugnet, agat, certet, laceret, furat, oderit, urat,
Nos tuti nostro stabimus ingenio.
At tu sume meas dextre, pia turba, Querelas: Benevolentiæ captatio.
Crede mihi, offensas res habet ista suas;
Siqua tamen pietas etiam iactetur in illis,
Non est cur possis tu gravis esse mihi:
Nunquam aliquem læsi, nunquam in certamina sumpsi
Tela Lycambeæ sanguine tincta notæ,
Infecitque meas petulantia nulla Camœnas,
Turbaque doctorum me bene ferre potest.
Ille tamen pugnat monitusque quiescere nescit,
Quique sibi noceat, suscitat ipse rogum.

[Elegia II.]

AD D. THEODORICVM DE BVLOV EPISCOPVM LVBVCEÑ.

Sume, Lubusini præsul sanctissime templi,
Carmen et in patria condita scripta tua,

---

31 Sepe *1.* 41 dextræ *2. 3.* 45 loesi. *1.* sumsi *2. 3.* 46 Licambeae *1.* Tela *Archilochi, propter cuius versus Lycambes se interfecit.* cf. interpp. ad Horat. epod. 6, 13. *Ovid.* Ib. 53. sq. „.. in te mihi liber Iambus Tincta Lycambeo sanguine tela dabit". 47 Infoecitq3 *1.* 48 Turbaq3 *1. sed corr. vett. manus.* 50 Quiq3 *1.*

Bulow *2. 3.* Dietericum a Bülow, episcopum Lebusensem s. Lubusensem obiter supra (II. p. 36.) memoravimus. Megalopolitanus fuit; peractis studiis electoris Brandenburgensis aulam intravit, cui a consiliis factus est filiumque Ioachimum educavit. Mortuo Ludovico de Burgsdorf Dietericus episcopus electus est a. 1490. Condendæ universitati Viadrinæ summopere favit, eiusdemque primus cancellarius factus est. Hutteno bene voluit, cui non ita longe supervixit; mortuus est enim d. 1. Oct. a. 1523. De viri vita præter Mohnik. p. 388. sqq. ex laudatis ibi scriptoribus cf. impr. Jobst in *Beckmann* Notit. univ. Francof. Von dem Bischofth. Lebuß. p. 30. 1 Vme *1. littera* S *miniatori adscribenda relicta.* Lubusine *1. sed vet. m. ex. mei primam* u *in* e *mutavit.* Lebusini *dedit Iobst l. c.* Lubusini *2. 3. In ipso Bulovii epitaphio est* „Theodorici de Bulo Episcopi Lubucensis" *et alii quoque promiscuo dant nomina* Lebus, Lubus, Leubus. p:eſul *1.*

Nec contende diu tecum, quis scripserit autor:
    Non decet ex animo me cecidisse tuo:
Ille tibi scribit quem tu puerilibus annis
    Dignatus veri patris es officio;
Ille tibi scribit quem tu vice iudicis æqui
    Texisti indoctæ plebis ab invidia.
Sume animos veteres priscumque agnosce favorem;
    (Quid cadit ex animo Fagina Musa tuo?)
Atque ubi cognoris blandam, mea vota, salutem,
    Ad mea consuetum carmina pectus habe.
Ecce meas præsul lætata fronte Camœnas — Spes de pontifice.
    Accipit, Hutteni plenus amore sui;
Ecce iubet faciles secum residere puellas
    Et totus nostro candet in ingenio.
Dii tibi dent tanti precium non vile favoris,
    Qui memor, o longi, pectus amoris habes.
Si tamen inquiris quo me sors improba verset,
    Atque aliquam de me spemve metumve geris,
Tolle quod invidiæ est, quaque arsit Lossius ira, — Lossius.
    Non erit angusto res mea fulta statu:
Ille meas iniit furibundo Marte Camœnas,
    Ille mei multum sustulit ingenii,
Ille mei requiem studii placidosque recessus
    Turbat, et insano spicula corde vomit.
Ast ubi confectum telis famaque sinistra
    Impulero cœpti pœnituisse mali,
Tota meæ dicam placidissima tempora sortis:
    Usque adeo magnos intulit ille metus.
Causa tibi nota est, nota est iniuria, Præsul,
    Utere indicio tu super ista tuo,
Meque tui semper, si forsan amare recusas,
    Quod satis est, vero dilige iuditio;

---

5. 6 Hos duos versus omissos *1.* sua manu Huttenus exemplo quod amico Kiliano Reutero dono dedit quodque nunc in museo Britannico servatur (cf. vol. I. p. 13. sq. et Indic. Hutt. p. 4*.), adscripsit, iidemque in exemplis Gryphisw. et meo (sed non Hutteni manu) adscripti sunt. 5 pueril. ann.] *eum Francofurti studiosus esset Huttenus.* cf. vol. I. p. 5. sqq. 10 fagina] *Buchonica.* cf. supra p. 5. inscriptionem carminis in laudem Marchiæ. 11 blandam *1.* 13 pręsul *1.* pontif.] *i. e. episcopo.* 14 pleuus *1.* 15 faciles puellas] *Musas dicit.* 17 pretium *2. 3.* 20 metuue *1. sed corr. Hutt. et vett. manus.* 21 inuidie *1.* 22 mea *omis. 1. sed adscr. est exx. Gryphisw. et Gotting.* 23 Illa *1. sed corr. vet. m. ex. mei.* 28 penituisse *1.* poenituisse *2. 3.* 30 intulet *2. quod mendum i. f. indicatum nihilo minus repetiit 3.* 33 amore

Nec facile a nobis priscos, antistes, amores
36 Surripe, tu si quo commoveare novo:
Non facile accedet, qui sit tibi gratior, alter,
Quique tui meriti plus velit esse memor.

---

1. et 2. 3. sed 2. p. 338. et in fine mendum indicavit quod iam vett. manus sustulerant.
[34] judicio *2. 3.*

Cum præter me nemo, puto, hodie noverit Trebelii Notiani, Isenacensis, carmen ad Theodoricum de Bulov, quod legitur in libello vol. I. p. 16. ad v. 5. descripto, lectoribus id sine ulla mea aut emendatione aut explicatione deberi visum est.

Ad Reuerendiſſ. Theodo|rum de Bulou
Pontificē Lubuſianū
Gymnaſij | Francophoꝛdiani Cancellarium digniſſimū.

[A] Ccipe Trebelij praeſul Theodoꝛe poetae
Munera pauca pꝛecoꝛ:
Sed quid ad Iſiaci mor palles nomina vatis?
Saeuaqꝫ coꝛda capis.
Cur pede vir lecto non pergis: perlege: non ſum
Perfidus hoſtis ego·
Verba Micenaeo q̃uis ſint pollice ducta
Ipſae legit Pꝛyamus.
Crudeles bello ſic ſcripta minantia flammas
Hoſtis ab hoſte capit.
Carmina dic igitur: non lecta remittere pꝛaeſul
Qua ratione potes.
Inditium noſtri ſunt carmina miſſa fauoꝛis:
Coꝛdis er [sic] innocui.
Sit pꝛocul hoc vitium: quo te mea numina laedaꝫ
Pieriosqꝫ viros.
Muſiphilos inter quoꝛum mihi cognita fama eſt
Plus ego te veneroꝛ.
Tu vatum pꝛaeſul: Cyrrhae ſummuſqꝫ ſacerdos:
Tu decus Aonidum.
Ipſa tibi Cyrphis: rupes Parnaſſica: ſernit· [sic]
Theſpiadumqꝫ domus.
Ipſi te vates: Muſae: te coꝛniger Euan
Phoebus et ipſe colit.
Oedipodionias duce te Francphoꝛdia Thebas [sic]
(Vera loquoꝛ) ſuperat.
Quis Iouis auriliuꝫ: quis Palladis atqꝫ fauoꝛē
Quiſue neget Marie?
Quis neger omniuoli pꝛaeſentia numina chꝛiſti?
Tam viget ille locus.
Si mihi veridici cecinissent omnia vates
Quae modo viſa mihi.
Tanta manet nunq̃ dixiſſem gloꝛia ciues
Oꝛbe ſitos Getico.

[Elegia III.]

AD AVDITORES SVOS ROSTOCHIENSES.

Lossius, infami fultus spoliator honore,
Ardet et insomni languet ab invidia,
Dum iuvenem Huttenum Musis sacroque labore
Tandem aliqua fungi commoditate videt;
Frendit et insultat, fremit, æstuat, ingruit, ardet,
Deque mea nimium conditione dolet;
Quodque meis faciles monitis committitis aures,
Tam dolet hic quam vos forte iuvare potest.
Palleat, insultet, contendat et ilia rumpat:
Non habet in nobis sordida rixa locum;
Nos decet effrenes animo contemnere fastus,
Proque truci faciles reddere fraude iocos;
Et facile has nugas, facile has contemnimus iras:
Nil nocitura leves tela movent animos.
Non habet ille tamen, quo iuste intendere possit, | Lossius etiam adhuc invidet.
Et causa in nobis, qua moveatur, abest.
Vos igitur, iuvenes, mecum florentibus annis
Si sapitis, veras carpite mentis opes,

Quae nos ad gelidae Boꝛealia flamina terrae
Moenia credidimus.
Illa ſub Eoum Nabatheaqȝ regna recedunt
Memnonis et patriam.
Atqȝ ubi ſtridentes culices et ſtagna timebam:
Et loca plena mali.
Piſcifer hic Suaeuus viridantia pꝛata pererrat
Et nemus omne rigat.
Hic q̊ȝ vitiferi montes: tua munera· Bacche
Dulcia vina ferunt.
Omnia ſed digna ſunt haec modulanda camoena:
Cum volet ipſe fauoꝛ·
Tu modo tu faueas pꝛaeſul venerande rogamus
Mox venietqȝ fauoꝛ.
Nam tibi cum placeam: me Francophoꝛdia vatem
Laetioꝛ accipiet.
Tempus et hoꝛa vetant me plurima ſcribere feſſuȝ
Sint pꝛaecoꝛ iſta ſatis.
Viue: vale: Pylii tercentum Neſtoꝛis annos
Vincito: viue: vale.

Roſtoch: *1.* [1] Oſſius *1. om. L.* [5] eſtuat, *1.* [7] Aqȝ *1.* [11] Ad marg. ex. Gryphisw. adscripsit aliquis hæc verba Matth. XXVI. 26. „Coenantibus illis accepit Iesus panem et benedixit ac fregit".

Nec legat in vobis crescenteis Lossius annos,
Utilius studiis consule quisque tuis.

[Elegia IIII.]

AD EGBERTVM HARLEM

HOSPITEM SVVM ROSTOCHIENSEM.

Ardet in Egberthum calido mea Musa favore,
Hunc solum ante oculos ponit habetque virum:
Ex merito venit omnis amor: meruisse fatemur:
Et decet accepto reddere quemque bono.
Quod pater est mihi, quod genitrix, quod turba sororum,
Et quantum in nobis frater amoris habet,
Deposui tecum, tibi me vovique dedique;
Quicquid aves, de me sumere iure potes:
Præcipe, mox pro te medios proficiscar in hostes: *Gratitudo Hutteni.*
Quæ posset nostras copia ferre manus?
Præcipe, vel fluctus vel eam moriturus in ignes;
Nulla mora est: pro te cuncta subire libet.
Non tamen ista iubes, saltem memorem esse placebit;
Forsan et hæc pietas sufficit una tibi.
Dum ruit occiduas Germanus Rhenus in undas,
Dum petit Euxinas Ponticus Ister aquas,
Dum mare tot terras, dum cœlum circuit undas,
Semper eris menti portio fida meæ.
Contigit huc nudum amissis divertere rebus, *Benefitia Egberti.*
Quartana pressum vulnere hiante febri:
Suscipis ah miserum votisque accersis egentem:
Dii reddant animæ munera tanta tuæ!
Pone leves igitur laudes blandumque laborem,
Desine nil meritos tollere, Musa, viros:
Totas iste tuas meruit pro tempore vires,
Iste feret si quid carmen honoris habet.
O facilem pietate virum, nil mente superbum,
O semper laudi corda severa suæ!
Te meus offendit, quoniam in me Lossius ardet,
Tu primum ærumnas commiserare meas:

---

[19] legat] *cognoscat.* cresc.] *teneros. i. e. ut puto, efficite ut Lossio viri, non pueri, videamini. Aliter* 2. *qui pro* annos *fort. legendum esse* iras coniectavit.

Rostochien. *1.* De hoc Ecberto Harlemensi cf. tetrastichon 11. vol. I. p. 12.
[1] A *ante* Rdet *in 1. miniatori adscribenda relicta est.* Ecbertum *2. 3.* [4] accaepto *1.* [5] Q *1.* [8] Quidquid *2. 1.* [10] Que *1. Signum? addidi.* [14] hec *1.* [22] anime *1.* [29] meus] *adversarius.* [30] erumnas *1.*

Aeger eram dederamque gravi membra ægra grabato,
Tu petis ab morbo sordida tecta meo;
Copia nulla cibi, mensis inducis opimis,
Tu mihi delectas ponis, amice, dapes;
Per tua respirant arentes pocula fauces,
Tu vacuas læto sufficis ære manus;
Nunc quoque, si quicquam gravius succedere visum est,
Multa doles nostris motus, amice, malis.

[Elegia V.]

IN PHILOPOMPVM QVENDAM.

Sume animos iterum et tepidum, mea Musa, timorem
Femineoque leves excute corde metus:
Non tamen ut pugnes aut quenquam prima lacessas,
Sed sit ut ex monitu cautior ille tuo.
Si mihi notum animi fastus simulataque virtus, Fastus Philopompi.
Vix etiam accessus perferet ille tuos:
Tu tamen accedas et, quo licet ire, fereris;
Non omnes levibus dimovet ille minis:
Terreat imbelles et inania pectora pulset,
Nos aliquid nostro fidimus ingenio:
Non omnes mordacis agunt convicia linguæ,
Sæpe quid adversos substitit ante notos.
Quid tibi cum teneris, osor Philopompe, Camœnis?
Quid petis immiti Musica sacra manu?
Quid profugum Huttenum toties sua fata gementem
Infestas odiis, invidiose, novis?
Si bene succenses nec iniquo duceris ausu Quare lædat occulte.
Et causam in nobis, quæ tibi præstet, habes,
Non opus occultas in nos committere fraudes,
Sed potes hæc patulum ponere in arbitrium.

---

[31] grani *1. sed corr. vet. m.* egra *1.* [34] ponis amice dapes˙ *1.* [36] leto *1.* [37] quidquam *2. 3.* [38] motus amice malis. *1.*

Quis Philopompus hic fuerit non constat, veri autem simile videtur quod Mohnikio visum est, fuisse Tilemannum Heuerlingum Gottingensem, qui primas inter Rostochienses artium professores partes sibi adrogavit, Hermannumque Buschium olim invidiose e Rostochio discedere coegerat, quo facto sibi Oestrum poeticum consciverat. Cf. Hamelmanni vit. Buschii §§. 43. sqq. p. 292. sq. Iac. Burchardi vit. Buschii p. 183. sqq. [5] notam *1. sed corr. vett. manus.* [12] quis *2. fecit et* adversos nŏtos 'den fundigen Feind'. *etiam 3. dedit* quis *versum tamen Germanice recte vertit.* [15] Qui *1. sed Hutt. et vett. m. corr.* [17] ledat *1.* [18] que *1.* prestet *1.*

Certum est te nocuisse mihi, voluisse nocere,
Certum est rumores attenuasse meos,
Multaque de nobis lingua statuisse severa
Quæ nolles coram proposuisse mihi.
Pone tuæ freno admoto convicia linguæ, Admonet Philopompum.
Pone, precor, duram, si potes, invidiam;
Aut si forte nequis et te quid lædere oportet,
Si non vis nobis parcere, parce tibi.
An iuvat huic rabidis moliri incommoda verbis
Quem notum est nunquam sic nocuisse tibi,
Quique tuas laudes æquo dispersit honore
Et qui omni de te suspitione vacat?
Laudavi vultumque tuum gestusque serenos,
Laudavi mores, osor inique, tuos,
Omnia pro rebus, fictoque ex pectore nunquam,
Sæpe tuum magni fecimus eloquium:
Non tamen ista tuum nobis causentur amorem
Et sit in obsequio gratia nulla meo:
Quid petis innocuum, nihil in tua iura ferentem, Innocenter læsus.
Et nulla adversum conditione tibi?
Si te laudis amor lacerandique atra cupido
Spesque lucri rabidam cogit in invidiam,
Invideas si quis meliori congerat auro
Emanaturas tempore divicias;
Invideas famæ, si quis meliore fruatur,
Et siquem simili lædere more potes:
Nos tenuis victus et famæ portio quanta
Non sinit excelsis officere ingeniis.
Nec potes ex isto spolium decerpere bello:
Archanos (nescis) res habet ista metus:
Sunt etiam nobis animosæ in prælia vires
Et tela ultrici discutienda manu, Tela poetarum.
Nec leve de nostro surgit molimine vulnus,
Livet et absque omni plaga relanguet ope,
Quam neque restituat mixtis Podalirius herbis,
Nec Phœbi patria curet alumnus ope,

---

21 te *addid. vet. man. et Haupt.* 24 Que *1.* 28 ledere *S.* 32 suspicione *2. 3.* 38 gracia *1.* 42 Spem *1.* Spesque *2. 3.* 43 auro] *fort.* aura *legendum. 2. Minime.* 44 divitias *2. 3.* 45 fame *1.* 46 loedere *1.* 47 victos *1. sed Hutt. et vett. manus corr.* 50 Arcanos *2. 3.* 51 proelia *2. 3.* 54 Linet *1. sed corr. vett. manus.* 55 Podalyrius *2. 3. Ovid.* Art. am. II. 735. „Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi". Cretensis, Aesculapii filius, *Ποδαλείριος.* 56 Aesculapius Apollinis et Coronidis filius.

Quam male componant docti medicamina Crinæ,
Quæ refici Coo nolit ab Hippocrate.
Verte animos! sunt et nostris sua vulnera telis, Terret Philopompum.
Et nimium duris scimus obesse modis;
Aut si nulla tibi pietas, et lædere quæris,
Et requiem studiis non sinis esse meis,
Addam tela tuis atque arma coacta resumam:
Adiuvat insultus tam bona causa meos;
Addam marte vices ausuque remetiar ausus
Et reprimam Stygias in tua terga faces.
Quid tulit e nobis violenta Lossius ira, Mentio Los.
Expertus vires in mea fata suas?
Hunc ego perfregi totumque sub infima mersi:
Si sapis, exemplo cautior huius eris.
Si possent levibus peragi mea pectora telis,
Lossius iste mihi quod cupit esse foret;
Sed quia nequiequam vestris invadimur armis,
Consultum est telis abstinuisse tuis.

[Elegia VI.]

AD IOANNEM CROTVM RVBIANVM MAGISTRVM SVVM.

Notus amor nostri tentataque fœdera votis
Me sortem hanc variis insinuare iubent.
Quis velit hospitibus peregrinam ostendere fraudem, Ignotis non conquerendum.
Aut cladem, qua tu nil moveare, queri?
Vix etiam hæc veros lachrimis inducet amicos,
Ut solet a flamma proximiore domus.
Ecce sedet Musasque inter pulchrosque labores,
Et nostri curam Crotus amicus habet,
Huic nihil hoc toto semoti scripsimus anno, Nihil Croto scriptum.
Ignaro quæ me nutriat ora vagum,

---

[57] Crinas ἰατρομαθηματικὸς „Massiliensis, arte geminata, ut cautior religiosiorque, ad siderum motus ex ephemerida mathematica cibos dando horasque observando auctoritate eum [Thessalum, Neronis principatu florentem] præcessit". *Plin.* H. N. XXIX. 1, 5. [58] Hippocrates Asclepiades Heraclidæ filius, Cous, scientiæ medicæ parens. [61] ledere queris, *1.* [66] ſtigias *1. sed corr. Hutt. et vett. m.* [67] vobis *1. sed vet. m. ex. mei fecit* n, *quæ littera in ex. Gryph. supra* v *sequentis v.* violenta *posita est.* [69] totamque *2. 3. falso.* [73] nequidquam *2. 3.*

Ad J. Crotū rubia. magis. ſuū *1.* Croto iam intra mœnia Fuldensis abbatiæ coniunctissimus fuit Huttenus. [1] Otus *1. ut miniator* N *adpingeret,* n *seq. versui præposita est.* federa *1.* [3] Quid *1. sed corr. Hutt. et vett. m.* [5] hec *1.* lacrymis *2.* [7.8] Cf. de 'Croto' Hygin. poet. astr. 27. fab. 224. [9] Cf. epist. vol. I. num. VIII. [10] que *1.*

Ignaro qua sorte fruar, quibus utar amicis;
Et tamen in casus æstuat ille meos,
Dii tibi tantum animum meliora in tempora servent,
Qui potes o nostris condoluisse malis,
Nec vetus oblitus fraterni fœdus amoris
Diluis alternum pectus in officium:
Me tua quæsitum bibuli Saxonis ad urbes
Missa est sollicitis littera facta notis, Crotus Hutteni sollicitus.
Venit et ad Scythicos Germano in littore Cimbros
Et prope Pomeriis nuncia fama locis;
Marchia me tellus nusquam respondit euntem,
Nec facta est votis Francia fida tuis;
Undique scrutanti quæ me, sua fœdera, tellus
Nutriat aut quanam condicione fruar,
Difficiles casus et duras undique clades
Pande coloratis charta referta notis.
Decidet, ut nostrum ferventi pectore nomen Quantus in amicicia Crotus.
Viderit, et subiti corda stuporis aget;
Decidet, ut tandem lectis ex ordine scriptis
Agnorit nostræ nuncia tristiciæ.
Pone graveis animos, lætumque in fine malorum
Pectus habe, o mentis portio fida meæ!
Pone graveis animos: melior fortuna sequuta est, Exponit fortunam suam.
Et possum elapsi nescius esse mali;
Si qua tamen superest, hanc solam Lossius iram
Concitet, et motis causa sit hæc furiis;
Hunc tu in bella voces (cum sis in cætera clemens)
Molitum toties omnia dura mihi:
Aspera multa tuli. quæ tunc graviora putabam, Lossiana iniuria omnium malorum maximum.
Omnia duricie sustulit ille sua,
Hæc quoque quæ tecum privata sorte ferebam;
Post veteres casus stat novus iste furor
Tanto aliis trucior, quanto leo cætera vincit,
Cum bilem huic torto verbere cauda movet;
Lossius effrenes simulatæ vocis hyænas
Vincit et immites efferitate leas;

---

17 Cf. vol. I. p. 18. §. 3. Saxonum ebriositatem ubique perstringit. 18 follicitis *1.* 22 *Franconia.* 23 que *1.* 24 qua nam condicione *1.* conditione *2. 3.* 28 cartha *1.* 30 nuntia tristitiæ *2. 3.* 31 letumqz *1.* 33 secuta *2. 3.* 39 que *1.* 40 duritie 2.3. 41 Hec *1.* que *1.* 45 simulate *1.* hienas *1.* De hyæna *Plin.* H. N. VIII. 30, 44. „multa mira traduntur, sed maxime sermonem humanum inter pastorum stabula adsimulare nomenque alicuius addiscere, quem evocatum foras

Lossius et tygres et Pœna animalia vincit,
Et magis Attalicis æstuat ille feris.
Quantus hic insidiis tamen est quantusque furore,
Quantus ubi insanum turbine pectus agit,
In me tantus erat, tantaque efferbuit ira;
Quaque potest iamnunc arte nocere parat.
Quid tamen effecit nisi quod nudavit euntem,
Ut possem efferri commodiore statu? | Fortuna Hutteni apud Rostochium.
Res tulit hic parvas, ut multo plura tenerem:
Dum nocuit, damnis offuit ille meis.
Nunc igitur tristes consumit lividus horas, | Attende Lossii invidiam.
Et quia non potuit lædere, posse cupit:
Nulla quies illi, noctes vigilantur amaræ,
Dum solitas animo concipit insidias;
Luce operum vacuus; nisi quod mihi obesse putarit
Nil agit, et studiis abstinet ille suis,
Insano livore macer cæcoque veneno
Pallidus atque intra viscera rupta miser;
Non cibus est illi gratus mensaque reponit
Vix bene libato pocula sumpta mero:
Ante oculos, illum, tanquam mea perstet imago,
Terret et hanc se iam coram agitare putat.
Quando igitur nihil hunc commissi pænitet huius, | Quod Lossius placari non possit.
Et semper fraudes ardet inire novas,
Me decet ulcisci et cæcos stimulare furores,
Ut tandem invidia tabeat ille sua.
Tu quoque, sive pedes numeris intexere malis,
Sive placet scriptis ut pede liber agas,
Ede aliquid, sed rumpe moras, impelle nocentem:
Nunquam animum melius exacuisse potes.
Ille quidem furit et vetitis nihil imperat ausis,
Dum furit, in medio siste furore moras:
Qui nihil innocuis sanctoque pepercit honesto,
Huic te nulla sinunt parcere iura viro.

---

laceret. Item vomitionem hominis imitari ad sollicitandos canes quos invadat".
[46] immittes *1. sed vetus manus ex. mei induxit primam* t efferitate *omnes.*

[47] tigres *2. 3.* pena *1. sed Hutt. et vett. m. corr.* Pœna] *Punica, Africana.* pena *1. sed* poena *corr. vet. m. ex. mei.* [48] Attal.] *Asiaticis.* [50] turbine *1.* [52] iam nunc *2. 3.* [53] efficit? *1.* mutavit *1. sed recte corr. vet. m. exempli mei* nudavit, *perperam vet. m. ex. Gryph.* notavit *quod exhibent 2. 3.* [56] obfuit *2. 3.* [59] ledere *1.* [66] sumta *2. 3.* [69] penitet *1.* poenitet *2. 3.* [70] ardet] audet *2. 3. temere. sed recte 2.* 'erbrenut'. [73] interer emalis *1. sed vett. m. corr.*

[Elegia VII.]
EPITAPHIVM M. IACOBI PAVER
OPTIMI VIRI.

Flete, meæ mæstæ, et lachrimas confundite, Musæ,
Et rigido teneras ungue ferite genas:
Ille mei species, mei auxiliator honoris,
Pulchram animam cæcas condidit in tenebras.
Rostochium studiis, patria Lubecia fovit, Patria Iacobi.
Oppida Germano nobilitata solo.
Ipse vagas merces primis exercuit annis Iacobus olim mercator.
Et didicit vafram multiplicare stipem;
Post ubi compertum est perituri gaudia mundi
In se victuræ lucis habere nihil,
Sprevit opes rerum positaque cupidine lucri
Maluit æternas quærere divicias;
Ergo illi spreto fallacis fœnore nummi Factus sacerdos.
Assumpta est divi cura sacerdotii;
Ne tamen oratis tantum sacra poneret aris
Et daret assiduas in sua thura preces,
Decretum est teneram studiis ornare iuventam
Et velle iis animos erudiisse rudes,
Atque ut ei pacta est Lunensis cura cathedræ, Iacobus gymnasii Lunensis Rector.
Edocuit pueros edocuitque viros,
Nunquam luce vacans, nunquam sine marte quietus,
Semper agens variis sollicitudinibus.
Exemplum vobis, iuvenes, ætate sequendum, Sequendus Iacobus.
Qua legitis vitæ commoda quisque suæ.
Ille videns luxus, iras, discrimina, cædes,
Molliciem, casus, iurgia, furta, dolos,
Quasque senes curas, quasque illaqueata iuventus
Volvimus, et varias sortis in orbe vices,
Difficilesque ortus hominum et breve tempus honoris Attende mundi vanitatem.
Vanaque, divicias, stemmata, regna, duces,

Hunc magistrum Iacobum Pauerum (*Bauer*) non nisi ex hac elegia novimus etiam nos. Lubecenses Rostochiensesque in viri vitam inquirant. [1] meae et maestae: et *1. sed Hutt. et vett. m. delev. prius* et. moestae *2.3.* lacrymas *2.3.* muse *1.* [4] coecas *1.* [8] vafrum *omnes.* cf. Vir. bon. v. 136. [9] Postubi *1.* [12] querere *1.* divitias *2.3.* [13] fallocis *1. sed Hutt. et vet. m. ex. mei corr.* [14] Assumta *2.3.* [16] sua *1...3.* suas *vet. m. ex. mei.* [19] Lunensis cath.] *Rostochiensis regentia s. bursa* zum halben Mond. [24] Cf. eleg. III. v. 24. [26] Mollitiem *2.3.* [30] divitias *2.3.*

Coniugiumque recens et pignora chara parentum,
    Et stata quæsitis ocia parta bonis;
Ille videns, inquam, fragile et sine nomine corpus
    Vimque hanc, quæ postquam crescere cœpit abit,
Et faciles vetitis animos, in agenda rebelles,
    Et tantum duris cuncta paranda modis,
Præcipitesque annos et post sua robora canos
    Et stabiles nulla condicione dies,
Persimiles paleis ventoque fugacibus undis,
    Persimiles umbræ roboreisque comis;
Ille videns unum exitium iustisque malisque,
    Non eadem extremi præmia iudicii,
Despexit siquid propius mortalibus esset, — Studium Iacobi Pawer.
    Concepitque animo fertiliora suo,
Deditus ingenio, solius cultor honesti,
    Nusquam animo, nusquam relligione vacans,
Et pius, et clemens, et vani exactor honoris,
    Nil peregre cupiens sollicitusque sui,
Supplicibus facilis, charos adiuvit amicos:
    O quantum rebus profuit ille meis:
Notum est in morbo nostros gemuisse dolores,
    Notum est in casus collachrimasse meos.
Tristis erat si quis nostrum non carperet hostem,
    Sæpe illi in docto Lossius ore fuit;
Damnabat scelus enorme spoliumque nephandum,
    Damnabat siquid tristius esse potest.
Heu nihil exemptum, nihil hoc in tempore tutum, — Exclamatio in mortem.
    Omnia fracturæ mortis in arbitrio!
Si potuit virtus claro superesse decore,
    Quid iacis in tantum, Mors, tua tela virum?
Prorue de vulgo quemquam, sit vivida virtus,
    Tu nihil in vero numine iuris habes.
At quia non standum est, sed in hac ætate cadendum,
    Et nihil incerto est certius exitio,
Et quoniam nihil est, ævo ut speremus in illo, — Omnia hic transitoria.
    Omniaque ad nutum mors agit ista suum,

---

32 quesitis *1.* otia *2. 3.* 34 que *1.* cepit *1.* 38 conditione *2. 3.* 39 cf. Iob XXI. 18. 40 cf. Iob VIII. 9. XIV. 2. Psalm. CXLIIII. 4. Isai. I. 30. 44 **Concoepitq3** *1.* 46 religione *2. 3.* 51 genuisse *1. sed Hutt. et vett. m. corr.* 52 collacrymasse *2. 3.* 55 nefandum *2. 3.* 56 tristius *1. sed vett. m. corr.* 57 in hoc *1. sed Hutt. et vett. m. corr. In ex. meo* hoc in *ad marginem, sed in ipso versu super inductum* in *scriptum est* est.

Pone tuas lachrimas vanosque intercipe fletus.
Quale illi fuerat, tu quoque corpus habes:
Quod tamen hic iuvenis cecidit viridique sub ævo,
Vertitur in lachrimas nostra Camœna novas.
Sed tu qui transis, saltem, ut tranquilla quiescant
Ossa, petes; lachrimas nil cupit ille tuas;
Utque aliquo sacrum cultu venerere sepulchrum,
Quattuor admissa carmina fronte legas.
Hic iacet extinctus validus Iacobus in annis, Epitaphium.
Vir bonus, et magno presbyter ingenio,
Qui, si diviciis, morum probitate vel annis
Restitui posset vita, superstes erat.
Ite graves, tanti, Manes, salvete, sepulchri;
Suscipiat prompto vos deus ipse sinu;
Ite revisuri magnorum archana deorum,
Iam dabitur vita prosperiore frui.

[Elegia VIII.]
AD EOBANVM HESSVM
VIVACISSIMVM POETAM.

Hesse, cothurnati divine poematis auctor,
Hesse, tui vates gloria prima chori,
Siqua tibi veteris permansit cura sodalis
Et potes Hutteni iam memor esse tui,
Accipe ab extremo Germani littoris orbe
Atque in Pomerio condita scripta salo,
Fortunasque meas vultu cognosce sereno,
Siquod adhuc prisci pondus amoris habes.
Quod tibi nulla meæ delata est littera dextræ, Cur Hesso rarius scripserit.
Quod tibi tam longo tempore nulla salus,

---

[67] lacrymas *2.3.* flactus. *1.* [72] lacrymas *2.3.* [74] Quatuor *2.3.* carmina] *precationes.* [76] presbiter *1.* [77] divitiis *2.3.* annis *omnes. cave ne* armis *legas, nam mercatorem olim, probum virum, florentis iuventæ defunctum fuisse vult hic versus.* [80] promto *2.3.* ipse *1. sed vett. m. corr.* cf. Luc. XVI. 22. [81] arcana *2.3.*

'vivacissimi ingenii adolescentem' *Hessum adloquitur Huttenus in antiquissimo quod superest carmine vol. I. p. 3.* [1] cothurnati] *non tragici: nam tragœdiam Eobanus nullam scripsit: sed sublimis ac grandis stili, ut heroica elegiacaque carmina et idyllia. Hoc chronodistichon inscriptum fuisse Hessi tumulo refert Motschmann.* Erford. literat. *contin. V. p. 616.*

DVCIte thespIaDes fLetVs, eLegeIa LVge:
hoC hessVs saXo gLorIa Vestra IaCet.

[3] *sodalis Erfurti anno 1506.* [5] ertremo *1.* [7] solo *2.3. Purum recte interpr.* 2. in Pomerio salo = ad mare Balticum. [9] Q. *1.* [10] Q. *1.*

Non ea culpa mea est, sed, quæ conatibus æquis,
Sors levis, insano contrait imperio.
Quæ tacite nostras secuerunt tempora mentes,
Omnia sunt nigris inficienda notis:
Tota mihi morbo peregre traducta fameque,
Tota mihi in fœda condita pauperie.
Ille ego, cui pater est vel eques, vel divite censu, Huttenus ad infimum deiectus.
Cui fama est claros nobilis inter avos,
Quique aliquid didici Musis et Apolline dignum,
Et cuius magni tu facis ingenium,
Ore cibum petii peregrinas pauper ad ædes,
Nec puduit luteas sollicitare casas;
Ante fores somnum gelida sub nocte petivi,
Vix raro surdas iussus inire domos;
Rebus egens pressusque gravi, miser omnia, febri,
Pæne eadem vitæ cura necisque fuit.
More viros nostro potuissem quærere doctos;
Impediit cœptam pestis amara viam,
Et quoties volui, toties magis illa furebat,
Ne foret hac una spe mihi certa salus.
Sum tamen hinc tandem Pomeranam ereptus ad urbem, Gripeswaldum.
Quæ prisca indigenæ nomina Griphis habet;
Passus eram leviter, sed tunc graviora ferendo
Incepi veteris nescius esse mali:
Lossius his natus cum patre nepharius autor,
Lossius Aetnæi sævior imbre freti, Lossii ferocitas.
Quem potes et tygribus torvisque æquare colubris,
Quem posses Libycas ante locare leas;
Cui nihil humanum est, cui sævum marmore pectus,
Cui riget innata debile rupe caput.
Primum erat ille mihi simulata fronte benignus,
Ut caperet tacitis credula corda dolis,
Hospicioque suas peregrinum accepit in ædes, Hospicium Lossianum.
Et quæ sperarem multa daturus erat;

---

[11] que *1.* [13] Que *1.* [14] 'carbone notasti' *Pers.* Sat. V. 108. cf. II. 1. *Plin.* H. N. VII. 40, 41. [19] Appolline *1.* [26] Pene *2.* [27] nostro] *vel. m. superscripsit* poetarum. querere *1.* [32] Que *1.* Gryphis *2. 3. Pomeranis scriptis traditum esse Gryphiswaldi nomen a familia* Gripes *deduci, non nego, sed Huttenum idem dicere nego.* non *de homine* Gripes *sed de ave fabulosa* gryphe *hunc versum equidem accipio.* [34] Incoepi *1.* [35] nefarius auctor *2. 3.* [36] Etnei seuior *1.* [37] tigribus *2. 3.* [38] Libicas *1.* anteloeare *1. 2. 3.* [42] corda *Hutt. et vett. m. (item 2. 3.) fecerunt ex* turba *1.* [43] Hospitioque *2. 3.* accoepit in edes. *1.* [44] que *1.*

Promissa capiebar ope, instigabar amore
    Quem gravis in vultu prætulit ille suo.
Nondum certus eram famæ exemploque peritus,
    Nec qui me fida mente moneret erat:
Assuetas igitur paulatim intendere fraudes
    Cœpit, et has primum dissimulabat acus;
Deinde nihil simulans spem frustrabatur inanem,
    Iam nihil occultos ausus inire dolos:
Siquid erat quo me posset, velut ante, iuvare,
    Abstinuit palam commoditate mea;
Difficilem accessum responsaque dura ferebam:
    Sustinui tumidi iussa superba viri,
Sustinui archanos in nostra negocia risus
    Et cœpi infectos dissimulare iocos.
Sæpe etiam nocuit verasque exercuit iras:
    Quælibet huic odii non mala causa fuit;
Prodidit invidiam facies vultumque sinistrum,
    Et ferus in torvo ferbuit ore furor.
Una salus abiisse fuit, sed et ille vetabat | Abitus Hutteni.
    Iure suo, ut sumpto debitor ære fui;
Sæpe tamen monitus tandem discedere iussit,
    Et notum est abitus sponte tulisse meos.
Bruma fuit solitoque magis vis frigoris ingens, | Facinus Lossii.
    Cogebar tamen hanc continuare viam;
Vix modicum progressus eram campumque tenebam,
    Cum sensi occultos verba fuisse dolos:
Ecce ruunt equites instantque minacibus armis;
    Sumitur e nobis quanta rapina fuit,
Deripiunt vestes et toto corpore nudant,
    Turba nihil morbos commiserata meos.
Iusserat hoc sceleris commentor Lossius huius. Lossius raptor.
    Iusserat, et fieri quod iubet ille decet,
Utraque iura docens, et tanto consule natus.
    Ostendam tamen hoc non decuisse scelus:

---

45 capiebat *1. sed ex* t *fecerunt* r *Hutt. et vett. m.* 48 *Sero itaque monuit Ulricus Manovius. cf. lib. I. eleg. 8.* 54 „Palam in prima syllaba produxi neque per *ignoran*tiam neque per negligenti*am* sed confisus autoritate *Marci*ani Capel*læ* clariff." *in marg. ex. m. adscriptum est, et similiter Londinensis Gryphiswaldensisque: in omnibus autem non nullus litteras bibliopegi culter abscidit. (Fortasse* quidam Philopompus *huic adnotationi occasionem dederat.)* 57 arcana *2.3.* negotia *2.3.* 58 infectos diss.] *ad animum non advertere inficetos iocos.* 60 Quelibet *1.* 62 ore] *vet. m. ex. mei ad marg. adscr.* ære, *quod ad v.* ore *versus 64. adscribendum erat.* 64 ore *1. sed Hutt. et vett. m.* ære *corr.* 65 tamen *1.* 67 cf. eleg. I. 1. init. 75 rap. *1.*

Nil ego de famulis querar ut facientibus illud:
Cogitur a domino subdita turba suo:
Ipse dabit pœnas commissi Lossius autor,
Ipse erit ingenio iusta rapina meo.
Vertitur in subitum mitis natura furorem — *Huttenus commotus.*
Et movet iratum tam bona causa animum:
Arripui calamum rapiorque furentibus ausis:
Da veniam cœptis, magne poeta, meis; — *Deprecatur invidiam.*
Ipsa suam poscit vindictam iniuria, nec me
Ulcisci hoc alia condicione decet:
Tu quoque sic læsus fruereris talibus armis,
Quem memini duris sæpe nocere modis.
Quem memini meritum vertentem in carmina telum
Laxa magis moto fræna dedisse animo
Et Stygias movisse faces, sumpsisse furorem
Et totum telis incaluisse tuis.
Quæris an hæc maneat, quam tunc, fortuna, ferebam: — *Fortuna Hutteniana.*
Pone metus, pulchrum est res mea nacta statum:
Nondum convalui totus viresque recepi,
Spes tamen est ratior quam fuit ante mihi:
Rostochiam spolio deveni nudus in urbem,
Inveni doctos qualibet arte viros,
Inveni faciles et libertatis amicos,
Omnia pulchra magis credulitate tua:
Sic me iuverunt, ita sum susceptus ab illis, — *Quomodo Rostochii susceptus.*
Ut videar patria non procul esse mea.
Hæc mea fortuna est, sed Lossius ilia rumpit
Et fœde nostri pallet ab invidia,
Exercetque novas successu temporis iras,
Nec video culpæ pænituisse suæ.
Pænituit, suus ut princeps irascitur illi,
Et quia tantorum est conscia mens scelerum;
Deinde mei cunctos quia commiseratio cepit,
Quodque sua nostri vivit in urbe favor.
Huic igitur parcas? aut me parsisse iubebis? — *Quod ad scribendum compellatur.*
Et potes hoc æquo pectore ferre nephas?

---

[80] turba *1.* [01] paenas *1.* auctor, *2.3.* [88] conditione *2.3.* [89] *Non ita mordacia sunt Eobanica quæ supersunt carmina.* [92] frena *2.3.* [93] sumsisse *2.3.* [95] Queris *1.* hec *1.* [97] recoepi *1.* [101] *Adscripsit vet. m. ad v.* libert. amicos: „qui non sinit alicui hominum iniuriam inferri vel illatam ulciscitur". [195] Hec *1.* [106] fede *1.* [108] penituisse *1.* poenituisse *2.3.* [109] Penituit: *1.* Poenituit, *2.3.* princeps] Boguslaus X. cf. lib. I. eleg. 5. [111] coepit: *1.* [112] Q₃ *1.* [114] nefas *2.3.*

Este procul, timidi, quique omnia fertis inulta,
    Diluat offensas mens agitata suas,
Et quoniam magna est, ultricem, iniuria, Musam
    Excitet in famam, raptor inique, tuam.
At tu, magna tui pars, Hesse, fidelis amici,
    Qua decet hæc saltem crimina mente feras,
Nil metuens, ne qua priscos oblitus amores
    Defuerim scriptis tempora longa tibi.

[Elegia IX.]

AD IOANNEM LOBERINGVM
PATRONVM SVVM IN CAVSA LOSSIANA.

Musarum atque omnis cultor Loberingus honoris,
    Quem decet humano ponere in ingenio,
Palladis et Clarii Loberingus Apollinis ardor,
    Phocaica dignus tempora fronde tegi,
Qui carmen, qui lege facit nova scripta soluta,
    Quique aliquid nitido perficit eloquio,
Ille, inquam, tantus tantique decoris amator
    Sponte sua causam format agitque meam;
Iamque suas leges animo repetente recenset
    Et spoliatori iura timenda meo:
Hoc duce iudicibus iniuria nostra severis
    Panditur et lectum fertur in arbitrium.
Frendit et insano furit autor Lossius ore
    Et dolet in partem quemlibet ire meam.
Ille nihil monitis, nihil hoc perterritus hoste   Patronus Hutteni.
    Suscepit nostri iura patrocinii,
Ille meam quovis moderatur iudice causam,
    Iamque sua tabulas condidit ipse manu,
Et mea subscribit posito instrumenta sigillo,
    Nuncque ore, scriptis nunc agit ille notis.
Quod meritum, quæ causa virum in mea commoda movit,
    Quando alius vastas polliceatur opes?
An tot opes superant, an tanta pecunia nostra est,
    Ut possim hostiles vincere divicias?

---

120 hec *1.* 121 Amores *1.*
Ad eumdem tetrastichon 13. (vol. I. p. 13.) scriptum est. 3 Appollinis *1.* 4 Phoc. fronde] *lauro, Parnassia: Parnassus in Phocide.* 13 auctor *2. 3.* 15 petterritus *1.* 16 Suscaepit *1.* 21 que *1.* 22 alius] *adversarius.* 24 divitias? *2. 3.*

An spes est illi in tam iustæ commoda causæ?
Proque suo quicquam ferre labore cupit?
Non merui quicquam, neque iam dare munera possum: Quid moveat Loberingum.
Iusticiæ solum diligit ille decus,
Atque igitur misero fit defensator amico,
Tam turpe intactum ne videatur opus,
Neve suas frustra tentarit Lossius iras,
Iusticiæ laxis expaciatus equis.
Heu mihi, quam timeo, ne tandem cedere cogar,
Cum meus immensas penderit hostis opes,
Atque ego tam longe a patriis discretus amicis
Non habeam dictis omnia temporibus,
Neve egeat sumptu tandem Loberingus in illo,
Et queat Hutteni tædia ferre sui!
Sed facile ex nostro tam vilem corde pavorem
Suffers pollicitis, dulcis amice, tuis:
Iamque nihil dubito, quin tu satis omnia possis;
Et potes, et partis te decet esse meæ.

[Elegia X.]

AD POETAS GERMANOS.

Grande, Elegia, iterum, nec onus vulgare subibis:
Semper habes tua quod crura fatiget iter;
Tu tamen ire para, et nostris nil detrahe iussis:
Hoc mihi non vilis munere surgit honor;
Labere per totos commisso Teutonas orbe
Et patriæ gentes ruraque culta meæ,
Non quod ibi merces fulvum tibi congerat aurum,
Aut loca quod videas cognita sæpe prius,
Sed pete Germanos ex ordine quemque poetas, Cathalogus scriptorum Germanorum.
Patria vel quos hoc nomine terra colit:
Ut quemque invenies, pro condicione saluta;
Non referendus erit omnibus unus honor:

---

[25] iuſte *1.* [26] quidquam *2. 3.* [27] quidquam *2. 3.* muuera *1.* [28] Iustitiae *2. 3.* [32] Iustitiae *2. 3.* erpaciatur *1.* exspatiatus *2. 3.* [33] cocdere *1.* [38] tedia *1.*

Ut Hutteni Musa per Germaniam poetarum salutandorum causa mittitur hic, ita Epp. Obscc. Virr. II. 9. Magister Schlauraff 'per totam Almaniam superiorem' iter facit, ut pateretur 'poetarum et iuristarum vexas'. Ipse Huttenus, sive de industria sive casu, hanc elegiam ad carmen rithmicale Schlauraffi detorsit. [9] quenq; *1.* [10] *Patria hæc non sola Franconia sed Germania omnis est. parum recte interpretatur 2.* [11] conditione *2. 3.*

Pars onerat Claria vivacia tempora lauro,
Pars vegeto ipsa sibi consulit ingenio.
℄ Qua se Varna celer vicinos fundit in agros | Varna flu. Meckelpur.
Et prope dux arcem Magnopolensis habet,
Marschalcus faciles studiorum pondere Musas | Nicolaus Marschalcus.
Sustulit: hunc ego nil grande latere puto.
Carpathus in flavos rapido ruit amne Prutenos | Istula flu.
Istula, Dantiscæ dum petit urbis opus. | Dantiscum op.
Illic Suchtenius meritos descripsit amicos, | Christophorus Suchtenius.
Iam procul a patria Sarmata factus humo;
Verberiusque celer, quo non velocior alter, | Eberhardus Verberius.
Accessit cupido musica transtra pede.
Hinc tibi regressæ (ni erraveris) obvius ibit
Odera cum nymphis numinibusque suis: | Odera flu.
Urbs est ad fluvii ripas, ubi Marchia tellus | Francophordium cis Oderam.
Tenditur ad fines, lucide Eoe, tuos,
Nomine Francorum portus; Vigilantius illic | P. Vigilantius.
Musarum culto tradit ab ore decus,
Trebeliusque meus Pomerano cum grege vates, | Hermannus Trebelius.
Qui scribit lepidis cultum epigramma modis:

---

[15] *Infra Rostochium Varna in lacus latitudinem effluit.* [17] *Marschalk, ad quem elegia I. 9. scripta est.* [19] *Ex Carpathiis Silesiæ Austriacæ montibus veniens Vistula.* [20] opꝰ. *1.* opes *2. 3. temere.* [21] „Christophorus de Suchen, natione Prutenus ex Gedano oriundus, artium studii Liptzensis magister et poeta clarus, canonicus Warmensis etc. edidit præclarum Epigrammatum opus et alia varia carmina". *Maderi* Centuria serr. insign. n⁰. LXVI. *Versum 22. parum recte ad Verberium trahi vult Mohnik. p.* 404. [24] Verberius] Hunc (Ferber, Färber?), de quo se nihil conperisse adnotavit Mohnike, puto ex Francofurtanis Hutteni conmilitonibus olim fuisse: nam ante Trebeliana carmina, de quibus dictum est ad lib. I. eleg. VIII., hoc carmen legitur ante Manovii hexastichon:

Eberhardus Verberius | Dantiſcus |
Oꝛpheus Eurydicen ſtygio reuocauit ab Oꝛco:
Thꝛacitia: blandis carminibuſqꝫ: lyra.
Saxaqꝫ mollierat. colles· ſiluaſqꝫ ſequentes:
Et traxit vaſtas in ſua vota feras·
Carminibus Perſeus viget. ꝛ Tirynthius heros:
Floꝛet et Hectoꝛei magna ruina ſoli.
Sic duce Trebelio· toto cantatur in oꝛbe·
Perpetuūqꝫ decus: Dux Joachimus: habet

Alia etiam huius Verberii carmina in aliorum libris, nescio nunc quibus, me legisse memoro. [27] Trans orientales Marchiæ fines Sarmatia extenditur. [28] Arbilla *vet. m. ex. Gott. adscr.* Cf. vol. I. p. 5. v. 20. sq. [31] Cf. vol. I. p. 8. et p. 16. ad v. 5., ubi adiciendum erat nomen in albo Viteb. (*Förstem.* p. 4.) sub primo academiæ rectoratu sic inscriptum esse „Hermannus Trebelius de eysennach". Inscriptione carminis ad sq. v. 61. repetendi 'Iureconsulti et poetæ Laureati' titulos gerit.

Hic mihi non patria tantum sociatur eadem,
Vix animi voto iunctior alter agit.
Hoc duce res vatum augetur, iamque inpiger ille
His studiis iuvenes extulit Osthenios. — Ioannes et Alexander Ostheni.
At Phaethonteum porrecta Silesia ad ortum — Silesia.
Non nihil in nostra laude decoris habet:
Hic faciles elegos Corvinus protulit autor, — Laurentius Corvinus.
Qui patriam Musis ingenioque fovet.
Busta Sigismundi tamen hic venerare poetæ, — Sigismundus Fagilucus.
Intempestive quem dedit hora neci.
Rura Bohuslaus montosa Bohemicus ornat, — Dominus Bohuslaus de Hassensteyn Baro.
Ipse decus variæ nobilitatis habens;
Ingenium velox et nobile stemma parentum
Huic dedit et pulchras Antias addit opes;
Et patriæ consors apud hunc mihi Sturnus amicum, — Ioannes Sturnus.
Francorum cuius nomine vulgus ovat.

---

36 Hi fratres, quibus Huttenus Artem versificatoriam inscripsit (vol. I. p. 15. sq. n. VII.), filii Ewaldi von der Osthen, qui Bugslao X. a consiliis fuit, post Hutteni etiam abitionem Francofurti remanserant. 'Alexander de Osten Dioc. Camin.' albo acad. Viteb. (*Förstemann* p. 56.) inscriptus est a. 1515. et 'Iohannes von der Oesthen Canonicus Caminen. 15. Sept.' a. 1518. non multos dies post Melanchthonem (*Förstem.* p. 72. 73.), quocum amicitia coniunctus fuit, ut cum Eobano Hesso. obiit Vittenbergæ pridie Id. Ian. a. 1519. Alexander Barnimo XI. Philippoque I. ducibus a consiliis fuit. Poterat Strambergius de his quoque Ostheniis, ubi de hac gente (*in Erschii Grub. Encycl. v.* Osten) disseruit non nulla ex Mohnikio Pomeranisque scriptoribus ibi laudatis addidicisse. 37 Phaetonteū *l.* 39 Laur. Corvinus (*Rabe?*) Novoforensis Silesius, nat. a. 1465. (?), certe non 1495. (ut iam alii Iœcherum v. Corvinus, Laur., et Saxium emendarunt) † a. 1527. Philosophus historicusque in Silesia docuit Cracoviæque, ubi maxime inclaruit, Bebeliumque inter alios discipulum habuit; carminum uberrimus scriptor, inter quæ sunt *De Silesia et Novo foro* et de *Polonia et Cracovia.* Conposuit etiam scholasticos libros, qualis est Cracoviæ a. 1496. editus *Compendiosa diversorum carminum structura*, *Hortulus elegantiarum*, *Latinum Idioma,* de quo Epp. Obscc. virr. I. 11. Cathedra relicta publicis muneribus functus est Thoruni Vratislaviæque. Cf. *Erhard.* Gesch. des W. der Wissensch. III. p. 307. sq. 41 De hoc προσωρίῳ poeta Sigismundo, quem a vico Silesiaco Buchwald cognominatum esse putem, nec mihi constat. 43 D. *1.* Bohuslaus de Lobkowitz, dominus de Hassenstein, studiis et libris a se congestis, itineribus muneribusque functis, liberalitate erga doctos amicos exercita clarus, obiit nondum XLVIII. ætatis anno peracto non longe post hos versus scriptos, d. 12. Nov. a. 1510. Hunc 'nobilitatis columen' adpellare solitus est Eitelvolfus vom Stein, teste Hutteno vol. I. p. 43. §. 34. Videsis Iœcher. v. Hassenstein. *Erhard* l. c. III. p. 200...229. 46 Antias] 'diva, gratum quæ regis Antium' (*Hor.* Carm. I. 35,1.), Fortuna equestris. cf. Macrob. I. 25. 47 Io. Sturnus (*Star*) Smalcaldensis, ab Eobano etiam (Sylvar. I. carm. pænult.) et Hassensteinio Buschioque (*Mohnik.* p. 558. sqq.) carminibus celebratus (*Cornova*, Bohusl. v. Lobkow. nach

Hos ubi contigeris, tractu Eytelwolphus in illo | Eytelwolphus de Lapide eques auratus.
    Præcipuæ veniet nobilitatis eques,
Qui motos inter bellorum strage tumultus
    Cæsariasque acies Teutonicasque manus
Præliaque et ductas effuso sanguine turmas
    Cum Musis placido permanet ingenio.
Sed noti ad ripas Albis Saxonibus agris | Wittenpurgk.
    Urbs est gymnasio nobilitata novo:
Vivit in hac Francus, patriæ nova gloria nostræ, | Balthasar Phacchus.
    Phacchus, amicitiæ portio fida meæ;
Cumque suo Phacchо parili coniunctus amore, | Georgius Spalatinus.
    Qui miram ingenii vim, Spalatinus, habet.
Est quoque Thuringus, cui fama urgente, Sibutus, | Georgius Sibutus
    Cæsareæ lauros imposuere manus.
Et longe a patriis seiunctus Sprulius oris, | Ricardus Sprulius Italus.
    Qui iuveni Italicos intonat ore modos.

---

s. eig. Schriften gesch. Prag 1808. 8º.), cum Huttenus hæc scriberet, apud Hassensteinium habitabat. Annabergæ Schlauraffio alapam dedit, ut legimus in Epp. O. V. II. 9. v. 79. sq. Duo Sturni in Buschii laudem bona carmina sunt in huius Epigrammatum libro Tercio. p. ꝶ5.6. De vita viri vide Mohnik. et quos hic laudat atque *Erhard* l. c. p. 320. sq.

49 Hos] *Francos.* Eitelvolphus *2. 3.* Satis nobis notus Hutteni fautor et amicus. Cf. *Erhard* l. c. p. 230...254. 50 Precipue *1. et* Præcipue *etiam 2. 3.* 52 Cesariasq; *1.* 53 Proeliaque *2. 3.* 54 Moguntiæ ubi litterarum studium condere voluerat, obiit nondum quinquagenarius. Vide impr. ipsum Huttenum vol. I. num. XXVI. 55 Wittenbergensis litterarum universitas condita a. 1502. 57 Balth. Fabricius, Vachensis Hessus (vol. I. num. XI. cf. etiam p. 124. §. 7. p. 325. v. 18. p. 356. v. 22.), Wittenbergensis Hutteni hospes statim sub primo rectoratu Wittenbergensi albo (*Förstem.* p. 4.) inscriptus est „Balthasar fabricius de fach".' Melanchthon adscripsit 'Mortuus anno 41. montags nach visitationis Mariæ'. De eo lusit Huttenus in Epp. O. V. II. 9, 9. sq.: Tunc est ibi *[in Saxonia, Wittenbergæ]* unus poeta, qui vocatur Balthasar de Facha, Qui me tribulavit, quod mihi valde doloravit. 58 amicicie porcio *2.* 60 Celeberrimus Lutheri et Hutteni amicus, bis etiam in Epp. O. V. memoratus, I. 48. II. 9. 75. 61 Sibitus *3.* Sibutus (Daripinus cognominatus, a Thuringico vico patrio, quem neque equidem compertum habeo: an *Langenhayn?*) in albo Viteb. (*Förstem.* p. 18.) a. 1515. sic inscriptus est „Georgius Sibutus daripinus poeta laureatus". cf. vol. I. p. 14. Inter laureatos poetas a Spiegelio (vol. I. p. 145.) recensitos Sibutus non legitur. In Epp. obscc. virr. I. 3. II. 9, 7. sq. II. 51. memoratur poeta, logicæ præceptor, bonus socius, qui est in medicina imbutus et habet antiquam vetulam, quæ vendit bonam cerevisiam, et est discipulus Conradi Celtis. Post Buschii discessum Coloniæ professor rhetorices fuerat. Hameln. p. 291. 62 Cesareae *1.* 63 patrijs *1.* patriae *2. 3.* Sbrulius *2. 3.* „Richardus Sbrulius Foroiuliensis italus Poeta" æst. a. 1507. in alb. Viteb. inscriptus (*Förstem.* p. 21.), Utino oriundus (non *Forliviensis*: *Forli* longe abest a Foro Iulio) poeta a Maximiliano laureatus (vol. I. p. 145.) et, si Trebelium audis, proximus prophetis, si posteritatem audis, fere nullus. Huttenus hominem non multum amavit, levem

Hinc vicina petes Misneæ mœnia Lipsæ, | Lipsa.
Cui tandem famam Lusaca Musa dedit:
Rhagius hic iuvenes nec non quibus actior ætas | I. Rhagius Aesticampianus.
Erudit et teneris consulit ingeniis;
Sæpe quid in vulgus magni gravis edidit Emser, | Hieronimus Emser.
Et iam nescio quid secum habet ille novi.
Nec tu prætereas sublimem Virginis urbem, | Magdepurgk.
Pæne habitat mediam Nisa puella viam: | Nisa

---

et futilem adpellans (vol. I. p. 345. v. 5. sqq.). Meruit primum in aula Cæsaris, tum electoris Saxonici, deinde Wittenbergæ docuit; postea Francofurti ad Viadrum, denique Friburgo in Brisgovia relicto in aulam Cæsaream rediit. Cf. Becmann. Not. univ. Ff. p. 68. Iœcher v. *Sbrolius*, Mohnik. p. 442. sqq. De carminibus viri inscriptis *Chrysocharis* et *Neocharis* ibi dicitur, sed addendum est *Theocharis*, quæ a. 1521. (Ff. ad Viadr. puto) foliis 22 quadratis prodiit, et tribus postremis paginis Sbrulii carmen elegiacum 33 distichorum in laudem Theodorici de Bülow continet, cui cum Alberto Moguntino carmen dicatum ést. Inscriptio libri hæc est: RICHARDI SBVLII *[sic]* FOROIVLI|ani Equitis liberalium diſciplinarum do-|ctoris: & profeſſoris: in Academia | Franckfordiana: Poetæ & ora|toris clariſſ. Theocharis.| (Effigies crucifixi adstantiumque matris et Ioannis.) | Ad Spectatorem Crucifixus Chriſtus. | Conſpice quæſo tuū conſtanti lumine Chriſtū | Quiſquis ades, dominū cōſpice quęſo tuū. | *Tum sequitur in aversa pagina:*

HERMANNI TREBELII NOTIANI
Iureconſulti & Poete Laureati. in terſiſſimos & offitioſiſſimos Elegos Richardi Sbrulij
Itali de paſſione Dominica
Hendecaſyllabi.

Inſignis merito Poeta: ſi quis:
Diuinis quoqȝ proximus Prophetis:
Dicetur (procul hinc abeſto fictum)
Solus Sbrulius hiCC erit Richardus:
Purus carmine: purior camœnis.
Verſu relligioſior canoro.
Senſu pneumatis altiore plenus:
Chriſto digna canens: choroqȝ Chriſto:
Quod Romana poteſt ꝓbare Quercus.
Tum vel pręcipue flagella quando
Fuſtes, iurgia, arundinem, columnam,
Veſtem purpuream, trucem coronam:
Clavos, lanceolam, crucem reponens:
Noſtram veridice canit ſalutem.
Atqȝ hęc omnia pulchre & expolite:
Tornate, ingenue. ſatis rotunde.
Is nūc SERVLION & negas poetā?
Vatem vatidicum: ſacrum Prophetam?
Aut: ſi non datur eſſe tam ſacrato:
Saltem: pectore proximum prophetis?

[66] Musa] nomen *1. sed Hutt. et vett. manus corr.* Lus. Musa ipse Rhagius est. [67] *Iohannes Rack von Sommerfeld in der Lausitz.* cf. vol. I. p. 8. num. III. De hoc suo præceptore, de cuius vita h. l. dicere opus non est, amanter ac reverenter sæpius scripsit Huttenus, memoraturque etiam in Epp. Obscc. viror. I. 17. II. 9, 73. Mohnike p. 446. sqq. actior *edd.* Scio quidem de ætate *acta* Latine dici, malim autem h. l. *altior*. Eſticāpianꝰ *1.* [69] Emserus Ulmæ natus a. 1477. Erfurti de Reuchlini Sergio legit, et Pirckheimer Reuchlinistis eum adscribit. Lipsiam venit a. 1504. † a. 1527. Simultates cum Rhagio Buschioque, cum Luthero in primis et Lutheranis gestæ magis quam sua de litteris merita homini famam quamdam pararunt. Vitam multi enarrant. [71] Nomine suo nullum Magdeburgensem Hutteni Musa salutat præter Steinbeckium. [72] Pene *1.* Hæc Nisa nec mihi unquam alibi visa.

Hic bene de doctis meruit Gasparus amicis, Gasparus Steynbegk.
    Quem passim in numeris Musica turba colit.
Offeret excelsos digressæ Erphordia vates Erphordia.
    Atque omnes iunxit quos habet illa mihi:
Crotus in hac nobis sub primis præfuit annis, I. Crotus Rubianus.
    Crotus, Apollineæ fama superba togæ;
Qui tibi, seu numeros seu quicquam lege solutum
    Scripserit, egregia laude probandus erit:
(Sed dabit ipse meus veniam hac mihi parte magister: Eobanus Hessus.
    Quis non ingenio cesserit, Hesse, tuo?
Te iuvenem tetrico texentem verba boatu,
    Vincentem cultu tempora nostra novo,
Pallida miratur victa gravitate senectus:
    Iudice me nil te hæc tempora maius habent:)
Quique agit in studiis miro Temonius illis Ioannes Temonius.
    Marte, nec est vili præditus ingenio.

---

73 Quæ aliunde de hoc viro scimus, consistunt in morum laude a Buschio illi tributa in epistula dedicatoria Sermonis Coloniæ in celebri Synodo ad clerum dicti, continentis accuratam exhortationem ad studium sacræ scripturæ, quam Burckhardus etiam (Herm. Buschii Vall. humanit. Ff. 1719. 8°. p. 208. sqq.) sed omissa illa laude, quam igitur repetemus, iteravit. Habet itaque Buschianus ille liber in pag. altera sic: ℭ Honeſto ꝛ erudito viro Caſpari Steinbeg: reuerendiſſimi in Chꝛiſto patris ꝛ illuſtriſſimi p̄ncipis: dn̄i Erneſti: ep̄i: Magdeburgēſis germanie p̄matis Secretario: Hermānus Buſchius paſiphilus S. D. P. Tantū vim habet ad inuehēdū obliuionē: hoīm abſentia: oꝛnatiſſime ꝛ chariſſime Caſpar: vt ip̄am etiā amiciciam plerūq3 diſſoluat: p̄ſertim ſi fuerit diuturnioꝛ. Mihi tamen: etſi longe abſim a te: abfuerimq3 iam plus q̄nquēniū ferme: nihil illa de memoꝛia tui īminuit ſiue detraxit hacten9 Immo q̊ diutius te careo eo magis tui mihi deſiderium acuit̃ indies atq3 auget̃ Adeo honeſtiſſimi tūi moꝛis: ſolidū: ac p̄tinax memoꝛiale animo imp̄ſſi meo: vt nullius obliuionis iniuria inde aliq̄n poſſit effluere. Quoties audio laudari virū doctū: humanū: liberalē: facetū citra tn̄ leuitatē: grauē citra nubē frontis (et vt bꝛeuiter dicā) quoties audio laudari virū bonū: cogito Caſparē meū: in q̊ nihil ambitio ſibi: nihil vanitas arrogat: nihil auaricia vendicat Qui nō adijciēdo facultatib9 ſ3 detrahēdo cupiditatib9 ditatus ē: q̍ pluris facit virtutē: q̄3 aurū: ꝛ eruditas lr̄as appetit plus q̄3 exq̍ſitas delicias. Hos nobiliſſimos moꝛes: et oppido nūc q̄3 rariſſimos mecū reputās ꝑlirius: q̍ bꝛeue epiſtoliū deſtinauerā me miſſurum: nō potui et quæ secuntur ap. Burchardum l. c. 75 digreſſe *1.* 77 pꝛefuit *1.* De hoc Iohanne Iæger, Hutteno a pueris ad cineres usque amicissimo, verbum h. l. non amplius addam, nisi quod in Epp. quoque obscc. virr. II. 9, 66. memoratur. 78 Appollinae *1.* Apollinae *2. 3.* 79 quidquam *2. 3.* 82 Salve et tu, rex! 83 tetrico t. v. boatu] *Worte in strengem Klange verwebend, in ernstem Ton dichtend.* „Der du als Jüngling mit Schreckengebrüll auftratest im Versmaaß" *3.* ... das Wort mit finsterm Gebrülle verwebend. *2.* Eobanus etiam in Epp. obscc. virr. sæpius memoratur, ab Hutteno II. 9, 61. sq. 86 hec *1.* 87 Ioannes Temonius, sodalis Hessi Huttenique non magis quam Mohnikio mihi notus, id est ex Eobani Hessi tribus ad eum scriptis carminibus (Sylv. libb. I. IV.) „Ad

Passibus hinc aliquot spacio seiunctus iniquo
Tranquillam vitam ducere Ruffus amat, Mutianus Ruffus.
Ipse sui totus, sed enim nec cedere cuiquam
Aptus, ut ex quovis præmia marte petas:
Consulit hunc Crotus, doctoremque eligit Hessus,
Non nihil et crebro profuit ille mihi.
Francorum ad fines miris Tritemius abbas I. Tritemius abbas Herbipolensis.
Artibus infami nomen ademit humo.
Hinc grave per montes et densas undique silvas
Est iter in saltus, Phagina dura, tuos: Phagina quæ Buchonia.
Hæc etiam tellus, nostrarum conscia rerum,
Nomen in Aoniæ munere sortis habet.
Hic, ubi se Titan ab Eois erigit undis, Faginæ situs.
Doctus habet patriæ rura Capella suæ; Ioannes Capella.
Vivit ad occiduos Phœbei luminis ignes
Hopfo, pars animæ, tu Philomuse, tuæ. Ioannes Hopfo.

Temonium amantem, de amore", „Temonio Romam abeunti", „Ad Temonium. dolet [Eobanus] quod in septentrione vivat". [88] prædıtus *1.*

[89] spatio *2. 3.* [90] Tranquill.] cf. vol. I. p. 45. §. 57. De Mutiano legesis Straussium et Kampschulte (Die Univ. Erfurt. Trier 1858. I. Kapp. 3. 4.) Gothæ Mutianus canonicus habitabat. Rufus *2. 3.* Cf. Epp. obscc. virr. II. 9, 71. [93] elegit *1. sed vet. m. ex. mei corr.* [95] Ioannes, ab ignobili vico *Trittenheim* ad Mosellam, ubi d. 1. Febr. a. 1462. natus est, cognominatus celebrior est quam de quo plura hic adnotare opus esset. † a. 1516. d. 16. Dec. in ædibus S. Iacobi Virceburgensis, quibus, relictis Spanhemensibus suis rebellibus factis, decem fere annos præfuerat. [98] Fagina *2. 3.* Cf. vol. I. p. 17. §. 2. Phagigenam Huttenus sese cognominat supra p. 5. Cf. etiam Epp. obscc. virr. II. 9, 69. Puerilem in Buchonicis arce Steckelberg monasterioque Fuldano ætatem egerat. [99] Hec *1.* [102] Fagine sitꝰ. *1.* [102] De *Matthia* Capella s. Philocapella Eobani amico Mohnikius (p. 475. sq.) ex Striedero verba facit, et eumdem Capellam esse cui Euricius Cordus unum epigramma inscripsit (lib. VI.) opinor. Ceterum nomen huius Ioannis mihi quoque incogniti *Zick* fuisse crediderim, sed Fuldensem fuisse, quod Mohnike opinatus est, negaverim: in orientalibus Buchoniæ partibus natus fuit hic Capella. [104] Hopſo *1. sed corr. Hutt. et vett. manus.* hopſo *etiam ad marg. 1.* Hopfonem alibi me legere non memini; fortasse de quodam *Hopfgarten* e familia in his regionibus etiam tum domicilium habente sermo est. Philomusus, i. e. Iacobus Locher, Ehingensis Suevus, cuius vitam Zapfius (Iacob Locher gen. Philomusus. Nürnb. 1803. 8⁰.) descripsit, Conradi Celtis cathedram Ingolstadiensem conscenderat a. 1498. [cf. Epp. O. V. I. 25. II. 9, 37. sqq.], unde discedere coactus homo ingeniosus pariter atque lascivus et procax Friburgum reversus cum Zasio, antea sibi amicissimo, misere conflictavit. cf. *Zapf* l. c. p. 13. sqq. *Stintzing* Ulr. Zasius p. 56. sqq. [„Locher kann unter den Humanisten als ein Vorspiel dessen gelten, was die Reformatoren an Karlstadt und den Wiedertäufern erleben mußten".], item Zarnckii *Brants Narrenschiff* Lips. 1854. p. XXIII. sqq. et Zasii epp. a Rieggero editas Ulm. 1774. II. 8⁰. *Erhard* Gesch. des Wiederaufblühens wissenschaftl. Bildung III. p. 171...199. Locherus † a. 1523. s. 1524. Cf. infra v. 225.

Fagina sed qua se tellus demittit ad austrum, *Patria Hutteni.*
    Exulis Hutteni vivit uterque parens,
Invenies fratres et forsan utramque sororem,
    Stabit et ante oculos turba propinqua tuos.
Hoc tibi mandatum secluso in pectore serva,
    Ne quicquam in causa resciat illa mea;
Quod valeam incolumis, quod habent bene cetera, dices,
    Dum salvere meo nomine quemque iubes:
Multa volet mater, sed tu, quid Lossius hostis *Mater Hutteni.*
    Egerit, ut crebro sollicitata, tace:
Audiat illa nephas, defectos decidet artus
    Et gelidum absque omni sanguine pectus erit:
Cura mihi est, male ne nostros ferat illa labores,
    Neve illi nova sim causa doloris ego.
Nesciat hoc genitor; iuvenis quoque nesciat, ævi *Ferobinus Huttenus.*
    Maxima qui post me tempora frater habet.
Transieris tristemque patrem vatesque relatos,
    Vertere ad arctoos officiosa polos:
Salve, fida domus sacrorum, Fulda, tuorum, *Fulda Faginæ caput.*
    De te præsentes testificata deos;
Salve, plena dei, patriæ lux aurea nostræ,
    Quæ facta es tantis hospita relliquiis!
O vetus hospicium et peregrinis mansio sacris,
    Quæ claudis mirum hoc sub tua tecta decus,
Te sibi delegit unam Bonifacius hospes, *D. Bonifatius.*
    Atque in te sanctos transtulit ille viros,
Templaque composuit fierique hæc mœnia iussit,
    Et totam fausto condidit auspicio,

---

[105] Parria *1.* [106] In arce Steckelberg. uterq. parens] Ulricus et Ottilia. [107] fratres] Frobenium, Laurentium, Ioannem. (cf. vol. II. p. 329. v. 19. sqq. et I. p 430. num. CCIIII.) utramq. sor.] i. e. nisi interea, dum Huttenus exulem se fecit, matrimonio inito aut morte patriam arcem reliquit. [110] quidquam *2. 3.* [111] Q *1.* [12] quenq; *1.* [113] Cf. vol. I. p. 450. v. 30. sqq. tu] *mea Musa.* [115] Audiat] *Si audiet.* nefas *2. 3.* [110] : Cui *1.* *Lemma* Ferobinus Huttenus *ad fratrem solum pertinet, nam patri, ut diximus, Ulrico nomen fuit. Aperte ipse Huttenus se maximum natu ex quattuor fratribus esse, quod falso non nulli negarunt, hoc loco dicit.* [123] domos *1. sed Hutt. et vett. m. corr. Fulda quinque fere miliaribus Germanicis aquilonem versus a Steckelberga arce abest.* Fagine *1.* [121] præs. deos.] 'sacras reliquias' *vet. man. ex. meo adscr.* [125] *Unde Christianum nomen per boreales Germaniæ partes diffusum est.* [126] Que *1.* reliquiis! *2. 3.* [127] hospitium *2. 3.* *Anno 744. Fuldense monasterium a Bonifacio conditum est.* [128] Que *1.* [229] Divus Bonifacius, Winfridus, Germanorum apostolus, Moguntinus archiepiscopus, Cridiodunensis (Kirtonensis) Anglosaxo, nat. circa a. 670., a Frisonibus apud *Doccum* occisus a. 755. [131] menia *1.*

Digna tui cultus, numquam sine laude futura,
Hospitii semper cresce decore tui:
Huic urbi largita novas, Elegeia, laudes,
Abbatem noli quære monasterii. *Hartmannus de Kirchpergk Abbas Fuldeñ.*
Ah tantum petitura virum ne qualibet erres,
Angor ibi merito sollicitorque metu,
Respice quo studio eductus, quo sanguine cretus,
Et premat elatum quanta corona caput,
Quæ sit fama viri, probitas, sapientia, virtus,
Et quibus hic culto præstet in eloquio:
Omnia cognoris totamque inviseris urbem,
Hartmannum flexo poplite, Musa, pete:
Præsule post veterem hoc urbs est celebranda Rabanum, *Rabanus Maurus.*
Qui mira in versu calliditate fuit:
Quod dices aliis, illi quoque dicere cautum est,
Ille dolet si quod nos male turbat onus.
Francus in hac etiam subque hoc rectore sacerdos *Francus et Georgius Morlinii.*
Vivit et est nostræ promptus asilus opis;
Et paribus studiis frater Georgius illi,
Clarus et ingenio dives uterque bono;
Cumque illis hac laude valens Axungia Petrus, *Petrus Axungia.*
Et minor in cultu cætera turba suo.

---

[135] Elegia *1. sed Hutt. et vett. m. corr.* [136] Hartmān. *1.* Hartmannus burggravius de Kirchberg, ab a. 1507. abbatis Ioannis Hennebergensis coadiutor, ab a. 1513. abbas Fuldensis usque † a. 1529. Cur hæc de viro a Fuldensibus scriptoribus omnibus celebrato hic dicantur, satis epistulis et Excusatione Huttenianis declaratur. [138] ubi *edd. sed corr. v. m.* [141] Que *1.* [145] Pꝛeſule *1.* [146] Rabanus Maurus, Moguntinus, nat. a. 785., Bedæ et Alcuini discipulus, ab a. 822. Fuldensis abbas, ab a. 847. Moguntinus archiepiscopus, † a. 856. Versus hic laudati sunt in libb. II. de laudibus s. crucis, et diversa carmina, hymni et epitaphia. [148] ſiquo *1. sed Hutt. et vett. m. corr.* [149] Francus, non Franciscus, ut Mohnikius, Münchius et Straussius de fratribus Franz und Georg Merlin verba faciunt. Inter legatos Moguntini cardinalis ad conventum Steinfurtensem a. 1532. missos primus nominatur a Seckendorffio (Hist. Luth. Ff. 1692. fol. tom. II. p. 20.) Iohannes Mœrlin Marescallus. Non magis mihi noti sunt isti fratres quam paullo post memoratus Tundalus, quod nomen alicui Fuldensi monacho ab Hibernico Tundalo indidisse fratres crediderim, nisi forte ex Germanico Zündel factum est. [150] promtus asylus *2. 3. interpretanturque quasi de aperto asylo sermo esset. Mihi vero cum* asylus *Latine dici nequeat, sed* asilum *muscam aculeum in ore habentem esse sciamus ex Plin.* H. N. XI. 28, 34. (cf. *Verg.* Georg. III. 147. „cui nomen asilo Romanum est, œstrum Grai vertere vocantes"), *Huttenus dicere videtur* Francum prompte pungendo opem ferre solitum fuisse, quotiens ille, dum in monasterio esset, ab illis adgressus esset. [153] Axungia Petrus puto est Publius Vigilantius Bacillarius Axungia, de quo vide Ind. bibliogr. p. 1*. n. 11. vol. I. p. 5. v. 20. et ibi cit. Becmann.

Ne tamen offendat tuus hic te Tundalus hostis Tundalus.
Et male suscepta cogat abire via,
Rivius ad patrii (pete et hunc) vada dura Visurgi Henricus Rivius.
Hessorum populis fama secunda viget.
Videris hunc, per eos montes pete Westphala rura, Rudolphus Langius.
Qua novus hospitium Langius autor habet,
Langius et vates et equestri stemmate natus,
Et non vulgare in carmine pondus habens;
Qua super ingenium Germana nobile fama,
Buschius, ante alios, carmina scribit eques, Hermannus Buschius.
Buschius, Aeoliis validus dare pondera nervis,
Buschius, heroi pernicitate pedis,
Buschius, ingenio vivax et, Buschius, ore,
Buschius, antiquo stemmate natus eques;
Et patria iunctus volucer Murmellius illi, Ioannes Murmellius Ruræmundanus.
Qui novitate elegi carminis auget opus;
Quique suum vertit sacras Montanus ad odas Henricus Montanus.
Carmen, et antiquo numina more canit.

---

155 De Tundalo paullo ante dictum est ad v. 149. 156 ſuſcacpta *1.* 157 Riuus *1. sed Hutt. et vett. m. corr.* Henricus *aperte 1. nec de nomine* Rivius dubium est. itaque neque de *Ioanne* Rivio Attendornensi (rectore gymn. Misnensis, † a. 1553.), de quo præter scripta a Mohnikio p. 178. laudata videnda est Periandri Germania p. 494. sq. cf. etiam Hamelmann. p. 333. 1422., neque de *Ritio* s. *Euricio* Cordo Simeshusano, notissimo poeta et medico, hos duos versus cum Mohnikio aliisque accipio, cum præsertim hic Henr. Rivius 'ad vada dura Visurgi' (*Herford?* quod tamen oppidum a Visurgi supra duo miliaria abest, unde potius *Minden* innui dixeris) patriam habuisse dicatur. 158 Prima fama Eobanus est sine dubio. itaque ipse, si per apertas litteras liceret, de Euricio Cordo elogium Hutteni interpretarer. 159 Merito celebratur a multis, inter quos Hamelmannum, Erhardum, Cornelium (*Die Münst. Humanisten* 1851. 8⁰.) nominasse hic sufficit, nobilis hic Westfalus, Thomæ a Kempis discipulus, scribendo docendoque præstantissimus præceptor eruditionisque ultra patriam excrescentis parens, Monasteriensis scholæ cathedralis conditor. Mortuus est ab æqualibus doctis viris quorum haud paucorum præceptor fuerat, in summo honore habitus Monasterii a. 1519. æt. 81. 160 auctor *2. 3.* 164 Buschius Coloniæ, Hammonæ, Monasterii, Bremæ, Hamburgi, Lubecæ, Rostochii, Gryphiswaldi, Francofurti ad Viadrum, Erfurti, Lipsiæ, Wittenbergæ, Brunsvici, Vesaliæ, in Hollandia et Anglia docuit, sed cum Epp. O. V. scriberentur (II. 9, 176.), Coloniam reversus fuerat. Mortuus est Dulmæ a. 1534. æt. fere 66. De vita vide impr. Hamelmannum, Burchardum, Erhardum, Cornelium. 165 Eoliis *1.* Aeol. p. = Sappho. Aeolium carmen = Sapphicum. 168 E gente *von dem Bussche.* 169 Murmellius, Hegii discipulus, amicus Langii Buschiique, qui „Carmina Murmellii priscis æquanda poetis" censuit, hodieque inter philologos non obscurum nomen habet, imprimis de Persio meritis suis. Docuit Alemariæ, Monasterii, Daventriæ. Elegiaca carmina et veterum poetarum edidit et ipse conposuit, aliaque non pauca. *Erhard* III. p. 109. sqq. A Ger. Listrio veneno extinctum esse æqualium suspitio fuit. † a. 1517. Cf. adnot. de Buschii epicedio infra p. 84. sqq. positam. Ruræm.] Rur. *1.* 171 Henricus

Nomina non memini, multos tamen ante videbis
Quam trifidum ad Rheni linthea flumen agas.
Sulcat Agrippinam lunatum littus ad urbem — Agrippina Colonia.
Renus, et occiduum fertur in Oceanum;
Clara opibus, munita loco, pollensque virorum,
Quaque est Germano maius in orbe nihil,
Nutrit honoratos sacrata Colonia vates,
Et facta est similis hoc quoque honore sui.
Prima est ante alios Iacobo gloria Gaudæ, — F. Iacobus Ganda
Qui miscet sacris Musica sacra suis,
Vix alius nostras callet studiosior artes,
Vix elegos vena candidiore facit.
Et non vulgari peregrinus laude Remaclus, — Remaclus Florenates.
Cuius pauca quidem, sed bona, visa mihi.

---

in marg. 1. scriptum est. sed cum Mohnikio (p. 492.) Iacobus *ponendum esse crediderim.* nam Iacobus Montanus, cum Buschio Hegii discipulus, in Langii ædibus altus et ab hoc Herfordiam in domum fratrum ad hos instituendos missus, ubi reformandæ ecclesiæ studere cœpit, carmina sacra multa conposuit quæ recenset Hamelmann. p. 176. sq., de passione Christi carmine elegiaco libros IIII, de vita d. Pauli carmen heroicum, Odas spirituales, Sapphica multa. Grammatica etiam scripta eiusdem auctoris, de lexicographia orthographiaque quoque bene meriti, plura supersunt.

[174] q̃ʒ *1.* lintea *2. 3.* [175] Agrippinam *1.* lictus *1.* lun. lit.] *Semicirculum Rhenus Coloniam prælerfluens facit.* [176] Rhenus *2. 3.* [179] De hillige stat van Coellen. cf. Vadisc. §. 3. (vol. IIII. p. 151.) [181] Iacobi *2. 3.* Frater Magdalius Iacobus de Gauda *s.* Gaudensis, qui in lemmate ‚Ganda' scribitur et quem Fenestrificis (in Epp. Obscc. virr. II. 11. i. f.) „dominum Iacobum de Ganda ordinis predicatorum poetam subtilissimum" salutat, ut alias quoque *Ganda* falso pro *Gauda (Gouda)* scriptum est, quamvis in scriptis ipsius quæ mihi ad manus sunt, quæque plura et plenius recenset Hartzheim (Biblioth. Colon. 1747. fol.) p. 227. sqq., cui adde *Hain* Repertor. numm. 7497...99., Gaudensis *s.* de Gauda nominetur, medio fere sæc. XV. natus et post a. 1520. mortuus esse videtur. Gaude *1.* [183] Præcipue ad 'Erarium aureum poetarum' et Stichologiam Gaudensem respicere Huttenus videtur, et 'Doctrinale altum' Elegiaca carmina de d. Magdalena, de d. Iosepho, vita Salomes *et c.* [185] Florenates [*rectius* Florenas, *ut in Epigramm. eius*] *non* = Florentinus (aus Florenz), ut interpr. *2. 3.*, sed ex oppido provinciæ Namurcensis *Florennes* oriundus: ipsi vocabulo *peregrinus* ex. m. vet. manus superscripsit *„quia Gallus"*. Epigrammatum libros III. (Col. 1507. 4°.) et Amorum libros Paris. 1513. 4°. edidit. Inter Erasmianos amicos fuit, nam Bruxellas ei scribit Erasmus d. 1. Iun. a. 1517. ex Antverpia, se convenire voluisse cum ipso. Et in Spongia (§. 196. vol. II. p. 294.) inter eos qui contra Lutherum scripserunt „ex aula Remaclus Cæsaris a secretis" enumeratur. Cochlæus d. 13. Mart. a. 1529. Erasmo scribens (Erasmi Epp. L. B. 1706. p. 1740. num. CCCXLVIII.) Cochlæi nomen, inquit, „inditum est mihi Coloniæ olim a Romaclo *[sic dedit Clericus]* Poeta, quem tibi notum esse arbitror".

Quicquid ad expertum posses conferre poetam,
Non etiam invalidus carmine Canthor habet. | Canthor.
Qua refluo Trevirum Renus capit amne Mosellam, | Confluentia.
Urbs fluvium pulchro est inter utrumque situ,
Et locus et populus Musis et Apolline dignus,
Hæc est Ulrici patria Fabricii: | Ulricus Fabricius.

---

[187] Quidquid *2. 3.* [188] Cantor *2. 3.* Tres Canteri fratres (Andreas, Petrus, Iacobus: *cf. Agrippæ a Nettesheym opp. II. p. 333.*) Groningenses Frisii eo tempore floruerunt (cf. Erasmi Ep. ad Buchonem d. 24. Sept. 1521. ed. L. B. 1706. p. 666.); quorum minimum natu, Iacobum, ab Hutteno hic celebrari recte Mohnikius scripsit. Buschius (Epigrammatum liber Tercius. Lips per ... Lantʒberck ... Anno domini Milleſimo quingenteſimo quarto. 4⁰. p. H iij)

¶ In oſculum Jacobi Canteris poete laureati.
Canter Apollineos non ultimus inter oloꝛes
Quem leuat aonio: fama ſub aſtra: ſono
Incinuit modulo facili: verſuqꝫ rotundo
Oſculum Acidalie blandius oꝛe Roſe
Hoc quicunqꝫ ſtudes doctis placuiſſe Camenis
Lectoꝛ habe: Muſis oſcula ſepe dabis

¶ Aliud
Si tua ſollicitus rodit pꝛecoꝛdia meroꝛ
Curaqꝫ ſi ſenſus: afficit egra: tuos
Hec perlecta tibi: totam de pectoꝛe nubem
Abſterget lepidis: fabula plena: iocis

[189] Rhenus *2. 3.* refluus] Ita de Moselíæ Mæandrico cursu Auson. Mos. 43. sq. 'Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus Legitimosque putas prope segnius ire meatus'. [191] Appolline *1.* [192] Hec *1.* De hoc Hutteni amico præter ea quæ hic locus et ex Goblero Io. Alb. Fabricius (Centuria Fabriciorum. Hamb. 1709. 8⁰. p. 75. sq.) docent, nihil etiam Mohnikius investigavit, qui tamen cum de vita Ulr. Fabricii a Goblero scripta quasi de peculiari libro diceret, Io. Alb. Fabricii verba perperam interpretatus est, quæ hæc sunt: „Ulricus Fabricius Confluentinus ICtus in Richardi archiepiscopi Treverensis aulam iuvenis adscitus per honorum et dignitatum gradus eo adscendit, ut et ad arcaniora consilia adhiberetur, et longiores graviores que legationes pro eo obiret, quemadmodum et legatus in Hispaniam est in reditu defunctus cum vix attigisset annum ætatis septimum et tricesimum. Vitam eius succincte descripsit Iustinus Goblerus, Goarinus ICtus in præfat. ad Ulr. Fabricii *processum iudiciarium* postumum, una cum vita Petri Mosellani a Goblero scripta editum Basil. 1541. 8⁰." [Libelli inscriptionem hanc esse Mutherus Joh. Apell. Königsb. 1861. 8⁰. p. 75. scripsit: D. VLRICI FABRI|CII CONFLVENTINI | Iurecons. et Archiepisc. Principisq. Ele|ctoris Treuerici cōsiliarij Processus | iudiciarius utilissimus, iampri|mum euulgatus. | Cum præfatione D. IVSTINI GOB|LERI Goarini iurecons. in qua et de | eiusdem Fabricij uita et moribus | nonnulla. | ITEM | PETRI MOSELLANI PROTE-|gensis uita, continens studiosi hominis imagi-|nem, per eundem D. Iustinum Gob-|lerum conscripta. | DIALOGVS ISAGOGI|cus in Institutiones Iustiniani Imp. certam lega|lis studij methodum exponens, IOANNE | APELLO Iurecons. autore. | BASILEAE. | *s. a. 8⁰.* — inest epistula Gobleri d. 1. Mai. a. 1542. scripta. — Idem Mutherus adnotavit, ex Goblero puto, familiæ Fabricianæ Confluentinæ nomen proprie *Windemacher* fuisse, Goblerumque post Ulrici mortem ipsius

Hunc olim nobis fines pereuntibus hosdem
In studiis socium Pallas amica dedit;
Una quies unusque labor, communis utrique
Vita fuit: tantum contulit ille mihi:
Disiunxit tandem spacio fortuna locorum,
Heu quantum studiis invidiosa meis:
Quod potuit fecit, sed fido ego corde tenebo
Hunc iuvenem et vera dignor amicicia:
Ipse suum ad dulces carmen componere nervos
Novit, et arguto dulciter ore canit.
Fluminis ad ripas vicinaque mœnia Reni
Turba venit iussis crebra adeunda tuis:
Magna Geresmundum servat Moguntia utrumque, Gresmundi duo.
Legibus Aonias iungit uterque deas.

---

uxorem in matrimonium duxisse.] "Ex illa pauca (Io. Alb. Fabricius pergit) hæc quæ studia eius spectant excerpam: *Nec inter tot tantasque curas et negotiosissimas occupationes unquam tamen nisi quando valetudo prohibebat, studia intermisit: sed sive domi ageret, sive foris peregrinaretur, scribebat, meditabatur, componebat aliquid litteris litteratisque auribus dignum. Vidi equidem quæ e Græcis vertebat non inscite, ludebat quandoque carmine, versusque scribebat ex tempore quos ad chelim resonabat, voce manuque iuxta paratus, in omnibus his modestia singulari, et gravitate retenta. Eleganter et plurimas sæpe exarabat Epistolas, ita ut ad Plinii Secundi gravitatem ac dictionem quam proxime videretur accedere. — — — Aldo etiam et Asulano celeberrimis Venetiarum adeoque totius Italiæ typographis, veteres quosdam Codices, nec paucos quidem nec mediocriter doctos, quorum diligens erat ac sedulus per diœcesim Treverensem ex auctoritate et diplomate Richardi archipræsulis investigator, subministraverat, aliosque aliis excudendos dederat. Tum et in ultima illa ad Cæsarem Carolum V. in Hispanias profectione* [*a. 1519.?*], *in qua occubuit, quosdam secum extulisse, aut alioqui sublatos esse verisimile est, quos iam frustra e suo chirographo desideramus, ut sunt inter cætera duo libri Tertulliani de spectaculis, C declamationes Fabii Quintiliani et nonnulli alii, qui illius occasu naufragium et ipsi passi sunt: ex quo ceu reliquiæ reservati erant quos iam antea typographis communicavimus, Macrobius, Othones duo, Athanasius, Cyrillus Græce scripti Codices. Neque enim tale quicquam quod aliunde ille ad publicum usum acquisiverat, nobis, etsi iure possemus, privatim unquam reservandum duximus, sed in commune omnibus studiosis liberaliter visum est impartiri*". Ex his inter alia colligi posse videtur Fabricium inter Petri Mosellani quoque amicos fuisse, a quo tamen memorari me legere nunc non memini.

197 spatio *2. 3.* 199 : fœcit. *1.* 200 amicitia *2. 3.* 203 mœnia *1.* Rheni *2. 3.* Nondum Eschenfelderus Bodobricensis poetæ salutandus erat, quem quamvis non poetam decennio post salutare iussisset. cf. vol. I. p. 350. 205 Tres Gresemundos de Meschede Westfalos ex Trithemio novimus, duos seniores fratres Godescalcum, theologum Erfurtensem (Motschmann. Erfordia lit. p. 530. Erhard Gesch. des Wiederaufbl. d. W. I. p. 189. sq.) et Theodoricum (seniorem) artium et medicinæ doctorem Moguntinensem, cuius neque poetica neque de iure scripta nota sunt; huiusque filium Theodoricum (iuniorem). Hunc, Spiræ natum, præcocis ingenii hominem, inmatura morte, cum nondum quadragenarius Moguntiæ a. 1512. exspiraret, legi-

Contentus parvo Nemetis prope mœnia Spiræ — Iacobus Wiviphelingus.
208 Incolis angustas, Wiviphelinge, domos,
Non nisi quod sacrum est, studio complexe frequenti,
Qui quicquid scribas, utilitate scatet:

---

bus musas iungere recte dici potuit, fuerat enim I.V.D. et canonicus S. Stephani et electoris provicarius iudexque generalis, atque poeticos historicosque libellos a se scriptos non paucos reliquit (quos maximam partem indicat Iœcherus v. *Gresemund*). Sed cum de patre versus 206. parum aptus esset (minus etiam de patruo), Mohnikius forte de fratre quodam Theodorici iunioris Huttenum loqui coniectavit, qualem tamen extitisse plane nescitur. Veri mihi similius videtur Huttenum Gresemundos suos ex Trithemio, iuniorem autem ex editis scriptis, neutrum vero ex consuetudine cognitos habuisse. Ceterum 'Historia Crucis miraculosæ Moguntinæ carmine descripta a Th. G. iuniore' a. 1494. ex Hartzheimii Bibl. Col. p. 302. et *Erhardo* III. p. 284. ad scripta a Iœchero Mohnikioque indicata addenda est; de quo libro, repetito ex ed. Wimphelingii in Scriptorum histor. Moguntin. tom. III. cur. G. Chr. Ioannis. Ff. 1727. fol. p. 409...420., hoc Periandri epigramma in eius Germania (Ff. 1567. 8⁰. p. 812.) est:

Vena fluit tibi candidior nive, purior auro,
Cum canis imparibus vulnera sancta modis.

Epigrammata duo quæ in Pasquillor. tom. II. p. 98. sq. (et in 'Pasquilli extatici' *et c.* p. 199. sq.) leguntur, non me contineo quin subiciam:

De Romæ petulantia, Theod. Gresm.

Marti olim complexa Venus poscebat amantem
Munus, quo nullum maius in orbe foret.
Ille Stygem iurat danti quodcumque daturum,
Et Romam tota cum ditione dedit.
Martia Roma prius fuerat, Cythereia nunc est;
Cesserunt aquilæ, signaque passer habet.
Roma caput scelerum, nivei iactura pudoris,
Exitium fidei, luxuriæque parens:
Sola Venus dispensat opes, dispensat honores,
Sola facit serva quicquid in urbe libet;
Extollit magnosque facit sapientia turpis;
Sit procul, in tenero cui sedet ore decor;
Tartara sunt molli potius adeunda iuventæ;
Si non est alius, sit tibi barba comes.

Aliud eiusdem.

Christi olim in terris bene qui servarat ovile,
Simon Petrus erat: heu, modo Petrus abest,
Piscatum rediit Petrus, Simon manet, hic dat
Hicque rapit summi cardinis omne decus.

206 Aonias deas] *Musas.*

207 mœnia *1.* 208 Wimphelingus (nat. a. 1450. Sletstadii, ubi † a. 1528.) cum Huttenus Querelas scriberet, cum eremitis Augustinensibus in eam ridiculam sed tunc periculosam causam venerat, de qua in Epp. Obscc. virr. sæpius dictum est. Vitam viri de erudienda Germania optime meriti multi scripserunt, inter quos hic nomino Erhardum Gesch. des Wiederaufbl. d. W. I. p. 428...467. 210 quidquid *2. 3.* scates *2. 3. falso.*

Multa, Iacobe, tibi debet Germana iuventus,
Profeci monitis ipse ego sæpe tuis.
Sturmis ei comes est, et Gallinarius illi, Sturmis. Io.Gallinarius.
Et tu, qui nomen principis arce tenes, Philippus Furstenpergk.
Plurima præterea iuvenum consortia vatum,
Quos sibi doctrinis allicit ille suis.
Hoc etiam Angustus, quondam meus, orbe vagatur, Wolphus Angustus.
Wolphus, Plautino clarus in eloquio.
Branthus ab iis paulum semotus considet oris, Sebastianus Branth.
Qui Germana nova carmina lege facit,

---

212 Profecci *1.* monitis tuis] 'ex libris' *adnot. vet. m.* 213 Iacobus Sturm] Ita etiam Epp. Obscc. virr. II. 63. „audio quod Wimphelingus habet multos discipulos quos mihi unus nuper nominavit, qui sunt in Argentina. unus vocatur Iacobus Sturmius nobilis, et, ut dicunt, bonus latinista". Wimfelingum et Geilerum Kaisersbergensem præceptores habuit et sodalitatis litterariæ Argentinensis socius fuit. Hic Iacobus, amicus, non cognatus Iohannis Sturmii, item Argentoratensis, pædagogi, natus a. 1489. e vita decessit Argentorati summis magistratibus functus d. 30. Oct. a. 1553. post ætatis annum 63. excessum, ut Ioa. Sleidanus ei amicissimus rettulit. etiam Erasmus Rot. pro suo more virum laudibus extulit. Viri sui temporis celebrioribus adnumerandi vitam descripsit Melch. Adamus in Vitis ICtor. p. 91...96. ed. Haidelb. 1620. 8⁰. — Gallinarius, Ioannes, (Hahnemann?) non aliunde mihi, ut Mohnikio, quam ex hoc loco Erasmique ad Zasium ep. d. 23. Sept. a. 1514. Basileæ scripta notus, quæ incipit: „Singularem eruditionem tuam cum pari coniunctam eloquentia nuper e duobus eruditissimis, nec minus facundis cognovi, primum ex Beato Rhenano, mox ex Ioanne Gallinario." Scripta viri Latina Germanicaque superesse sed se non vidisse refert *Erhardus* l. c. III. p. 328. De Iodoco Gallo Rubiacensi ad h. l. verba facere inutile est. 214 Hunc Wimphelingi discipulum atque amicum Francofurtensem quanta amicitia cum Hutteno coniunctus fuerit, neque Mohnikius neque Münchius memorarunt. Cf. vol. I. p. 354. n⁰. CLXX. vol. II. p. 114. n⁰. CCLXXX. Ceterum castellum Fürstenberg supra vicum *Rheindiebach* ad Rhenum, cuius ruinas hodieque innumeri ne nomen quidem noscentes prætervecti conspiciunt, cave ne cum principum Fürstenbergiorum cognomine Suevico castello confundas. 215 preterea *1.* 216 ille] *Wimphelingus.* 217 Wolfgang Angst (Epp. Obscc. virr. II. 9, 124. sqq.) s. Anxst, Cæserbergius (Erasmi Epp. L. B. 1706. p. 1777.), a Mohnikio plenius sed non rectius quam exemplo suo Querelarum in Erschii Gruberique Encycl. part. IV. p. 104. sqq. (ubi frustra Angstum epistolarum Obscc. virr. et Triumphi Capnionis auctorem fuisse exponere studuit) descriptus, veterum auctorum doctus editor sive corrector, qui Hagenoæ, Basileæ, Moguntiæ, libris etiam Huttenicis edendis (cf. vol. I. p. 225. n⁰. LXXXXVI. p. 251. v. 2. 3.) adiutrices manus adposuit. Scripta ipsius Angstii præter epistulas ac præfationes nulla mihi nota sunt. 219 Brantus *2. 3.* Brant, Argentoratensis a. 1458...1518. quem pro more temporis illius Latine Titionem adpellare solebant. Vitam celebratissimi viri vide apud editores celebratissimi operis *Das Narrenschiff*, Strobelium (1839. 8⁰.) et Zarnckium (1854. 8⁰), qui de aliis quoque scriptis Brantii omnibus adcurate diligenterque tractavit, hanc Hutteni autem memorabilem Brantii Navisque stultiferæ conmemorationem, si bene ipse memini, non conmemoravit.

Barbaraque in numeros compellit verba ligatos,
Edit et ingenio carmina facta novo:
Pulchre illi latum classis deducta per æquor
Convehit insipidos quolibet orbe viros.
Et, qui materiam sumens, Philomusus, ab illo — Iacobus Philomusus.
Spem sibi ventura posteritate facit,
Armat et adversos furibundum carmen in hostes,
Turpe viris censens omnia velle pati.
Barbariem contra pugnace Bebelius ore — Henricus Bebelius.
Non sine victuro nomine castra locat,
Quique suæ nomen parit inviolabile Phorcæ, — Ioannes Reuchlin Phorcensis.
Dum triplici sacros explicat ore libros,
Inter Germanos ad comica scripta poetas
Primum ausus vetitas explicuisse manus.
Hos mihi præcipue blanda compelle salute,
Deinde novi memores criminis esse iube,
Quod fecit nobis, faceret quoque Lossius illis, — Malitia Lossii.
Cui studium est multis posse nocere simul.
Vos ego Teutonicæ verissima lumina gentis
(Quando ita se præsens obtulit hora) precor,
Non ut pro nobis quisquam mala carmina faxit,
In nova vel subito bella furore ruat,

---

221 Barbara] *Germanica.* Præter carmina non nulla minora iam ante exitum sæc. XV. Germanice prodierant Ave praelara, Cato, Facetus, Moretus, Thesmophagia. cf. Zarncke p. XXXIV. et 131. sqq. 223 equor, *1.* Prima editio Stultiferæ navis prodiit Basil. a. 1494. 4°. Quinta prodierat a. 1509. cf. Zarncke p. XCIX. sqq. Zapfii Locher p. 68. sqq. 225 Locheri (cf. supra v. 104.) Latina versio Brantiani operis iam a. 1497., quinquiens et ter a. 1498. prodierat. cf. Zapf, *Locher* p. 68. sqq. Zarncke p. 210. 227 hostes] quos contra se concitaverat 'contra theologos metrificando' (Epp. O. V. II. 9, 38.) libro Norimbergæ a. 1506. edito „Vitiosa sterilis Mule, ad musam: roſcida lepiditate predictam, Comparatio." cf. Zarncke l. c. p. XXIV. sq. In his litigiis recte prodromos causæ Reuchlinianæ Epistolarumque obscurorum virorum iam alii cognoverunt. 229 Bebelius Iustingensis Suevus, [a. 1472?...1516?] cuius „Ars metrificandi multum subtilis" (Epp. O. V. II. 11.) cum Murmelliana Hutteni Arti versificatoriæ ansam dedit, quemque hic inter obscurorum hostes recenset (Epp. O. V. II. 9, 94.), et inter Wimphelingianos, Augustinensium hostes (ibid. II. 63.), clarius inter Latinarum litterarum restitutores et disseminatores nomen habuit, quam ut plura de eo adnotanda sint. Ceterum neque hunc, quamvis a Maximiliano imp. iam a. 1501. lauream poeticam accepisset, Spiegelius (vol. I. p. 145.) memorat. Vitam descripserunt *Zapf* Heinrich Bebel. Augsb. 1802. 8°. *Conz* in Ersch. et Grub. Encypl. part. VIII. p. 274...280. *Erhard* III. p. 141...170. 231 ſue *1.* Phorce *1. Pforzheim.* 232 tripl. ore] Hebraice, Græce, Latine. 233 Primum veteres comicos imitatus est. 234 vetitas] Sergium Dalbergius agi noluerat, quare Scenica progymnasmata conposuit Reuchlinus. cf. Maii vit. Reuchl. p. 25. 192. 237 fecit *1.* 239 ego] ergo *1. sed corr. Hutt. et vett. m.* Teutonice *1.* 240 mala] invectiva, iniuriosa.

Sed doleat nostros, communia vulnera, casus, | Casus Huttenianus communis.
Atque animo tandem hæc penitiore trahat,
Neve meo dicat versu petulantius usum,
Dum queror offensas insinuoque novas:
Si non ex merito, si non querimonia iusta est, | Deprecatio invidiæ.
Si non insigni cogor ab opprobrio,
Indicet ille meam, qui indicat omnia, causam,
Et sint hæc animæ debita iura meæ.
Tentavi hunc precibus, tentavi hortatibus hostem, | Etiam monitus Lossius.
Littera ad hunc extat supplice scripta manu:
Sed nihil efficio, nusquam hunc compellere possum;
Ipse suas in nos insuper auget acus,
Ipse minas iactat, furit et convicia dicit,
Iamque novum bellum nunciat ille mihi,
Persequiturque meos, siquem deprehendit, amicos, | Lossii in malicia perseverantia.
Insidiasque mihi qualibet arte parat.
Non querar hæc igitur, qui sic quoque lædere possem?
An nondum offensis sufficit ille suis?
Vestrum aliquis iam tutus agit fruiturque quiete
Nec timet hostiles tutior insidias,
Et tranquillus agens requiem putat omnibus illam,
Quæ sibi secura contigit in patria:
Quisquis hic est, melius pro causa consulat illa
Fortunamque gravi penset utramque animo:
Ipse, quod in patria est et consuetudine multa,
Nusquam inconsuetas sensit obesse vices;
Nos peregre iuvit varios cognoscere mores,
Non citra arbitrium, docte Tyane, tuum;

---

244 pēnitiore] pĕnitiore. 246 insinuoqz *1. sed* l *delerunt Hutt. et vett. m.* 250 hec anime *1.* 251 praecibus: *1.* 252 Littera] = *litteræ, epistula.* exstat *2. 3.* 259 hec *1.* ledere *1.* 262 Ne *1. sed vett. m. adscr.* c 264 Que *1.* 266 pensat *1.* 270 Thiane *1.* Tyane *recte quidem 2. (et 3.) sed non auctor scripsit; pro* Tyanæe *aut* Tyanensis.- „in Cappadocia (verba sunt Amm. Marc. XXIII. 6, 19.) amplissimus ille philosophus Apollonius traditur natus prope oppidum Tyana". Hunc Apollonium primo post Chr. sæculo ad Indos usque, Græciam Italiamque, Hispanias Africamque ad Aethiopas usque orbis terras peragrasse vitamque miraculorum plenam egisse Philostratus ineunte sæc. tertio (Vita Apollonii libb. VIII. Venet. 1501., ed. Olear. Lips. 1709. fol.) magis fabulatus est quam rettulit. Eusebii Pamphili contra Hieroclem qui Tyaneum Christo conparaverat, libellus adhuc superest (ed. Olear. cit. p. 428...469). De Philostrato Huttenus cum æqualibus non tam ex Alemanni Rinuccini Latina versione, a Philippo Beroaldo etiam castigata, quam ex Hieronymo notitiam habebant. Cf. supra I. 10, 27. sqq.

Dumque hincinde leves agimur varieque vagamur,
    Occurrit variis vulgus in ingeniis:
Nunc inimicus adest, nunc se mihi præbet amicus,
    Nunc mihi qui prosit, nunc mihi qui noceat;
Sed quia fortunæ est, habet inconstantia causam
    Nostra, quod ex casu dispare corde fruar.
Iam satis est vobis, quod, quæ nunc aspera facta est,
    Nunquam alicui vestrum, Musa, odiosa fuit.

FINIS QVERELARVM LIBRI SECVNDI.

DIIS AVSPICIBVS.

HERMANNI TREBELII NOTIANI
POETAE LAVREATI ET LL. IMPERIALIVM CANDIDATI
AD HENNINGVM LOETZ I. V. DOCT.
PRO POETA HVTTENO
ADMONITIO ELEGIACA.

Aspera res agitur, patribus non cognita priscis,
    Quos celebri genio Teutona terra tulit;
Res nova, res truculenta, minax, res impia, mordax,
    Res agitur, Lossi, sanguinolenta tibi.
Fœlices, quibus innocuis sine crimine fama
    Ad Stygios olim contigit ire lacus,
Fœlices etiam, liceat sceleri scelus addant,
    A doctis cupidas qui tenuere manus!
Sed non hoc misero licuit tibi, teque beatum
    Cum multis dici ferrea Parca vetat:
Heu facinus dirumque caput! tam barbara tamque
    Horrida tempestas hæc, mea corda, feret?
Quid patimur vates divino numine pleni,
    Atque supernorum maxima cura deum?
Esto! sit quisquam doctor consulque superbus:
    Ergo sacros vates carpere iure potest?
Res potius truculenta, minax, res impia, mordax,
    Res surgat, Lossi, sanguinolenta tibi!
Dicamus qui sint doctor genitorque superbus,
    Et Phœbi telis ictus uterque cadat!
Tu quoque, tu, Pallas, quia te veneranda vetustas
    Armatam pinxit, cuspide tuta veni!
Pallas adest miseri et graviter fert damna poetæ:
    Nunc, Henninge, tuos, perfide, pande sinus!

---

275 Fortune *1.* 277 que nūc aspa *1.* *om. 2. 3. ut et seq.* DIIS AVSPICIBVS. cf. vol. I. p. 16. 8. LL.] *legum.* 1 priscē *1.* prisce *2. 3. falso.* 4 Felices *2. 3. et ita* v. 7. 9 tibi? *1.* vetat? *1.* 12 Horrida: tempestas hec mea: corda feret? *1. i. e.* tam horrida [facinora] tempus hoc, *o* mea Musa [chorda, lyra], feret? *Mire alucinantur 2. 3.* „Horrida t. hæc mea corda ferit?" *Et vertit 2.* „dieses Schreckliche Wetter zerschlägt mir in dem Busen das Herz". *3. sic* „So ein entsetzlicher Sturm pocht mir erschütternd ans Herz". 15 (Esto) *1.* 20 taelis *1.*

Perfide, pande sinus! quid stas dubiusque moraris?
Pande sinus, inquam, perfide, pande sinus!
Concipe Pierium pro tanto crimine vulnus!
Persta: non uno vulnere, dure, cades!
Dura ferat qui dura tulit; iactetur, agatur
Qui ferus Aonios pellit ab urbe viros.
Non poteris tantos finire in morte dolores:
Ille dolor, nobis crede, perhennis erit;
Immo post varios luctus, post funera maior
Semper erit: tantum carmina docta valent.
Quid tibi nunc, doctor quod sis, quod consule cretus,
Proderit, ardenti veste quod altus eas?
Novimus atqui te passim canimusque poetæ:
Doctor es, et calles, doctor, in arte nihil:
Doctor es, et soli vulgo populoque videris;
Doctor es, at poteris vix tria verba loqui,
Grammaticæ ignoras prima incunabula, cum sis
Doctor et orchestra publica iura legas;
Denique vix tantum tanta tibi in arte relictum est,
Ut, doctor, quid sit doctor ab arte, scias.
Sed iam forte sacrum nimis excandescere vatem
Dicis et ignoto durius ore queri:
Ista prius tecum debebas volvere, Lossi,
Dum furor innocuum pellere ab urbe fuit.
Anne ignorabas non vinci posse poetas,
Et nimium longas vatibus esse manus?
Esse pios vates, quos vel Plato lædere nollet,
Sublimes quamvis vinceret ille sophos?
Ergo feras, Lossi doctor, quod ferre necesse est,
Et quantus surgat deinde poeta scias,
Admoneasque patrem fucata nare Wedegum,
Ne posthac Clarios opprimat ille viros;
Tu quoque præcipue caveas, ne lædere pergas,
Nominis est saltem si tibi cura tui.
Quodsi non audis, nec stultam carmina mentem
Afficiunt, populo fabula turpis eris:
Germanos omnes in te iurasse poetas
Flebis, eritque omnis tunc tibi adempta salus.

TELOS.

---

30 Aonius *1. sed Hutt. et vet. m. Gryphisw. corr.* 32 perennis *2.3.* 33 Imo *2.3.* 36 ardenti] rubea iuris doctorum toga, qua bullatus doctor Henningus incedere solebat superbiens. 39 solo *1.* 46 Dices *2.3.* ignoto] *ignaro.* 47 prius] tamen *2.3.* (Scilicet exempli quo usus est 2. partes exesæ sunt, ut non omnia recte legi potuerint, *3.* autem exemplum primarium numquam viderat.) 49 An *edd. emend. Hpt.* 50 Longæ regum manus. *Herodot.* VIII. 140. καὶ γὰρ δύναμις ὑπὲρ ἄνθρωπον ἡ βασιλῆός ἐστι, καὶ χεὶρ ὑπερμήκης. 51 Esse] Atque *2.3.* (cf. ad v. 47. adnot.) Plato] Ignorabat bonus Trebelius sese contra ipsius Platonis leges de conviciis (XI. p. 934. sq.) delinquere. 56 Clarios] Apollineos, a Claro, Ioniæ oppido. 57 q₃ precipue *1.* ledere *1.* 59 Q. si *1.* 62 ademta *edd.* 63 *om. 2.3.*

P. VIGILANTII POETAE &c.
HENDECASYLLABON AD LECTOREM.

Liber loquitur.

Nemo me legat aut revolvat, n e m o,
Quem non permoveat scelus malignum
Audax vel facinus senisque nati,
Vatem quo miserum, probante nullo
Causam, conficiunt, sed ista quisquis
Cernis, desine: non novum, vides, est
Phœbum perfidiæ referre pœnas,
Ulciscique suos Apollo vates,
O Lossi, solet. ergo perfer istas
Dicas, atque cave, sacrum poetam
Posthac ne laceres, vel hæc sequetur
Velox Archilochi poetæ iambus,
Quo viso miseram fugit Lycambe
Vitam, quem laqueo iuvat perire.

AD LECTORES
TETRASTICHON
VLRICI HVTTENI.

Tractet, amet, legat, excipiat, colat, audiat, adsit
  Cui placet hæc novitas;
Spernat, agat, cremet, eiiciat, premat, oderit, absit
  Quisquis ubique nocet.

En|decasillabon ad Lecto. *1.* [1] nemo *i. f. versus om. 1. recte adiecit* 2. *(et* 3.*)* [9] ista· *1.* [10] Dicas] *poenas.* [11] hec *1.* [12] Notissima fabula est Archilochum, Parium poetam, qui Romuli temporibus vixisse fertur, filiam suam Neobulen Lycambæ iam desponsatam mutata voluntate huic denegasse eumque maledicis iambis ita insectatum esse, ut ægritudinis animi remedium suspendio sibi quæreret, quo mortis genere sponsa quoque periit. Cf. e. gr. Acron ad Horat. epod. 6, 13. Vide supra ad eleg. II. 1, 46. [13] Licambe *1.* Lycambes *2. 3.*

Tetra: *1.* V. Hut. *1.* [1] adsit] edsit: *1.* [2] hec *1.* eijciet: *1.* [3] cf. eleg. I. 10, 76. II. 1, 39. 3, 5. 9.

DE OBITV IOANNIS MVRMELLI.
Ad Elegiæ II. 10. versus 169. sq. adnotatio.

'Elegi carminis opus' v. 170. laudatum est 'Elegiarum moralium' Rudolpho Langio dedicatarum, quarum libros IV Murmellius primum edidit Monasterii a. 1507., postea Alcmariæ quinto libro auxit, de quibus copiosius dicit Hamelmannus (Opp. Lemgov. 1711. 4⁰. p. 272. sqq.) — De Murmelli morte (quam obiter attigi vol. II. p. 489. adn. ad I. p. 348.) præter Buschium, Murmelli amicum familiarem, idem Hamelmannus anno 1525. natus in commentario anno 1564. de populis in Westphalia primum edito unus ex duobus testibus, probis quidem sed non nisi audita lectave referentibus, est, quem recentiores omnes secuntur; alter est Albertus Miræus, natus a. 1573. nam Gesnerus ac Pantaleo de obitu illo verba non faciunt. Et refert Hamelmannus (p. 172.) ,,Tandem decimo quarto post 1500. anno [Murmellius] venit Alcmariam, ibique instructa schola clarebat, sed incendio redactus ad paupertatem venit Daventriam a. 1516. ubi postea anno sequenti 2. Octobris obiit, non sine suspicione veneni, ut hoc Buschius in Epitaphio *[Epicedio]* conqueritur, atque id Rostochii et Monasterii dixerat Hermannus Hinrekingus, qui adfuerat morienti. Scripsit quoque de eius morte Henricus Bers. Reliquit autem Murmellius uxorem ac filiolum in paupertate". deinde (p. 177.) de Gerardo Listrio idem ,,habitus fuit olim doctis suspectus de sublato Murmellio &c." Miræi autem (Elogia Belgica. Antv. 1609. 4⁰. p. 199.) verba sunt ,,Vivere desiit Monasterii, (1517. aut 1513. ut aliis placet) relicto filio, quem instituere cœperat, Græce Latineque erudito. De fati genere ambigitur, creditum enim ab æmulis, quod ante diem obiisset, toxico e medio sublatum: sed qui artis medicæ periti morienti adfuere, peripneumonia exstinctum adfirmabant". De Listrii crimine aput Miræum nihil. posteriores autem scriptores sua aut ex Hamelmanno aut ex Miræo sive ipsis sive eorum transcriptoribus sumpsisse video: ita ex utriusque verbis hæc male consarcinavit Melchior Adamus in vita Murmellii ,,Tandem *[secuntur Hamelm. verba]* Daventriam, publico stipendio accersitus, anno 1516. ubi postea anno sequenti d. 2. Octobris obiit, relicta in paupertate, ut scholasticum hoc genus solet, uxore cum filio, quem instituere cœperat Græce et Latine. Miræus tamen vult obiise eum Monasterii, idque a. 1513. Sed si anno 1516. scripsit encomium Reuchlini, ut Gesnerus in Bibliotheca confirmat, utique ille fallitur *[Magis falsum esse ipsum Adamum, infra in præf. Triumphi Reuchlini demonstrabo]*. Ut ut sit, de fati certe genere *[secuntur Miræi verba]* affirmabant". Similiter Foppens de Murmellio ,,Daventriæ .. moritur ... anno 1517. VI. Nonas Octob. non sine suspicione veneni, ut quidem tunc creditum fuit: nam qui ægrotanti [morienti *Mir.*] adfuere medicæ periti artis, peripneumonia extinctum affirmabant". Etiam Casp. Burmannus (Traiectum eruditum. Tr. ad Rh. 1738. 4⁰. p. 191.) Listrium ,,suspectum fuisse de sublato Murmellio" præter Hamelmannum testem adducit nullum. tamen Iœcherus, quem inpurissimum rivum doctorum volgus pro limpido forte bibere solet, ,,Murmel" scripsit ,,ein Rector des Gymnasii zu Münster, von Ruremond, hat anfangs im Kriege gedienet, und sich nachgehends auf das Studium geleget, auch zu Cöln in Magistrum promovirt, worauf er zu Alcmar, Münster und Deventer gelehret, und am letztern Orte 1527 [immo 1517. cum Iœchero peccavit Saxius] gestorben ... Man muthmaßet nicht ohne Grund, Gerh. Listrius habe ihn aus dem Sattel gehoben, ja ihm gar Gifft beybringen lassen, davon er zu Deventer in äusserster Armut gestorben". Quid mirum itaque Münchium e tripode suo vociferari ,,Murmel .. starb durch Gift". Cautius. quamvis non altius re inquisita dicunt Mohnikius Erhardusque: ille

„Am letzten Ort *[Daventriæ]* starb er, wie einige vermuthet haben, an Gift, welches ihm einer seiner Feinde, Gerhard Listrius, beigebracht haben soll — Melchior Adam führt diese Sage als unwahr an — im Jahr 1517"; hic: „übereilte ihn, am 2. Oct. 1517, der Tod und es verbreitete sich der Verdacht, er sei an Gift, das ihm von zwei fremden Schülern in Wein beigebracht worden, gestorben". Produxi quorum copia mihi facta est testimonia (nam Francisci Sweertii Athenas Belgicas et Iacobi Revii Daventriam illustratam inspicere nunc non datum est, nec Gallicum Niceronis exemplum) præter Iacobi Burchardi omnia, quem testem post Adamum prodire iussissem, si ipsum de Murmelli obitu verba facere memorarem, quod in utroque, aut fallor, de linguæ Latinæ fatis volumine non fecit: repetiit autem in vita Buschii (Ff. 1719. 8⁰. p. 198. sqq.) præfationem huius viri præmissam eius in Murmellii obitum epicedio, quod carmen non solum utriusque viri, et laudati et laudantis, laudes merito auget, sed facit etiam, ut Murmellium veneno sublatum esse credere debeamus, Listrium autem neque criminis reum facere neque absolvere possimus. itaque illius libelli, cum præsertim supra dictorum scriptorum vix unus, quamquam plerique fere omnes eum memorant, aut viderit aut legerit ipse, ad quæstionem illam denuo hic motam pertinentes partes transcribam. habet autem primarium exemplum (nam de repetitionibus fere æque infrequentibus nunc dicere nolo) sic:

IN ACERBVM IOANNIS | Murmellij Ruremundēſis obitum, | Hermanni Buſchij Paſiphili | funebre leſſum, ſiue | Epicedi-|on. *[Secuntur insignia Buschiana puto, alt. 3″, lat. 2″. sub quibus hoc signum*  *ad cuius dexteram duo cuniculi, ad sinistram unus, ad Murmelli nomen adludere videntur.] Aversam primi folii partem occupat ad Langium epistula mox repetenda, in 4 sequentibus foliis mediaque post ea pagina est ipsum Buschi* epicedion *246 versuum; inferior eiusdem pag. pars habet* Murmellii epitaphium, per eundem H. B. *ab aliis et Burchardo etiam Foppensioque repetitum: in aversa sexti folii pag. post decastichon* Epitaphium pro Ioanne Cellario Ruremundenſi *legitur* ℂ Impreſſum Coloniæ apud Eucharium Cerui-|cornum, Anno virginei partus | M.D.XVII. iij. no-|nas Nouem-|breis.

ℂ Hermannus Buſchius Paſiphilus, | Rodulpho Langio Canonico | Monaſterienſi ſuo. |

Scio a te conſtanter eſſe adamatū Ioannē Murmellium, habitumq; in albo tuoꝝ, quos præcipue duxiſti amicos. Idque cum propter mores, qui erant in illo nō incompoſiti, neq; inſuaves, tum propter infatigabile bonaꝝ artium ſtudium, quo adeo flagrabat, vt fere neminem (de quo aliqua ſaltem haberet̃ eruditioris, elegantiorisq; literaturæ opinio) aſpernaretur præceptorem. Te tamē imprimis ille, velut delphicum quoddam oraculum, obſeruabat .... Quanti etiam me ſemp fecerit vir humanitatis candidiſſimæ, præ ſe ferunt apte adhuc complures officioſiſſimæ illius ſcriptæ ad me epiſtolæ, quas penes me cuſtodio etiam nunc ſollicite, velut pignora quædam ſiue xeniola amici, reuocoq; ſub oculos (excitandæ mihi illius memoriæ cauſa) eas pene quotidie. Quæ humanitas, qui candor hominis, me certe compulit illi defuncto, qualecunq; hoc canere ἐπικήδειον. In q̊ illud præcipue miſeratus ſum, quod veneno, nō peſte dicebat̃ enectus. Sic & medicū ipſius affirmaſſe, Dauentria huc profecti, mihi retulere, qui dicitur ſeruare etiamnum eius vrinam, ad arguēdum veneficium, præterea (quod nec ægrotaſſe ipſum, nec obijſſe etiam peſtilentia confiderēt) prçceptores ipos, qui in eo op-

---

³⁶ aſpernaretur *1.* ⁴² ἐπικήδιον *1.* ⁴³ euectus *1. Vult* necatus.

pido literas profitent̃, omneis & tempore valetudinis illum officij cauſa acceſſiſſe, & defunctum poſtea humeris ſuis extuliſſe conſtat, quod fortaſſe non feciſſent, ſi vllam de eo peſtilentiæ ſuſpitionem concepiſſent. Rumor conſtãs manauit, inſinuaſſe illi ſe ſpecie humanitatis, duos quoſdam nebulones, potius quam ſcholaſticos, ignotos (ſponte an alterius dolo incertum) eiq; vinum donaſſe, quo cum illis epoto, poſtea Murmellium continuo in eam incidiſſe valetudinem, Vnde & paucis poſt diebus deceſſerit, miſellæ vxorculæ, & pupillo infantulo, maximum ſui deſyderium relinquens, vtpote Alemariæ deſpoliatis paulo ante, & exiguum, aut nullum (eo vno amiſſo) tãti mœroris, tantiq; vulneris ſolatium iam omnino fortaſſe ſcituris. Vale Veſaliæ. xiiij. calen. Nouembreis.

❡ In acerbum Ioannis Murmellij Ruremundenſis | obitum Hermanni Buſchij Paſiphili funebre leſſum, ſiue Epicedion.

Muſa, veni, ſparſis lugentum more, capillis,
Mœſtaque flebilibus queſtibus ora ſonent;
Rupta ſit vngue cutis, ſint liuida brachia planctu,
Per teneras manet lucida gutta genas.
. . . .
Nænia dicatur tantum, niſi Nænia, nullum
Carmen in hoc miſero funere Muſa canat:
Hoc Libitina furens, hoc vis adamantina fati
Cogit, et effrenæ mortis auara manus:
Occidit en viridi raptus Murmellius æuo,
Acta cui nondum tota iuuenta fuit,
Cui nondum ſparſere comas in vertice cani;
Quiuit adhuc longos qui ſupereſſe dies,
Præter naturam ſi non periiſſet acerbo
Funere, in inuiſam tam cito raptus humum,
Nec clandeſtini ſine ſuſpitione veneni:
(Heu cadere in quenquam crimina tanta queunt?)
Ille erat ad Pharias dignus Buſiridis aras,
Et gemere in tauro, torve Perille, tuo;
Ille in ſanguinea, Libycas, moriturus arena
Dignus erat propria paſcere carne, feras;
Ille et Cretæo dignus ſuccumbere monſtro,
Atque Pometheas paſcere dignus aues;
Ille dari præceps petra Scironis ab alta;
Ille Procruſtea dignus obire cruce,
Innocuo potuit qui trux aconita poetæ
Inter potanteis inſidioſa dare.
Qui quondam extincto ſolum detraxit Homero,
Eliſa pœnas poſt modo fauce dedit:

---

[2] forraſſe *1.* [11] Ubi præter interpunctionem litterarumque formas quid mutavi, adnotatione monui. [12] funebre *1.* [35] Ad vers. 35. sqq. *cf. Hutteni Phalarism.* [37] Lybicas *1.* [39] Creteo *1. tauro ab Hercule capto et a Theseo (sec. Vergil. ab Hercule) interfecto cf. Ovid. met. VII.* 434. *Hygin. fab.* 38. [41] Scyronis *1. Ovid. l. c.* 447. *Hyg. l. c.* [42] Procuſtea *1. Ov. l. c.* 438. *cf. Hyg. l. c.* [45] Zoilus, qui „ingenium magni detrectat Homeri" (*Ovid.* rem. am. 365), nihil, ut Buschius dicit, fecit, nisi quod mortuo Homero conviciatus est, capitalem poenam solvisse varie narratur: alii in crucem fixum, alii lapidibus obrutum, alii in pyram coniectum,

Huic qui fatifero vitam lucemque veneno
48 Eripuit, nullo vindice liber erit?
Cui pridem vitam raptor ſine fraude reliquit
Permiſſo, exceptis rebus, abire viro:
Hic inter cyathos mediaque in pace petitus
52 Perfidiæ laqueis inſidiisque perit.
Vſque adeone nihil iam fidum eſt amplius vſquam,
Vt ſæuo ſit plus Marte timenda quies?
Abſtulit illa tibi quod non modo barbarus enſis,
56 Hic ſpolia, illa animam, plus populata, rapit.
Ergo, Murmelli, fugeres quum tela latronum,
Vina magis fuerant (ah) fugienda tibi.
Quæ tibi, vir ſimplex ſceleriſque ignare ſiniſtri,
60 Hoſpitis in ſpecie miſcuit hoſtis atrox.
Siccine, Pierides, veſtri temerantur inulti
Cultores, tanquam ſordida cura deis?
. . . .
Ergo iacet frigens nunc et ſine voce cadauer,
78 Totus et a toto corpore ſenſus abeſt,
Nec prodeſt illi quod veſtros ſemper honores
Auxit, et hæc illi maxima cura fuit:
Nam veſtri cauſa ſubiit diſcrimina mille,
82 Mille latratores, tædia mille tulit;
Mille exanclauit curas et mille labores,
Nec ſibi nocte quiem, nec ſibi luce dedit;
Semper in hoc ſtudio patiens ſudauit & alſit,
86 Vix alius tantum, vel grauiora tulit.
Si decora imperii, potuit ſi limina veſtri
Proferre, hic nuſquam lentus inersque fuit;
Hic mente, hic animo ſenſuque et pectore toto
90 Perſtitit, huc robur contulit omne ſuum;
Hic gladio, hic clypeo, hic haſta pugnauit acuta,
Ipſe erat hic miles, ſignifer ipſe ſibi.
Hoc auſu graſſans Latii pomœria regni
94 Victor ad extremos protulit vſque viros.
Quam multi craſſæ poſita ſtribligine linguæ
Hoc duce Romane iam didicere loqui?
Quam multæ ingenii ſurgunt cum fruge nouales,
98 In quibus ante nocens nil niſi gramen erat?
In quibus ante filix loliumque hamataque lappa
Stabat, et inculti ignobilis herba ſoli,
Innumeræ florum ſpecies et odora roſarum
102 Germina nunc calathos explicuere ſuos.
. . . .
Nunc iacet (heu) iuuenis, iuuenili ætate peremptus,
110 Sparſurus mœſto mox alimenta rogo.

---

alii de Scironiis saxis (cf. vers. 41.) deiectum rettulerunt. cf. *Fabric.* Bibl. Græc. ed. Harl. I. p. 560.

[85] cf. Hor. art. poet. 413. [93] pomeria *1.* [96] Romanæ *1.*

An proprie ſors hæc vrget miſeranda poetas,
Vt rari fiant molliter inde ſenes?

. . . .

At nondum cecidit quodcunque inſignis Homerus
Diuinuſque Maro carmine ſtruxit opus:
Sed quia non ventris, ſed ſunt cœleſtis et alti
Ingenii, nequeunt hæc monumenta mori.
Sic quia terreno minimum quoque corpore vixit,
Sed mente atque animi lumine et arte magis,
Hinc etiam nullis Murmellius excidet annis,
Sed meliore ſui parte ſuperſtes erit:
Deſtruxit tantum corpus mortale venenum,
Viuit fama, decus, gloria, nomen, honos,
Gratia, laus, meritum, virtus, doctrina fidesque,
Tot ſenſus animi diuitiæque ſacri.
His quia præcipue, vel ſolum viuere conſtat,
Cætera aquæ inſtabili more fluentis eunt:
Ergo libet ‘viuis, Murmelli’, dicere, ‘viuis,
Viuis, io, ſtudiis docte poeta tuis,
Et fruſtra de te lætabitur improbus error
Vt compos voti conſiliique ſui;
Nec certe voto fruitur plus perfidus ille,
Ille ſuo, exitii cauſa ſcelusque tui,
Quam canis, in vacuo leporem qui perdidit aruo,
Aut prædam eluſo qui fremit ore lupus’.
Adde quod hunc omnes caſum miſerantur acerbum
Auctorique cruces carnificesque rogant;
Adde quod hoc quauis grauius iam morte videtur,
Cenſeri a cunctis quem meruiſſe necem;
Hoc e diuerſo vita quoque dulcius ipſa,
Cenſeri dignum quem ſuperaſſe ſenes:
Quod tibi quum cupiant, Murmelli, vocibus omnes,
Et tua communi nomine fata gemant,
Hinc iterum ‘viuis, Murmelli’, clamito, ‘viuis,
Oſſa tegit quamuis iam tua vilis humus:
Si tamen (vt rapto) liuor tibi detrahat amens,
Excipiam clypeo tela cruenta meo,
Quaque datur charum defendam ſemper amicum,
Deſertus nec, me ſoſpite, ſaxo ſies;
Tandem quicquid erit (recti hoc monet vſus et æqui)
Communem hanc ſortem ferre paratus ero’.

VLRICI HVTTENI
DE ARTE VERSIFICANDI
LIBER VNVS

HEROICO CARMINE

AD

IOANNEM ET ALEXANDRVM OSTHENIOS

POMERANOS EQVITES.

[*ANNO M.D.X. SCRIPTVS.*]

PRÆFATIO EDITORIS.

Litteræ si quando novas sibi induere formas desinerent, non possent non emori tandem ipsæ. Una quidem eademque ubique locorum ac temporum est veritas, ratio, humanitas, una eademque bonitas, iustitia, honestas, unus deus: philosophiæ autem, iuris doctrinæ, theologiæ at quam diversæ sunt pro temporum locorumque diversitatibus; philosophumena, dicæologumena, theologumena variant, at veritas, iustitia, deus non variant. deoque veritatique neque decrescere quidquam neque adcrescere potest, sed quam in mentibus nostris dei veritatisque formam imaginemve nobis fingimus cum populi tum singulares homines, ea quidem varia et commutabilis est, suam quisque, non unam habemus. Ipsa quoque ab humanis ingeniis procreata opera ubi transformari desierunt, oblitterata vita sua functa sunt. quod de eis quoque operibus opificiisve quæ non ipsius humani ingenii propria ingenuaque forma, verbo puta, sed rerum silva corporibusque extra hominem existentibus vim suam exercent, veluti signis, tabulis pictis, ædificiis, templis, verum esse hic non demonstrabo, sed de eis humanæ mentis ac cogitationis facinoribus prædico, quæ tota ipsius sunt, non extrinsecus petitis rebus formata, de divinorum vatum qui vere sunt adpellandi poematis, sive ea canantur sive dicantur, hoc est sive propriis divinitatem humanam prædicandi artis legibus adstricto sive ab hiis legibus soluto modo ex illo divino fonte qui humano pectore includitur, profluant: nam nemo negaverit Homerum, quem dicimus, philosophum quoque et historicum et divinarum humanarumque rerum sacerdotem, Herodotum quoque poetam ac Platonem *θεόμαντιν.* Ad Pisistratea tamen tempora Homericorum carminum refingendorum restaurandorumque studium adscendit, et quantum mutatus est Bekkeri Homerus ab illo pueris nobis lecto. et Herodotum Platonemque nonne apud omnes eruditos populos denuo semper et edimus et vertimus et imitamur, sive emendemus sive corrumpamus? Item linguarum, in primis earum quas emortuas non omnino recte nominamus (nam ecce non solum Romanenses linguæ vigent, sed et nos, qui originem non ducimus a populis Romano quondam imperio subiectis, Latine Græceque cottidie legimus scribimusque passim atque, si dis placet, loquimur etiam), linguarum item discendarum docendarumque ars, et si vel unius e. gr. Latinæ grammatica spectatur, non magis una semper eademque esse potest quam idem ius Romanum, ut adfini et quod mihi familiare est exemplo utar, eodem ubique et ab omnibus uno modo disci docerique potest. Suam quodque tempus, quisque populus, quæque regio, quisque denique homo rationem, propriam methodum, singularem viam, aliam alia ex hac parte feliciorem, ex alia deteriorem, init ac sequitur, ut ad eumdem, quem totum nemo mortalium, etsi proxime absit, umquam adsequitur, finem perveniat. At qui litteras ad mercedem abducunt, ut magis rei familiari augendæ temporive molliter terendo quam menti excolendæ veritatique adsequendæ studeant, ii contemnere solent a maioribus excogitatas litterarias etiam artes rationesque, ut multos de superatis condicionibus eodem

iure verba facere audimus ac siquis ad pedem montis in paludem provolutus apicem se superasse exsultaret: ubi vias a maioribus conditas munimus, reficimus, repurgamus, corrigimus, non ubi desertas neglegimus ac devastari sinimus, bene itur, nec novas condere possumus ipsi nisi in iis quas condiderunt alii, ire didicerimus. Quæres fortasse, bone lector, quo per hoc longius iter te ducturus sim. Bona venia tua significare volui quid ad hanc Artem versificatoriam, ne situ obrueretur et in oblivionis tenebras incideret, non solum repetendam sed denuo emendatam edendam me adduxerit, quamvis per aliquot sæcula vix quisquam ex ipsa, quæ litterarii est ludi et trivialis scientiæ, versuum Latinorum pangendorum, multorum olim communem, nunc parum cultam artem didicerit aut discat posthac. Donatum (cf. v. 56.), quo per medium q. v. ævum in scholis utebantur, sed in alias atque alias formas corrupto, ex veteribus grammaticis etiam ab Hutteno ad librum suum conponendum adhibitum esse adparet, ad Priscianum quoque ipse refert v. 36.: Buschius paullo ante cum aliis grammaticis Donatum ediderat Colon. a. 1509. 4º. sæpiusque postea repetiit (cf. *Erhard* Gesch. des Wiederaufbl. d. W. III. p. 101. n. 18.). at quam longe oblitteratos illos scholasticos libellos, qui passim in Epistolis obscurorum virorum, idque quodam suo iure, laudantur, sive Latinitatem sive orationis habitum quandamque venustatem ac totam adumbrationem spectes, Hutteni libellus superavit. Et ipsius Hutteni æqualium doctorum similes libelli, Iacobi Wimphelingi dico de arte metrificandi (Argentor. 1505. 4º.) eiusdemque Isidoneus Germanicus (ibid. 1496. 4º.) et Henrici Bebelii Ars versificandi et carminum condendorum, cuius decem ab a. 1506. usque ad a. 1518. publicatas editiones indicat Zapfius (Heinr. Bebel. Augsb. 1802. 8º. p. 156. sqq. omisso exemplo quod prodiit post Heinrichmanni Grammaticas institutiones „Argentinę in ędibus Ioannis Prüß: vulgo Zum Thier-|garten Impreſſum: Anno .M.D.IX. |" 4º.), atque Ioa. Murmellii Versilogus, Scoparius Pappaque cum Arte componendorum versuum non obfuerunt quin Hutteniana Ars in frequentissimum diuturnumque usum veniret (cf. Ind. bibliogr. Hutt. n. V. p. 5*...8*. et vol. IIII. p. 683. n. 4ª.); et quanta auctoritate floreret, ex eo quoque colligi posse videtur quod quasi cæcis oculis repetiverunt exempla neglegentissime: nam præter principem editionem, quæ tamen ipsa Hutteni manum corrigentem experta non est, ceteræ omnes, neque omnino exceptis *11. 17.* [et *12.*], ita passim mendis scatent, ut a discipulis, non a docentibus, factas esse dixeris; id quod statim in alteram ab Hegendorphino (quamvis ipse poeta salutari voluerit) Lipsiæ a. 1518. publicatam cadit, neque de Parisiensibus ceterisque quæ contuli omnibus verum non est. ne vero et lectorum patientia et mea diligentia abuterer, in adnotatione mea non nisi ad exempla *1. 2. 4ª.* (quod signabo *4.*) *11. 17. 19.* respexi. Ceterum longarum breviumve syllabarum signis exemplorumque a reliqua scriptura distinctione et emendata interpunctione spero libellum commodiorem a me factum esse quam adhuc fuit.

Hutteni dedicatoriam ad fratres Osthenios epistulam ultimo die a. 1510. scriptam et Engelbrechti Engentini ad lectorem carmen exhibui vol. I. p. 15. sqq. num. VII. et Hegendorphini epistulas carminaque de Hutteni Arte versificatoria cum Georgii Fabricii versibus ibid. p. 188...192. num. LXXXVII. Ex Roberti Vallensis Ruglensis (cuius commentarius vix dici potest quam parum aptus sit) exemplari post editum Indicem bibliographicum Huttenianum mihi a Theodoro Mommseno donato et vol. IIII. p. 683. init. adcuratius descripto (*4ª.*) mendis nimium deformi, cum Norimbergensia et Parisina Roberti Stephani quæ conferre potui, puriora sint, finem epistulæ dedicatoriæ cum epigrammatis ipsi libello præmissis hic subicio. „R. V. RVGLENSIS IOANNI LAMBER|to prudētiſſimo gymnaſij

magiſtri Ger=|uaſij apud athenas Pariſias mo=deratori. s. D. | Non poſſum nō tibi gratulari Ioānes do|ctiſſime........ Sēper curaſti cōmētariolū, quē in libellum de arte verſificatoria Hulderici Hutteni vtcūqȝ tuis precib⁹ edidi, calcographicis caracterib⁹ formari. Qui perire potius, ut dign⁹ eſt, debūt *[debuit]*. Sed cū ꝑdire nollet ī publicū ſine patrocinio, tu elect⁹ potiſſimū q eū tueri a nuginendulorum [*sic*] hominū cōtagiōe poſſis. Hūc igit̃ tuo nomini dedico. Vale nec tua mente tuū Robertū ſinas elabi. Ex ædib⁹ Geruauaſiacis *[sic]* quīto idus Ianuarias. Anno redēptiōis humanæ. M.d.XXIX.

Ad eundem de laudibus eius gymnaſij: | Carmen.

Huc huc præcipitem docti indoctiqȝ volatum
Flectite Cur: illic ſacra Minerua preeſt.
Hic rupes gemino Parnaſſia vertice clara,
Hic fons Pægaſeus, Caſtaliūqȝ nemus.
Doctus Ioannes Lambertus ſacra mineruæ
Inſtituit: muſis oppida, caſtra, locum.
Omnibus eſt gratus ſtudiorū fautor, & omnes
Comprimit Aonijs ſacrificare choris.

Ad Lectorem diſtichon.

Huc adſis curſim Lector ſtudioſe, iuuentus
Huc adſis, fructus iſte libellus habet.

Ioannis Lauterbachii, de quo vid. vol. II. p. 366., in Hutteni artem versificatoriam epigramma ex Periandri Germania p. 839. etiam a Burckhardo III. p. 32. repetitum dedimus vol. II. p. 466.

VLRICI HVTTENI
DE ARTE VERSIFICATORIA
CARMEN HEROICVM
AD IOANNEM ET ALEXANDRVM OSTHENIOS POMERANOS
INCIPIT.

Quis modus et quæ sint servandæ in carmine leges,
Et quo quæque suum distendat syllaba tempus,
Littera quas vires habeat, quoque ordine mutet,
Omnia discutiam paucis. Huc, læta iuventus, | Benevolentiæ captatio.
Verte animi votum sitibundasque imbue fauces;
Non, quia præterea scriptum nihil utile dicam,
Sed quia munus habes animo gratante profectum.
Improbet ista licet cui mentem insana libido
Carpendi studio vexat: mihi fama trahatur
Inque dies mihi perstet honos, mihi gloria surgat:
Qui velit, invideat seque hoc mærore fatiget.

Littera apud Latios isto discrimine fertur | Litteræ.
'Vocalis' criticos, quod voces integra reddat: | Vocales.
Tales quinque putant, 𝔶 Græca exinde retracta;
'Consona', quod voces nil mutans adiuvat ipsas, | Consonantes.
In se nulla tamen, nisi vocibus addita rectis.
Harum aliquæ nobis vanos referuntur ad usus:
Quæ sint, disce brevi, quibus 𝔠 non assonat ipsis.
𝔔 tamen 𝔲 iunctum stat in usu crebrius illo,
Ut *sequor*, ut *quoniam*; vetus est scripsisse *kalendas*;
𝔥 nota nonnullis venit aspiratio verbis, | 𝔥 aspiratio.

De inscriptione cf. Ind. bibl. Hutt. l. c. [1] que *1.* servandæ *etiam 9.17.19.* seruando *1.2.4.11.* [2] queq3 *1.4.* [3] Litera *4. ubique una* t. [4] loeta *1.* duscutiam *19.* Beniuolẽtie *1.* Lemmata ad margines versuum nulla habent *2.4.* In *11.17.19.* eadem ex *1.* sumpta sunt, orthographia passim mutata, de qua non adnotabo. [5] sitabundasq3 *2.* [6] preterea *1.4.11.* nil *2.* [7] iste *2.* [10] Idque *4.* [11] moerore *2.4.11.17.19.* fatget. *19.* [12] Literæ. *ad marg. 11.* [13] Vocabis *2.* [14] greca *1.* [16] vocib. rect.] *vocalibus litteris.* [18] adsonat *19.* [19] 𝔔] H *2.* O *4. 11.17.19.* [20] calendas *4.11.17.* Cf. Quintilian. Inst. or. I. 7, 10.

Non tamen iccirco, quo possit 'littera' dici;
Adde quod in versu cadit hæc et nulla putatur,
Nec te conturbet si obiecerit unus et alter
'Posthabita coluisse Samo, hic illius arma':
Non ego confirmo quo quisquam est rarius usus.
X dupla est: veteres, brevitas cum forte iuvaret, | x
Pro (*gregis* hoc monstrat) iunctis scripsere duabus.
Dumtaxat Græcis z est data littera verbis. | z
Quæ super has restant, dabis illis 'littera' nomen.
Consona vel muta est, quoniam male vocibus astat | Mutæ.
Inque e finitur, vel, quæ plus consonat istis, | Semivocales.
Semisona, incipiens e, dum se terminat ipsam;
F tamen, ut muta est, nihil hac ratione tenetur, | F
Namque potestatem non mutat spiritus ulli,
Quid quod habet mutæ vim totam et convenit ante | Priscianus in primo.
Mobilibus liquidis: sic *flavus*, sic *fremo* profers.
Omnis in hoc numero vocalis ponitur anceps, | Vocales Latinæ ancipites.
Non ut apud Graios, ubi stricto iure tenentur.
Nulla unquam tenuit vocales syllaba binas,
Ni coeant simul et 'diphthongi' nomine quadrent:
Quatuor ista modis fieri connectio sueta est, | Diphthongi quattuor.
Aulæ erit exemplum, *fœlix*, reque *eurus* in illa;
Quinta fere exoluit pacto diphthongus eodem, | Ei
Scribe *'graveis'* tamen hac *'tentabunt pabula fœtas,* | Verg. eglo. I.
Quisquis ab antiquis scribendi congeris usum.'
J solet uque simul nativam amittere vocem | J et V consonantes.
Consona facta; *Jovis*, *Venus* hoc ostendere possunt;
Utraque converti facilis retroque referri,
'Troïa gaza' velut, *'Trojæ qui primus ab oris'*, | Verg. I.
Et verbum *solvo*, *'dux longa pace solutus'* | Luca. I.
Sic vicibus mutantur et in sua iura recedunt.
¶ J quoque, ubi posita est vocales inter utrinque, | J apud

---

22 idcirco *vet. m. in 1. corr. et sic 17.19.* litera *11.* 23 inversu *4.* hec *1.* 25 Vergil. Aen. I. 16. colussi *4.* 26 rarior *11.17.* 27 dupla] c s, g s. 29 Dumdaxat *2.* Duntaxat *4.19.* verbis] nomen *17.* 30 Que *1.* super] semper *4.* restant] b c d f g l m n r s t v 31 Mute *1.* 32 que *1.* be, ce, de, ge, pe, te. *De* cf *v. 34.* consonat istis] constat in illis *2.* 33 el, em, en, er, es. 36 mute *1.* *Priscian.* Inst. I. 12. sqq. Priscian⁹ *1.* *Lemma omis. 17.* 37 liquidis sic *2.* 38 anceps] aut brevis aut longa. 39 breves ε, ο, longæ η, ω, communes α, ι, υ. 42 Quattuor *2.4.* connexio *2.19.* Dyphthongi *1.* 43 reque] *1. recte.* atque *4.11.17.* 44 excoluit *11.17.* diphthorigus *19.* 45 papula *2.* *Verg.* ecl. I. 49. 47 u que] uqȝ *2.* 50 *Verg.* Aen. I. 119. troie *1.* *Verg.* Aen. I. 1. 51 Et] Sic *2.* *Lucan.* Phars. I. 311. 53 vocalis *1.11.* *Lemma sine dubio est* J apud *sive* inter vocales.

Fit dupla et crassas extendit murmure voces,
Caius ut est, tamen hanc voluit geminare vetustas.
¶ U quandoque sono manca est vimque exuit omnem, | Donatus. u non littera.
Ni liquidam dicas, quoniam resolubilis extat:
Suāvis ibi *quērcus*que dabunt documenta, vel *anguis*.
¶ Quasdam etiam dici 'liquidas' voluere Latini: | Liquidæ L et R.
Mollior iis sonus est et qui persæpe liquescat,
Quin positæ ad mutas vocalem, quæ præit ante,
Si brevis est alias, communem incedere cogunt:
Sic *aper* exit *apri*, *tenĕbræ* sic sive *tenēbræ*.
¶ Syllaba dispositis surgit compacta lituris; | Syllaba.
Subditur huic tempus, nam si qua est longa, duorum, | Tempus.
Temporis unius brevis est: ita syllaba constat,
Quanta sit, et iunctas signant fastigia voces.
¶ Quæcunque est inter primam verbique supremam, | Triplices syllabæ.
Hanc 'mediam' dicunt: medias ita dictio plures
Continet una simul, quæ lege tenentur eadem.
¶ Quæ venit ante aliam vocalis, corripietur: | Vocalis ante vocalem.
Sic *vĭa*, sic *dĕus* est; *fīo* producitur usque
Dum subit r voci, *fīerem*, *fīeri*que notando.
¶ Omnibus est anceps genitivis syllaba in ius. | Genitivi ius
Casibus in quintæ, quando i subscribitur, extat | Casus in ei
E longum. *chorēam*, *platēam* communiter effer.
¶ Diphthongus longa est; mora fit, si forte sequatur | Diphthongus.
Consona vocalem duplex; ita *pīscis* et *āxis* | Positio.
Vocalem longant, ita *nōx*, ita *mājus*, *habēntur*.
¶ *Sto*, *fero*, *scindo*, *bibo*, *do*, *findo*, collige raptim, | Præterita dissyllaba.
Præterita in primis; alias dissyllaba produc.
¶ Sumit ĭtum, lector, *queo* cum *sero sto*que *sino*que | Supina dissyllaba:
Et *lino* cumque *cĭtum*, *ruo*, *do*, *reor*; omne duarum
Tende supinum alias, et ab hoc quæcunque creantur;
Huc tamen *accītus*, *stāturus* longa notabis,
*Ambītus*que simul, quibus *excītus* sociatur.
¶ In reliquis præsens hæc tempora cuncta sequuntur, | Præteritum ad præsens.
Sic *cŏlo* dat *cŏlui*, sic verbum *ămo* format *ămavi*;

---

[54] Sit 2. [56] U] V *1.* V *2.* Donati segm. *2.* u] V *1.* [60] Mollioris sonus *19.* his *2.* perſepe *1.* [61] *ter* e *pro* æ *1.* preit *2.* [63] sine *2.* [67] fastigia] *accentus*, *apices.* [68] e *pro* æ *1.* [69] dictio] *quæ pluribus quam tribus syllabis constat.* media *4.* [70] Continent *17.* que *1.* [71] Que *1.* [75] quinte *1.* *i. e. declinationis.* [76] ĕ *sive* ē. χορεία, πλατεῖα, unde et *chorēa*, *platēa*. [78] piscīs & axīs *4.*(!) pixis *19.* [80] Preterita *1. et sic v. 81.* [81] Praeterita ita in *19.* dyssyllaba *2. 19.* [82] Sumis *1. 2. 11. 17. 19.* Sum is *4.* [85] excitus *1.* exitus *2.* excitus (ī *4*) *11. 17. 19.* [87] preſens *1.*

Tolle tamen *pŏtui*, *gĕnui* ex illis *pŏsuique*.
℄ Præteriti geminata brevis stat syllaba semper. | Præterita geminata.
℄ *A*, *præ*, *se*, *de*, *pro*, simul *e*, *di* longa reponas | De compositione præpositionum.
Compositis; *dĭrimo* tamen hinc et tolle *dĭsertus*.
℄ *Ad*, *sub*, *ab*, *inque*, *per*, *ob*, *re*, *bi*, *bis* contraria sunto,
Ni positu longæ fiant; *bīga* excipe tantum.
℄ Omne suam sequitur, qua fluxit origine, verbum, | De derivatis.
Sic *scrība* a *scrībo* nomen fit mobile verbo.
℄ Sunt brevia ista tamen deducta ab origine longa,
Et *mănus* et *titŭlus*, *frăgor* et *frăgilis*, *dŭce*, *ărista;*
Cum *sŏpor* atque *fărina*, *lŭcerna*, *dĭsertus*, *ŏfella*,
Adde *dĭcax* *stăbilisque*, *săgax*, *ŏdiumque*, *mămilla*,
Et *lŏtium* et *fătuus*, *sĭquĭdemque*, *cŭrulis*, *ăcerbus*,
Iunge *fĕmur*, *văda* cumque *nŏto*, *quăter*, adde *quăternus*,
Cumque *fĭdes* *vĭtiumque*, *vĭri*, *năto*, *ărena*, *tĭgillus*,
Quodque abit ex *signo*, *lĭgulamque*, *bŭbulcus*, *ăcervus*,
Et *stăbulum*, *văricosus*, *ănus*, *cŏma*, iunge *nŭmisma;*
Huc *dŏmus*, huc *ŏculus*, huc confer, lector, *ŏmasum*.
℄ Deducta a brevibus sic producenda notantur: | A brevibus producta.
Rēgula, *iūcundus*, *stāturus*, *sǣcula*, *vōmer*,
Vītupero, *rēmus*, tum *cāsus*, *iūnior*, *hūmor*,
Tēgulaque, *hūmanus*, *lēgis*, *lāternaque*, *rāpum*,
Cāseus, et *tōtus*, *vōcis*, *iūmentaque*, *rēgis*,
Vīginti, *bīnus*, *dēnus*, *trīnus*, quoque *nōnus*,
Iūgera, *vēna*, quibus *sēdes*, et *mācero*, *pǣtus*,
Sērius et *nēquam*, *fēralis*, *sūmina*, *vīres*,
Vōciferor, *fōmes*, *cēritus*, *sēcius* adde.
℄ Non ego cuncta meo, lector, quærenda labore
Esse puto, restabit enim ventura quod ætas
Quærat, et ut studio quisquam se exerceat illo.
℄ A quo deflexum recto, redducitur istuc, | De declinationibus.
Sic *lĕgo* fit *lĕgerem*, *lēgi* *lēgisse* parabit:
Præteritum sua namque tenet, sua tempora præsens.
℄ Ipsa suum simplex coeuntia iure sequuntur; | Composita.

---

[89] *pōssum*, *gigno*, *pōno*. [90] Pꝛeteriti *1.* brev.] „ni positu longæ fiant" v. 94. [91] pꝛe *1.* simule *2.* [98] măius *4.*(!) [99] sapor *2.* farma *2.* offella *11.* [100] făgax *4.* [101] locum *2.* curulus, *2.* cŭsulis *4.* [102] vada, aquae, *1.11.17.19.* vada atqȝ 2. văda, ăq̄ȝ *4.* noto, cū q̄ter, *1.* [103] Cumique *19.* [104] abit ex signo] *sĭgillum*. [106] cōfer *2.* confers *1.* [108] secula *2.11.17.19.* [110] raptum *2.* [112] nouus *17.* [113] petus, *1.2.11.17.19.* pētus *4.* [114] seralis *17.* viros *2.*(!) [115] cēritus (cerritus) *a* Cĕres. [116] querendo *1.* [117] etas *1.* [118] Querat *1.* [119] reducitur *2.11.17.19.* isthuc *11.17.* [121] e *pro* æ *bis 1.* nanqȝ *1.* [122] cocuncia *1.* ſequunrtu 2.

Quod si forte tibi primaria syllaba verbi
Simplicis ignota est, te compositura docebit;
Pōnere præpōno notat et *condūcere dūco.*
☾ Sæpe per accentum quanta est te syllaba fallit: De accentibus cautio.
Corpóribus dicens *pŏ* negaret, ut est, breve quisquam,
Sed tu protuleris modo *cōrpŏris*, illico nosces:
Nam numerus verbo nimium si excreverit ulli,
In brevius redige, aut alia hoc ope nitere, lector.
☾ Fit brevi compositum persæpe ex simplice longo: De compositis.
Agnĭtus hoc monstrat, cum *pronŭba* et *innŭba*, lector,
Deiĕrat a *iūro*, sic *infĭo*, *suffĭo* cedunt.
☾ Sæpe aliquam doctis placuit geminare poetis, Geminatio syllabæ.
Relliquiæ velut et *redduco relligio*que.
☾ 𝔍 brevis in medio est, velut *armĭger;* excipis inde 𝔍 in medio compositi.
Qualīcunque et *ubīque* tamen, nec perstat *ibīdem*,
Quantīcunque, etiam *plerī*, *tibīcen*, *utrīque.*
☾ Hic, ubi se rectus reliquis in casibus auget, De declinationibus.
𝔄 longum eque scies, simul 𝔬: sic profer *eārum*,
Musārum, *quōrum*, *dominōrum*, sicque *diērum.*
𝔘 brevis ique manet; *verŭbus gravĭbus*que notabunt.
☾ 𝔄lis ut in neutro producitur, adiice *nāris*, De excrescentis casuum.
Omnibus ār neutris, cum mascula corripiantur;
Sed *iubăr* et *nectăr* vel *epăr*, *sălis* excipe ab illis.
Præter *anās* producis ab as, ubi casus abundat; 𝔄s.
Sic *pietās pietātis* habet, sed *ădis* breve perstat.
𝔄n longum, sed et ar, profertur casibus istis; 𝔄n ar.
Dropăcis hinc, *făcis* atque *abăcis*, *corāx* tamen aufer.
𝔈l, en, es tendis: *pariēs*, *ariēs*, *segēs* et *pēs*, 𝔈l en es.
Et *tegēs* et *terēs* atque *abiēs* et *præpēs hebēs*que,
*Interprēs*que, *Cerēs*, quibus omnibus est brevis usus;

[124] compositura] *archaismus*, = compositio, compositum vocabulum. [125] pꝛepono *1.* [127] po] pro *2. 17.* cuiusquā, *17.* [128] ilico *4.* [131] e *pro* ae *1.* [133] credunt. *19.* [134] Sepe *1.* [135] e *pro* ae *1. et in m.* ſyllabe *1. immo* litteræ. [138] plęriq; *2.* plerīq; *4.* plerique *11. 17. 19.* tubīcen *4.* [140] sic] sc *4.* [143] ālis] *ut* animālis, animāle *ab* animăl. „Nomina neutra in *al* producunt in *alis* in genitivo, ut *animal, animalis;* masculina vero corripiuntur, ut *sal, salis, Hannibal, Hannibalis.* Nomina in *ar* neutra producunt *aris* in genitivo, ut *laquear, laquearis.* excipe *nectar*, *nectaris*, *iubar, iubaris, hepar, heparis* [sic], *far, faris; far, farris* positu extenditur." Robertus Vallensis. addite *2.* excreſcencijs *1.* [144] corripiuntur *19.* [145] epor *4.* [146] Pꝛeter *1.* *anās*, *anătis.* producit *4.* habundat *2.* [147] breve perstat] ut *vās*, *vădis.* [149] *fāx*, *făcis.* *corāx*, *corăcis.* [150] tendis] producis ut *el*, *ēlis*; *en*, *ēnis; es*, *ētis* s. *ēdis.* Sed *paries* et q. s. genitivum *ĕtis* s. *ĕdis* s. *ĕris* habent. [152] Interprēsque *positione.*

In quoque producunt, *delphīnis* ut et *Salamīnis*. | [In]
Er breve comperies; *vēr* lege excedit ab illa, | Er.
Et quibus ad Latios eris transfertur ab ηρος,
Ut *panthēr*, *cratēr;* secus est ubi dixeris *aēr*.
Is breviter crescit, longo monosyllaba fine, | Is.
A *lapĭs* ut *lapĭdis*, sic *līs* fit mobile *lītis*.
Ni *grĕgis* exciperes, er longum, ut *rēgis*, haberes. | Er.
Ni etiam, ut *silĭcis*, mutetur littera voci, | Ir.
Adiectiva per ir nec non muliebria tende,
Præter *onīx* *histrīx*, *pīx*, *nīx*, *natrīx*que *salīx*que
*Coxendīx*que, *filīx; larĭcis*, *Stўgis*, et *strĭgis* adde.
Mascula præterea producta sequentia: *mastīx*,
Phœnīcis, *bombīx*, *Ceīx*, *spadīx*, *sandīx*que.
Dæmonis o breviat, præter pæne hoc legis *ōnis*. | Onis
Femina, mas, commune, simul non propria produc
Or quibus accrescit, deme *indecŏr* et *memŏr*, *arbŏr*, | Or.
Rhetŏris; o brevis est neutris propriisque notatis.
Si quod ab u recti crevit, breviabit o semper: | Us oris.
Sic *pecus* hoc *pecŏris*, sic est *ebur* et breve *corpus*.
Obs *scrŏbis*, ops *inŏpis*, paucissima corripientur. | Obs Ops.
Cappadŏcis præter, *bŏvis* et crescentia *præcox*, | [Os] Or.
Longum erit os, simul or, sic *mōris*, sic lege *vōcis*.
Utis ab us crescens, nec non producitur udis. | Us utis.
Dictio in ur patrio longa est, monosyllaba præter; | [Ur]
Lūx tamen hinc demis. sed in ur correpta manebunt, | Ur.
Ut *Ligur*, ut *turtur:* sine *fur* tamen esse seorsum.
€ Est etiam, ut videas, quo crescant verba tenore; | De excrescentiis verborum.
Dum *lĕgĕris* profers et dum tu deinde *lĕgēris*,
Dum *sequĕrer*, *sequerēris* ais, multum inter in illo est.
€ I brevis in terna est, quarta hanc inflectio profert, | I.
Sic *legĭmus* dicunt vulgo, sic deinde *perīmus*.
€ At ui præteritum semper productilis est vox: | ui præteritum.

---

[154] *vēr*, *vēris*. [155] ηρος] iris *1.2.11.17.19. Reuchlinicē* η *per* i *expressa, sed altera* i mendum est. [156] *panthēris, cratēris. aēr, aēris.* panter *2.4.* [157] crescitt-longo *2.* monasyllaba *1.* monosyllabe *4.* [160] *silēx*, *silĭcis* litera *11.* [162] *onyx.* mastyx *editi.* salicis *2.* natixq; *4.* [163] *larīx, Stўx, strīx.* [164] preterea *1.* sequencia *1.* [165] *bombўx, Ceўx.* combix *19.* spadix quoq; sandix *2.* [166] pene *omnes.* [167] Fœmina*2.4.11.17.* [169] Rhethoris *2.* [170] Sic quod ab us recti *2.* [171] *ebŏris, corpŏris.* [173] precor *1.* *præcōx, præcŏcis.* [175] Utis] Viis *4.* virt*ūtis*, pal*ūdis* (sed pecŭdis). [176] Duro ni patrio *2.*(!) monasyllaba *1.* [177] *lūx, lūcis,* [178] *Ligŭris, turtŭris*, sed *fūris.* (Ligŭr, turtŭr, fūr.) deorsum *4.* [179] excrescencijs *1.* [180] profrrs *17.* deinde lēgeris *4.* [182] terna] *tertia coniugatione.* inflexio *11.17.* [184] Ad *1.2.* *in 1. decidit* I *ante seq.* 'ui preteritū', *ut ibi factum sit* Iui preteritū.

Audīvi exemplo est, *quæsīvi* et, lector, *amāvi.*
ℭ Longa *velīm sīm*que i faciunt, sic verte *velīmus.* [Im]
Passim alibi brevis est crementis ista secundis.
O semper longum est, brevis u crescentibus astat. [O u]
Possŭmus ut dicas, *legitōte* et talia cuncta.
ℭ Ultima dicendum est quanta extet syllaba voci De ultimis syllabis.
Cuilibet: in primis mediisque vagabere passim:
Multa legens (nam quis diffusam comperiet rem
Inque novas leges coget?) probus autor in illo
Sudari frustra putat: haud ego murmure longo
Sustineo quemquam; placet omnia dicere paucis
Quæ rata sint verbis et te brevitate iuvare;
Qui velit hæc scribat longoque accepta labore
Colligat, et multis dociles sermonibus aures
Turbet, ubi tamen hanc nunquam satis explicet artem.
ℭ Ordinibus cunctis genitivus longus habetur. De declinationibus breviter.
Is brevis est ternæ; prolixum pone dativum,
Pone ablativum; sed e tertius excipit ordo.
Plurali rectus cumque accusante vocator
Longus erit, quamquam est neutris brevis omnibus usus.
Casibus is longum est, sed bus breve pone *duobŭs.*
ℭ Quod semel exposui generali, candide, dicto,
Iam satis est, lector, neque enim per longa morabor.
ℭ A fini longum est, sed casus corripit illud A.
Præter ablativum Graioque ex nomine quintum:
Ultră, *ită* vel *quiă*, cum *frustrā*, *pută*, mixta leguntur;
Longa tamen crebro *gintā* communiter exit
Qui finit numerus; breve *quadringentă* manebit,
Et si quod simile est: toties hæc regula fallit.
ℭ E brevis est, Græcis muliebria longa feruntur. E.
Sic quæ o finito veniunt adverbia casu
Deducta, ut *pulchrē* longoque e verba secundæ,
Cum *quarē* produc *fermē*que *ferē*que *famē*que
Et monosyllaba; sed *nĕ* brevis, dum connotat 'an', fit;

---

185 quesiui *1.* 186 sinq3 *4.* i] & *2.* ℭ *et* [Im] *addidi.* 187 im brevis fit accedentibus aliis syllabis, ut *amaverĭmus.* 188 crescentius *2.* 190 decendum *1.* extat *2.* 191 vngabere *2.* 193 auctor *2. 19.* author *4.*. 195 omnia *2.* 201 *panĭs, panī.* 202 *mensā, dominō, fructū.* sed *panĕ.* exipit *2.* 203 vocatur *4.* 205 *īs* dativi et ablativi, *sed bŭs* is] in *17.* 209 Pter *1.* ex] eus *17.* quintum] *vocativum.* 210 frustră, pută *4.* 213 hec *1.* 214 grecis *1.* η 215 que *1.* finitæ *2.* 216 pulcre *11.* secunde *1. 2.* 217 fremēq3 *4.* 218 monasyllaba *1. et quartum sic v. 226. ut semper.* fie *1.* sit *2.*

Nunc sunt longa *valē, carē*, nunc correpta leguntur;
Quintus at in Græco cum sexto longus habetur.
Dic *benĕ*, dic *malĕ*, et huc generalia congere dicta:
Partim ita longa vides adverbia, raptaque partim.
¶ **I** produc, *Parĭ* corripitur, similesque cadentes, | I.
Phillidĭ non secus est; *tibĭ* cum *mihĭ*, *ubī*que *sibī*que
Et *nisĭ*, deinde *quasī* vel *ibī* communia sunto.
¶ **O** varia est cunctis, sed eunt monosyllaba longe. O.
Ponis in hanc etiam *cēu*, *verō* adverbia normam;
Mutuŏ, *crebrŏ*, *citŏ*, *serŏ*, *sedulŏ* in ancipiti usu,
Illicŏ contrahitur, semper *modŏ* corripietur.
¶ **U** longum est, nihil hinc demis; sic collige *cornū*. | U.
In **b d** et **m t** breves cunctos posuisse videmus, | B D M T.
Sæpe tamen miror t produxisse poetas:
Naso refert '*cum voce abīīt, ego*', Iunius inquit
'*Magnus civis obīt, et formidatus Othoni*':
Sive licet doctis, sive hoc ita syncopa poscit.
¶ **C** quibus est, produc, *nĕc* erit breve, *lăc* breve, *donĕc*, | C.
Hĭc varium est casu, sed *fac* quĭ corripis, audes
Nescio quid dubium, legitur tamen haud semel illud.
¶ **L** breviter pones, *nīl*, *sōl* si exceperis inde. | L.
¶ Omnia in **n** tendis; sume hoc ex ordine *forsĭn* | N.
Et *tamĕn*, *exĭn* et *ĭn*, *vidĕn*, *ăn* crescensque secundo
In casu nomen: sic *pectĕn pectĭnis* auget,
Cum *Sīrēn* capis hinc *Hymēn*, productus in **in** stat
Rectus; in **in** quartus brevis est, ita *tygrĭn* habebis.
¶ **R** correpta venit; *cratēr*, *æthēr*que, *charactēr*, | R.
Cūr et *Ibēr*, *panthēr*que, *statēr* producitur, et *fūr*,
Aēr, *Nār*, *vēr*, *pār*que et ab hoc fit mobile si quod.
Adde illis *lār fār*que simul; *cŏr*, ut ingeris, aptum est
Versibus; an tamen huc, dubium est, *dolŏr* et simile addas.
¶ Omnibus **as** longum est; secus est ubi *lampadăs* inquis, | As.
Pallăs et *Arcăs* et in Graiis quæ talia multis.
¶ **Es** longum vates posuere; ubi patrius auget | Es
Se breviter casus, *milĕs* velut est, breviatur.

---

[220] greco *1.* [225] deinde —◡ [226] monasyllaba *1.2.* [229] coutrahitur *2.* [230] sic] sed *4.* [231] In b d & in t *2.* [232] t] ti *2.* [233] *Ovid.* heroid. XV. 173. „Ut monuit, cum voce abiit, ego frigida surgo." Iun.] *Iuvenal.* sat. VI. 559. [235] Sine *4.* sine *2.4.* [238] Nestio *2.* [239] excoeperis *1.2.11.* [241] crestensqȝ *2.* [242] nomen] nouem. *2.* *pectĕn.* [243] syren *1.2.* syren *4.11.17.19.* in instat *4.* [245] æthetqȝ *4.* caracter *2.* [246] Iber] iter *4.*(!) [248] sarqȝ *4.* cŏr *sive* eŏr. nageris *2.* est *om. 4.* [249] et] ē *4.* [252] ubi] v bi. *4.* [253] Sed *2.*

Inquies *ĕs* verbum, *penĕs* et pluralia Græca;
Ast *ariēs*, *pariēs*, *abiēs* lege longa, *Cerēs*que,
*Rēs*que, *fidēs* et *spēs* cum *pēs*, bip*ĕs* inde tamen sit.
℄ Is brevia trahimus sicubi genitivus abundat | Is.
Cum longa, ut *Samnīs Samnītis*; iunge secundam
Personam verbi, cui declinatio quarta est,
Cum *sīs* cumque *velīs*, *vīs* et monosyllaba cuncta,
Præter *ĭs*, et *quĭs*, *mĭs*, *bĭs*, *tĭs* quæ contrahis usu.
℄ Protrahit os finem, sed cui genitivus *ŏs*, *ŏssis* | Os.
Additur, excipimus; sed Græcus in os brevis extat
Patrius, et neutri rectus, muliebreque nomen.
Corripiemus in us quæ sunt, monosyllaba præter, | us.
Et quibus extensum est casus finale secundi:
Sic lego *virtūtis*, *tellūris* sive *palūdis*:
Certe ego, quod veniat *pălŭs* in mea carmina nolim,
Flaccus ut est usus vates: nam quæ unus et alter | Nihil rarum imitandum.
Autor habet, quis in hunc, nisi crassa forte Minerva
Ingeniique inopis, sine testibus, incidat usum?
℄ Hæc, ut in admissam concedat syllaba vocem,
Tradidimus breviter; quod si tibi noster in istis
Angustus nimis est labor atque hac deficis arte,
Ulteriora potes studioso acquirere nisu.
℄ Syllaba facta pedes facit, et pede carmina constant: | De pedibus.
Longa sequuta brevem Spartanum gignit Iambum, | Dissyllabi.
Huic contra ex longa ponere brevique, Trochæe;
Pirrhe celer, brevibus; longis, Spondee, duabus.
Ite, pedes, longam correptis, Dactyle, binis | Trissyllabi.
Antefer, at contra volat Antidactylus illi;
Tot volucer brevibus Tribrachys, longisque Molossus;
Nacta utrimque duas brevis est ubi syllaba longas,
Creticus efficitur; Scolius contrarius illi;
Ante brevis longas Bacchius, contrait autem,
Ut v*ē*rs*ūrā̆* docet, Palimbacchius eidem.

---

254 Inquies, es verbum *edd. An* Inquimus? 355 ut *audīs, nescīs.* decl.] *i. e. coniugatio.* 260 cunq3 *1.* vis] *x*is *4.* monasyllaba *(ut ubique) 1.* 263 exipim9 *2.* grecus*1.* 265 monasyllaba *1.2.* us *om. 4.* 267 telluris *1.* 268 pālus hic foret obelus, notæ signum. camiina *2.* 269 *Horat.* art. poet. 65. ,,regis opus sterilisve diu pălŭs aptaque remis. que *1.* 270 Author *2.* Auctor *19.* 272 Hec *1.* 274 nimis] minus *4.* hac arte] versificatoria, meo libello. 277 secuta *2.4.* 278 trochee *1.* Trochei *2.* Trochee *11.17.19.* 279 Pyrrhe *2.4.* spondęe *4.* 280 dactile *1.19.* 281 antydactilus *1.* Antydactulus *2.* 282 tribrachus *1.2.4.11.17.19.* 284 Scholius *17.* 285 bachius *19.* 286 versura] *duplici sensu posuit:* nominis syllabæ faciunt palim-

¶ Sunt quibus accedit (potes hoc inquirere, lector) | Tetrasyllabi.
Syllaba quarta pedes, immensum est omnia dici.
¶ Miscueris tenuem si quando ad carmen Homeri | De elegiaco carmine.
Pentametrum, numeris dabit iis Elegeia nomen.
¶ Exiguos elegos pedibus constare duobus
Maxima pars vatum sentit: da dactylon illis | De scansione heroici.
Spondeumque gravem; nihil hoc in carmine iuris
Alter habet, cunctis est ultima versibus anceps;
Ponis in heroo semper promiscue utrumque,
Ius tamen in quinta est, (nam sex regionibus illud
Dividimus carmen) soli tibi, dactyle, perstat,
Spondeus sextum sibi pes vice quærit eadem.
¶ Sæpe tamen quintam in versu pes occupat idem: | Spondaicum.
'*Chara deum soboles, magnum Iovis incrementum*'.
Alter in alterius quoniam resolubilis extat
Tempora. Sunt etiam, quibus ultima syllaba abundat, | Hypermeter.
Principio alterius connectit Hypermeter illam:
'*Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque*
Et genus æquoreum'. sed quod legis '*ariete crebro*', | Pedum resolutio pulchre.
Hoc proceleumaticum pedibus docet addier istis.
¶ Disce quod angustis hærere in legibus amplos
Non deceat vates: magna est in carmine virtus | F. Quintilianus.
Sæpe novi quicquam venia committere honesta,
Quod varium mentes lectorum ducat et aures: | Varietas in carmine.
'*Fluvjorum rex Eridanus*' Maro dicere posset.
¶ Pentametrum in partes doceo disponere binas: | De scansione pentametri.
Prima duos miscere pedes solet, huncque vel illum
Continet, ut libitum est, dehinc ultima syllaba restat,
Dactylus inde duplex parti solet esse secundæ

---

bacchium *s. antibacchium*, –⏑⏑, et hic inversi ordinis est atque bacchius. palymbachius *1. 2. 19.* palimbachius *4.* Palymbacchius *11. 17.*

[288] pedes *omis. 2.* immens.] i. e. longum. Ceterum sedecim figuræ rem conficiunt omnem: diiambi, ditrochæi, dipyrrhichii (s. proceleusmatici), dispondei, choriambi, antispasti, ionicorum duorum, epitritorum quattuor, pæonum quattuor. [289] ad carmen Homeri] *hexametrum.* [290] Penthametrum *1. 2. 11.* et sic v. 312. his *11.* [291] elegia *4. 11. 17. 19.* [292] dactilon 2. dactylum *4.* [293] Spondæūq; *4.* [296] regionib.] *pedibus.* [297] dactile *19.* [298] Spondæus *4.* [300] *Verg.* ecl. IV. 49. [301] *id est – in* ⏑⏑. [302] Hipermeter *1.* [304] *Verg.* georg. III. 242. sq. Omnem *2.* [305] equoreum *1.* ārietĕ crebro] *Verg.* Aen. II. 492. [306] proleumaticum *4.* proceleusmaticum *19.* [307] herere *1.* [308] *Quintilian.*] I. 6, 39. Fabium *littera* F *designare operarum licentia fuerit. ceterum potest etiam Quintil.* Inst. or. I. 6, 39. sq. *conferri* [310] „Fluvjōrum rex Eridanus camposque per omnes." *Verg.* georg. I. 483. [312] Enthametrū *1.* (P *miniatori adpingenda relicta.*) [315] Dactilus *1.* secunde: *1.*

Syllabaque ad finem, quæ sic collata priori
Iure pedis quinti numerum hoc in carmine complet.
❡ Tu quoque qui versus in partes digeris ipsos, Observanda in scansione.
Disce modum, neu te mandatis subtrahe nostris.
❡ Contigerit vocis siquando in fine prioris
Voçalem poni sicque incœptare sequentem,
Prima cadit, fiet Synalœphe: sic cadit ante, Synalephe.
Fiat ut Eclipsis, m littera: monstrat utrumque Eclipsis.
'Littora multum ille et terris iactatus et alto.'
❡ Hanc tamen adversus potuit Maro dicere legem Exempla contraria.
'Insulæ Ionio', sic deinde *'sub Ilio alto.'*
Sæpe etiam, ut longæ maneant, mirabimur illas:
'Hæc Helenum cecinisse penatigero Aeneæ'
Naso tulit vates; sic *'Ionio immenso'*;
In satyra scriptum est *'tum propter plurima tum his'*.
❡ Perstat item siqua est vocalis dictio facta: Exceptio.
'Ō ŭtinam tunc cum Lacedæmona classe petēbat.'
❡ Antiquum est etiam *'decidere falcibus ramos.'* S absorbendum.
❡ Sæpe brevis totas præscindit Syncopa partes, Syncopa.
Ut *'quotiens raro duxti suspiria motu.'*
❡ Demit et Apocope finem (sic pone *negoci*), Apocope.
Quem Paragoge auget: sic quisquam *fungier* inquit. Paragoge.
❡ Ius habet in binas differre Diæresis unam, Diæresis.
Ut solet in cumulum iunxisse Synæresis ambas: Synæresis.
Sic nos *aulaï*, sic *persoluenda* notamus,
'Ferreique Eumenidum thalami,' 'furtumque Promethei',
Plurima præterea, *dii. cui, deinceps* velut, addis
Semianimis, *dehinc*, *deinde* vel *huic*, *ii*, *proinde* leguntur.

---

[316] que *1.* [321] inceptare *2.4.11.17.19.* [322] ſynalephe *1.11.17.19.* (–⏑⏑|–) συναλοιφή, *synalœphe.* Synlephe *2.* cadet *2.* [323] m littera] in littora *2.4.* m litera *11.17.* [324] *Verg.* Aen. I. 3. mult. ill. & *4.* [326] Insule *19.* *Verg.* Aen. III. 211. („Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno.") *Ibid.* v. 261. („Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.") [327] longe *4.* mirabimus *17.* [328] *Ovid.* met. XV. 450. [329] sic in Ionio *2.* Ionio im.] *Ovid.* met. IV. 535. [330] satyra] *Iuvenal.* sat. IX. 118. „Vivendum recte est cum propter plurima tum his Præcipue caussis, ut linguas mancipiorum Contemnas." hic *2.* [331] vocali s *1.* [332] *Ovid.* her. I. 5. lacedemona *1.* Lacedemona *4.* petebas. *2.* [333] *Lucret.* de R. N. V. 936. „arboribus veteres decidere falcibŭ' rāmos." falcibu, ramos *4.* [334] e *pro* æ *bis 1.* [334] *Propert.* I. 3, 27. quoties *2.* duxi *2.* (!) [337] quis q̊qꝫ *2.* quisquam] *Fortuito casu nusquam legi videtur.* [338] e *pro* æ *bis 1.* Dieresis *2.* [339] e *pro* æ *bis 1.* syneresis *2.4.19.* [340] aulaï] ut *Verg.* Aen. III. 354. *et al.* persoluenda] „mutua nec certa persoluenda die" Consol. ad Liv. Aug. 370. [341] ferr. Eum. th.] *Verg.* Aen. VI. 280. talami *2.* furt. Pr.] *Verg.* ecl. VI. 42. [343] huic] hinc *2.*

¶ Dicendum et qui sint ornando in carmine flores, | De carminis cultu.
Hic operæ est precium, vigiles huc vertite mentes,
Osthenii iuvenes, nec vos labor abstrahat ullus:
¶ Continuo studio curisque calentibus, acri | Multum laborandum.
Optima quæque animo legere aut audire gravesque
Edidicisse libros crebraque indagine doctos
Eligere autores scribentem carmen oportet.
Quicquid habent alii passim, Maro novit, et arteis | Virtus poetica.
Calluit omnigenas doctrinaque acre iuvabat
Ingenium: hinc illi tanta est in carmine virtus,
Tantus honor, hinc est quod vates altior omnes
Hic superat Latios nomenque ad sidera tollit.
¶ Nec, quoniam munus vobis natura benignum | Non ingenio confidendum.
Contulit ingenii, nimium confidite vobis:
Excolite has vires animumque intendite rebus, | Philosophiæ studendum.
Quis molem hanc moveat, quis euntibus imperet astris,
Quid fatum, quid sit casus, quo turbine præceps
Mundus eat, quæ sit rebus natura creatis,
Discite per causas, hominumque inquirite mores.
¶ Nam conforme suis multum scripsisse probatur | Carmen tempori conforme.
Temporibus carmen vivosque effingere gestus.
¶ Dum legitis, multum potius quam multa legetis. | Quomodo legendum.
¶ Nec vos dicendi lateant genera, utque peritus | Observandum.
Orator causas tractat, sic scribere vates, | Orator et poeta.
Sic solet eloquio montes mulcere, sed illi
Liberior vocum est usus, vos cogite voces | Vocabulorum usus.
Inter se similes: nam res etiam ista iuvabit;
Profuit et genus in speciem aut contra variari
Et saltem affini confundere nomina sensu.
Raro aliquod ponas nomen, nisi forsitan illi | De epithetis.
Adiectum tribuas proprium; sit lucidus omni
Duricie procul hinc sermo, sint omnia plana, | Virtus carminis.
Sint facili producta stilo venaque fluenti;

---

345 ast *17.* precium est, vigiles huc *2.* 346 ne *2.* 347 *Quintilian.* Inst. or. procem. I. i. f. „bona etiam ingenia ... sine doctore perito, studio pertinaci, scribendi, legendi, docendi, multa et continua exercitatione per se nihil prosunt". 348 legerent, audire *2.* 350 authores *2.4.* auctores *19.* 351 artes *2.4.11.17.* 354 Tantos *2.* 355 ad sid. toll.] *Verg.* Aen. II.222. sydera *2.4.19.* 358 Eucolite *4.* 359 astrix *4.* 360 pꝛeceps *1.* 361 que *1.* 362 caussas *19.* 363 probatus *11.17.* 364 gestes. *11.* 365 pocius *2.* 367 Orator ꝛ poeta *bis ad marg. 1.* caussas *19.* vates] voces *2.* 371 et] aut *2.* ſpeciem *1.* *Præstaret* variare. *Haupt.* 374 attribuas *2.* 375 Duritiæ *2.4.* 376 stylo *4.11.17.19.*

Non tamen, ut sensu careant frustraque legantur,
Sed moveant animos aliquemque ferantur ad usum.
¶ Est etiam ut studeas pictas miscere fabellas | Exornandum carmen.
Historiasque simul, si quid locus exigit illud.
¶ Sæpe, ubi quid repetis in carmine, pulchrius exit: | Pulchræ repetitiones in versibus.
'*Ter sunt conati imponere Pelio Ossam*,
'*Ter pater extructos disiecit fulmine montes.*'
'*Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido*,
'*Attice, crede mihi, militat omnis amans.*'
'*Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.*'
'*Illum et labentem Teucri et risere natantem.*'
'*Me me, adsum qui feci, in me convertite ferrum.*'
'*Pauper amet caute, timeat maledicere pauper.*'
Quodque Maro dixit '*sequitur pulcherrimus Astur*,
'*Astur equo fidens*', et in adiectiva resurgens:
'*Marsa manus, Peligna cohors, festina, virum vis.*'
Et si quid simile iis, velut est '*Athamasque Thoasque.*'
¶ Usque adeo sensis similem decet esse loquelam, | Affectum verba sequantur.
Ut si quid durum est, duro procedat hiatu,
Concitet et gestum sermo: quid pulchrius illo
'*Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum*'?
Pulchrum est '*rura petunt, hic Thuscum atque ille Sabinum.*'
¶ Transit et in carmen celebri Translatio cultu: | Metaphora.
Belle equidem dictum '*classique immittit habenas,*'
'*Navigio sulcat mare,*' '*ferrum armatque veneno.*'
Stat pro contento retinens, ut '*vina coronant*'; | Continens pro contento.
Per *Venerem* luxus, per *Bacchum* intellige vinum,
Per *Cererem* fruges, inventoremque suarum

---

[377] moneant *17.* ferentē *4.* [379] Fabellas etiam pictas miscere iuvabit, *19.* [380] Historiaqȝ *11. 17.* quis *4.* locus] temen *2.* [381] repetes *19.* [382] *Verg.* georg. I. 281. et 283. Ossan *2. 19.* [384] *Ovid.* amor. I. ix, 1. 2. *Sic frequentissime luditur in Anthol. Lat.* [386] *Verg. Aen.* I. 750. [387] ibid. V. 181. natantem] Latini *2.* [388] *Verg.* Aen. IX. 425. fœci *2.* [389] *Ovid.* art. am. II. 167. [390] *Verg.* Aen. X. 180. sq. [292] pelina *4.* Ennius Annal. ap. Donat. III. 5. et Charis. inst. gramm. IV. 251. *(ubi alia quoque ab Hutteno repetita exempla leguntur.) Pro* festina, v. v. *librorum* Vestina v. v. *legendum esse post Dousam dubitari non potest.* [393] iis] his *2.* *Verg.* Aen. II. 262. (*sqq. item ap. Charis. l. c.*) ,,.. Acamasque [*olim leg.* Athamasque] Thoasque | Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon Et Menelaus et ... Epeos". [394] sensus *2.* [396] Continet, & *2.* [397] *Verg.* Aen. III. 658. adēptū est *2.* [398] cura *4.* rura pet.] ? Tuscum *2.* [400] *Verg.* Aen. VI. 1. [401] ,,Longa sulcat maria alta carina". *Verg.* Aen. X. 197. ferrumque armare ven.] *ibid.* IX. 770. [402] *Verg.* Aen. I. 724. apud Donat. III. 6. corronant. *19.* [403] luxus] lupus *4.* Bachum *19.* [404] Ad Terentianum 'Sine Cerere et Libero friget Venus' Donatus III. 6. Charis. IV. 5.

Finge ipsas rerum: non ista licentia tantum,
Quin etiam decor est. Ornata Periphrasis omni — Periphrasis.
Laude nitet, tibi mille locis exempla petantur,
Non etiam incultum est *'rapiunt incensa feruntque*
'Pergama, vos celsis': ita sermo patheticus ornat.
Transponunt etiam quas iungere lege deceret; — Pulchra dictionum traiectio.
'Italiam contra' dixit Maro, dixit et idem
'Transtra per et remos', *'septem subiecta trioni.'*
Synthesis iis proprior: *'iuvenes, fortissima frustra* — Synthesis.
'Pectora', et in medio conclusa Parenthesis ornat, — Parenthesis.
Allegoria simul: *'pueri, sat prata biberunt'*. — Allegoria.
Dissimulansque in se quicquam Ironia relatum. — Ironia.
Quisquis ab iis cultum quæris versusque colorem, — Affectatio fugienda.
Non excede modum, nimia est vitiosa venustas,
Quodque satis pulchrum est, crebro vilescit ab usu.
Cetera quæ poterant istis superaddier, olim
Vestrum aliquis per se quæret: mea commoda saltem
Sit brevitas quicquam vobis, ne spernar ubique.

APVD PHACCHVM HOSPITEM WITTENPVRGENSEM
IDIBVS FEBRVARII *[A. MDXI]* ABSOLVTVM
SINCERITER CITRA INVIDIAM.

---

[408] *Verg.* Aen. II. 374. sq. [409] „vos celsis nunc primum a navibus itis?" celsos *4.* [410] decert *4.* [411] *Verg.* Aen. I. 13. [412] *Ibid.* V. 663. *Verg.* georg. III. 381. [413] 𝔖𝔦𝔫𝔱𝔥𝔢𝔰𝔦𝔰 *(in versu) 1.2.* *Verg.* Aen. II. 348. sq. his *4.11.17.19.* Iuuantes *19.* [415] *Verg.* ecl. III. 111. [417] his *11.17.19.* 𝔮𝔲𝔢𝔯𝔦𝔰 *1.2.* [418] ex cede 2. viciosa 2. [420] Cætera *2.4.* [421] 𝔮𝔲𝔢𝔯𝔢𝔱 *1.2.* [422] Sic *4.* [423 sqq.] *omis 2.4. In 11.17. est: 'Synceriter citra pompam, | zelo uirtutis. |* FINIS.


ΟΥΤΙΣ. NEMO
VL

Quæ Indice bibliogr. Hutt. num. XV. enumerata sunt Neminis, quem 'reviviscentem' sive 'secundum' appellare solent, exempla 1...23. 25, ea non omnia mihi ad manus sunt; itaque ad meam adnotationem Neminicam non nisi *1, 2, 3, 6, 7, 10, 14, 16, 17, 20, 21, 23 et 25* adhibui (omissis *4, 5, 8, 9, 11, 12, 13, 15, 18, 19, 22*: nam *24*. carmen non continet).

Picturam Neminis ad exemplum XV. 1. repetendam curavi: nam aperte pro commentario quodam carminis esse voluit ipse huius auctor, cum tam Ulyssis Homerici (VL· in pictura = Ulysses) Cyclopisque casus, quam quæ Nemini culpæ dantur versibus 89. sqq. quassationes, eversiones, furta depicta sint. Quo modo diversorum exemplorum picturæ inter se differant, in universum descripsi Indicis locis supra indicatis. Quod in prioris Neminis exemplis *3* et *4* ori Neminis claustrum obiectum est, quod neque in VII. 1. neque in XV. omnibus habet, id non ex figura Viri boni repetitum, sed ad v. 86. prioris Neminis referendum est.

Hutteni ad Crotum epistulam quæ in Neminem præfatio est, dedimus vol. I. num. LXXXIIII. pagg. 175...184. et

IOANNIS M. HERBIPOLITAE

IN PERSONA NEMINIS HEXASTICHON

ex iis quæ Indice bibliogr. Hutt. num. VII. 1. 3. 4. indicata sunt exemplis dedimus vol. I. p. 27.

Priori Neminis editioni præmittitur in omnibus exemplis:

IOCVS DE NEMINE
EX ODISSEA HOMERI.

Barbarus ille Cyclops, socios depastus Ulissis,
    Cum trucia humanis carnibus ora daret,
Quærit et ex illo 'quod vulgo nomen haberet':
    Cui vafer experto pectore "Nemo vocor".
'Nemo, igitur', Poliphemus ait, 'super ultimus omnes
    'Præda mihi madido dente petenda venis'.
Ithacus huic, nimio cum iam langueret Iacho,
    Ad Syracusanas lumen ademit aquas:

---

16 Hunc Ioannem M. esse Mylium s. Mullerum magistrum, alias Lantsperger dictum, satis probabilis Mutheri (Joh. Apell. Kgsbg. 1861. 8⁰. p. 80.) coniectura est. 21 Hic Neminis Hutteniani prologus in exemplis Ind. bibl. Hutt. VII. 1...4. et ap. Münch. II. p. 305. (*6.*) extat. 22 Odyssea *2. 3.* Odysseæ IX. 23 Cyclops *2. 3. 4.* Ulyssis *3. 4. 6.* Odyss. IX. 288. sqq. 25 Querit *1. 3. 4.* Querit *2.* Odyss. 364. sqq. 27 Polyphemus *2. 6.* 28 Preda *1...4.* madido] quo socios tuos manducavi. 29 Iacho *1. 3. 4.* Jacho *2.* Odyss. 345. sqq. 30 In ora maris Syracusani. Odyss. 375. sqq.

Clamantem et vacuas certamen ulciscier umbras
Horrenda socii sedicione petunt,
Dumque omnes quærunt, 'oculum Nemo' inquit 'ademit';
12 'Nemo', ait ille, 'mihi, Nemo petendus abit'.
Ast socii frustra, quia Nemo læserat illum,
Asciti insanum deseruere ducem.

Ad alteram Neminis editionem, quam alii quoque vol. I. p. 252. num. CXI. prolati laudant, pertinet hoc Conradi Mutiani Rufi epigramma:

C. M. R. AD CROTVM RVBIANVM
Epigramma de Nemine Hutteniano.

Omen adest placidum: pateant, Rubiane, penates.
Claude: venit Nemo. Nemo, reclude, venit.
Quis novus ignotis hospes successit ab oris?
Οὔτις πουλύτροπος *dicor, Homere, tibi.*
Sum vafer et Proteus: struo, destruo, texta retexo,
Orbica quadratis, candida muto nigris.
Accedit precio, velut auro lucida gemma,
Artificis clari nobile quod sit opus.

---

[1] Odyss. 399. sqq. [2] feditione *2...4.* [3] querunt *1...4.* ocutū. Nemo *2.* oculū: Nemo *4.* aduenit *2.* [5] At *6.* leserat *1. 2.* Odyss. 409. sqq. [6] Acciti *6.* insanum] inftum *1. 2.* [9] *Omissum est hoc epigrámma 14. 16. 18. (19?) 20. 21. (24.)* [14] *Οὐτἴσ 1. Οὔτις 2. 6. 17. Οὐτὶς 10. 23.* πούλυτροπος *3.* πολύτρ.] Odyss. I. 1. X. 330. [15] uauer *2.* Protheus *1. 3. 4. 5. 10. 13. 23. 25.* [17] pretio *25.* [18] chari *1...3. 10. 17. 23.* cari *25.* clari *4...7. 13.* opus] *Pictura Neminis.*

NEMO LOQVITVR.

Quisquis ades, si forte novos mirabere lusus,
Ne rigida faciles accipe fronte iocos;
Sed qua læta probis ageres convivia mensis,
Quoque decet vultu res variare graves.
Inter se mutata placent: non omnibus idem
Est locus, haud poscunt omnia tempus idem,
Et quandoque leves veniunt ad seria risus,
Quo iucunda graveis temperet hora dies.
Este alii tristes semper semperque severi:
Qui sapis, alternas omnibus adde vices:
Scilicet hic modus est. Tu, qui mea nosse laboras
Fata, Cleantheum pone supercilium.
Qui loquitur, Nemo est; loquitur Nihil: at tibi siquid
Insonuit, dicas Neminis esse Nihil.

VLRICI HVTTENI
N E M O.

Quisquis ades, *speculare* novos *in imagine vultus*,
Ne rigida *pictos* accipe fronte iocos,
Sed qua læta probis *trahimus* convivia mensis,
Quoque decet vultu res variare graves.
Hoc homini natura dedit: gravitate fruamur;
Sed tamen et fines res habet ista suos:
Et quandoque leves veniunt *post* seria risus,
Ne semper duros nos iuvet esse minus.
Quæris (*ut ista loquor*) *quis sim*, *quæ vita*, *quis usus?*
Hæc volui, *lector*, *plana fuisse tibi.*

---

[6] haud posc.] Eccles. III. 1. haut *16.* [7] Eccles. III. 4. [8] graves *25.* temporet *14.* [11] cf. Hor. sat. I. 1, 106. [12] Cleanthæum *1. 3. 6. 7. 10. 14. 16. 20. 21. 23.* Cleanthes, Assius, stoicus, Cratetis ac Zenonis discipulus, Chrysippi præceptor, pauperrimus, studiosissimus, laboriosissimus. ut Martial. „triste supercilium durique severa Catonis frons". pone superc.] Martial. I. 5.

Huteni *B.* [1] speculate *B.* [2] iocos] Jacob *2. 5.* [3] lata *1.* leta *B.* [9] Queris *1...4. B.* que *1...4.* usus] auſus *2. 5.* [10] Hec *1. 2. B.*

Sum Nemo: vivam nec ne, cui dicere promptum est?
Non etiam promptum est hoc mihi: vivo tamen;
Nemo agitat vitam. tu quid te contrahis? an quod,
Si vivit Nemo, vivere non potis es?
Ille ego sum Nemo, de quo monimenta loquuntur.
Ipse sibi vitæ munera Nemo dedit.
Nemo fuit semper, Nemo isto tempore vixit
Quo male dispositum dii secuere chaos.
Ante ortum Nemo est aliquis, post funera Nemo.
Nemo quid invito fertve facitve deo,
Omnia Nemo potest, Nemo sapit omnia per se.
Nemo manet semper. Crimine Nemo caret.
Nemo fugit mortem; Nemo est a fine superstes;
Nemo exors certi nascitur interitus.
Nemo animos novit superum sensusque latenteis;
Nemo quod est, quod erat, Nemo futura tenet.
Nemo salutiferas præter servabitur undas;
Nemo fidem Christo non habet et bonus est.

Sum Nemo, vivam, nec ne, cui dicere promptum est?
Non etiam *certum* est hoc mihi; vivo tamen;
Nemo agitat vitam; *sed enim quis credere possit?*
Si *vivo, non est vita quod alter agit.*
Ille ego sum Nemo, de quo *sacra littera* dicit:
Ipse sibi vitæ munera Nemo dedit;
Nemo fuit semper; Nemo isto tempore vixit,
Quo male dispositum dii secuere cahos.
Omnia Nemo potest; Nemo sapit omnia per se;
Nemo manet semper; crimine Nemo caret;
Nemo anim*um* novit *domini* sensusque latentes,
Nemo quod est, quod erat, Nemo futura tenet.

---

[15] promtum *20.21.* [16] promtum *20.21.* hoc *om. 10.14.* hoc] vel *16.* [17] te contrahis] animum demittis. [18] vivet *21.* [19] monimenta] *ed. I. aperte* sacra littera: *Bononiæ scripta est ed. II.* monumenta *16.* loquuntr, *10.* [21] „Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius". Paul. ep. ad Hebr. IV. 13. fertue *23.* [26] „Nemo est qui semper vivat", Ecclesiast IX. 4. crimine .. caret] *Immo* episcopus Pauli ep. ad Tit. I. 7. [27] 'Sum quidem et ego mortalis homo', Sapient. VII. 1. cf. Pauli ep. ad Hebr. IX. 27. "... omnes una manet nox Et calcanda semel via leti". Hor. Od. I. 28, 15. sq. cf. Propert. IIII. (III.) 18, 22. *etc.* Memo *14.* a. f. sup.] 'creavit deus hominem' Genes. I. 27. [28] exsors *16.* [29] 'non sapis ea quæ dei sunt'. Matth. XVI. 23. Marc. VIII. 33. latanteis 7. latentes *16.25.* [30] cf. Apocal. I. 4. [31] cf. Marc. XVI. 16. [32] cf. e. gr. Pauli ep. ad Gal. II. 16.

[11] pmtū *B.* [12] eciam *1. B.* michi *1.* [15] litera *2.* [16] uite *B.* [18] chaos *2. 5. 6. A.*

Nemo sorte sua vivit contentus, et intra
    Fortunam didicit Nemo manere suam.
Nemo sacerdotum luxus vitamque supinam,
    Nemo audet Latium carpere Pontificem.
Nemo in amore sapit; Nemo est in amore fidelis,
    Nemo alii propior quam studet esse sibi.
Nemo vagas numerat stellas; ipso ordine novit
    Nemo, quid in terra, quidque feratur aqua.
Nemo potest dominis simul inservire duobus,
    Nemo quod et quoties expetit, illud habet.
Nemo bonus, Nemo est ex omni parte beatus;
    Nemo simul potis est omnibus esse locis.
Nemo omnes posita Germanos lege coercet,
    Nemo iugum Rheni gentibus imposuit.
Nemo per innocuos mores emergit, et aulæ
    Sontica prosequitur munera Nemo pius.
Nemo Quirinalem dominatu liberat urbem,
    Nemo laboranti subvenit Italiæ;
Nemo feros bello Turcas adit; et bona curat
    Publica privato munere Nemo magis.
Nemo certa sequi sibi conscius optima legit,
    Nemo audet subitis rebus habere fidem.

Nemo in amore sapit, Nemo est in amore fidelis;
    Nemo *aliis sibi quam fidior esse solet.*
Nemo vagas numerat stellas, ipso ordine novit
    Nemo quid in terra quidque feratur aqua.
Nemo potest dominis simul inservire duobus.
    Nemo potest vultus semper habere pares.

---

[33] cf. Horat. sat. I. 1. init. forre *6.* [34] cf. Propert. IV. 9, (III. 7,) 2. [35] ☞ *adposuit 7.* In ex. Monach. quidam, non Weislingerus, cuius exemplum huius Neminis ipse possideo, adscripsit 'Diabole'. Ceterum hos versus 35. 36. paucos post annos Huttenus post ea quæ scripserat ipse, scribere non potuisset. [37] cf. Luc. X. 29. ἐπεὶ δὲ φιλαυτοὶ πάντες. Arist. rhet. II. 'Suo enim quisque studio maxime ducitur'. Piso ap. Cic. de fin. V. 2, 5. [39] numerat] cf. Ierem. XXXIII. 22. [41] Matth. VI. 24. Luc. XVI. 13. [42] expetit illud, habet. *edd. præter 16.* expedit *14. 20. 23. 25. et sic sensum etiam Germanice corrupit 25.* [43] „Nihil est ab omni Parte beatum". Hor. od. II. 17, 27. ex] ab *25.* [45] omneis *2. 17.* [46] „Niemand setzet den Rhein über die Völker zum Herrn". *sic Münchius,* cum Rheni gentibus (i. e. Francis) a nemine iugum inpositum esse glorietur auctor, de Nemine prædicans quod a Multis factum est. [47] cf. dialogum Misaulum s. Aulam. [48] Sontica] moribus bonis noxia. [49] ☞ *7.* dominata *21.* [50] Cf. Hutteni epistolam Italiæ ficticiam. [51] cf. Orationem de bello Turcis inferendo.

[24] solet] potest *6.*

Nemo errore vacat; Nemo sibi cavit ubique,
Nemo placet cunctis invidiaque caret:
Nemo quæ placeant stupido facit omnia vulgo.
Nemo refert studiis præmia digna bonis.
Nemo voluptatem nullis languoribus explet.
Nemo renascentem sedat avaritiam.
Nemo est in terris Germano Cæsare maior.
Nemo deum pariter divitiasque colit.
Nemo vagam stabili fortunam temperat orbe,
Nemo gravi casus sub ratione leves.
Nemo quas congessit opes secum auferet istuc,
Mortuus unde semel Nemo redire potest.
Nemo maris guttas numerumque recenset arenæ;
Nemo dat æstivis nomina pulveribus.
Vertere Nemo vices, infectum reddere factum,
Nemo potest lapsos huc revocare dies.
Et quæ præterea numero foret edere longum,
Quid valeat Nemo, Nemo referre potest.
Una meum censet leve turba domestica numen
Servorumque cohors et puerile genus:
Horum est in famam tam prona calumnia nostram,
Ut nihil exoptent quam mihi obesse prius.

Nemo maris guttas, numerumque recenset arenæ,
Nemo dat æstivis nomina pulveribus.
Nemo potest etiam infectum *bene* reddere factum;
Nemo potest lapsos huc revocare dies.
Hæc ego cum teneam, cum sim super omnia solus,
Multa tamen de me non bene vulgus ait.
Urget continuo me turba domestica *bello,*
Ut cava summotis terra feritur aquis.

---

[55] Errare humanum. Senec. decl. 4, 3. [58] „Probitas laudatur et alget". Iuven. sat. I. 74. [59] „Hæc deambulatio me ad languorem dedit". Terent. Heaut. IV. 6, 3. [60] auariciam *1.* auariticam. *20.* [61] Sic docebatur, ut de duobus gladiis, diu, verum, si umquam, non diu fuit. [62] Matth. VI. 24. Luc. XVI. 13. [63] Ut de Occasione Auson. epigr. 12. „Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo". [64] leves] levat. *16.* [65] cf. Iob. I. 21. Hor. Od. II. 14, 21. sqq. „Linquenda tellus et domus et placens Uxor, neque harum quas colis arborum Te, præter invisas cupressos, Ulla brevem dominum sequetur". [67] numerosq.] cf. Ierem. XXXIII. 22. [69] cf. Plaut. Amph. III. 2, 3. „Ea quæ sunt facta infecta refert". [70] 'O mihi præteritos referat si Iuppiter annos!' Verg. Aen. VIII. 560. [71] ædere *7.10.14.16.* [72] Horuum *14.*

[29] harene *2.B.* arene *3.* [30] estiuis *2.B.* [31] eciam *1.B.* bene *omis. 2.5.6.A.* [33] Hæc] Nec *1.* C Hec *2.* Hec *3.B.* Hæc egenum teneam *4.6.* quum *5. bis.* [34] tamen] tandem *4.6.* ait *1.B. ceteri omnes* agit.

Nil moror hæc ὀλίγος τε καὶ οὐτιδανὸς καὶ ἄκικυς,
    Opprobrio infœlix ulteriore petor,
Atque ubi peccarunt, neque enim peccasse fatentur,
    Transponunt labes in mea terga suas:
Quicquid ab his culpæ, quisquis committitur error,
    Si quæras quis agat, omnia Nemo facit:
Amissum est aliquid, Nemo abstulit; excidit aurum,
    Nemo habet: at nullas Nemo cupiscit opes.
Quid quod fraude mihi gravidam obtrusere ministram
    Tot famuli, quanquam haud tacta sit illa mihi,
Quærendus puero pater est, Nemo obtigit; at tu,
    Si me audis, alium, stulta, require patrem.
Ecce infracta iacent hesterno vasa tumultu,
    Olla, lebes, patinæ vitreolusque calix
Et variæ signis phialæ Samiumque toreuma,
    Et carum infausti cupula pignus heri,
Oenophorumque capax et aduncæ cantharus ansæ,
    Sympiniumque ingens Herculeusque scyphus;
Fracta iacet lampas, iacet unguentaria pixis,
    Quæque gravis gelidas urna ministrat aquas;

Ecce infracta iacent hesterno vasa tumultu,
    Olla, lebes, patinæ vitriolusque calix,
Et variæ signis phialæ Sami*ique cululli*,
    Et carum *absentis* cupula *munus* heri.
Oenophorumque capax, et aduncæ cantharus ansæ,
    Simpimiumque ingens Herculeusque sciphus.
Fracta iacet lampas, iacet unguentaria pixis,
    Quæque *levis* gelidas urna ministrat aquas.

---

77 ὀντιδανὸς *25.* ἄκικις *edd. præter 21.* ὀλ. κτλ.] nequam nullusque, caducus et impos. Ita de Ulixe Cyclops ap. Hom. Odyss. IX. 515. 78 Opprbrio *1.* Opproprio *3.* infelix *6. 7. 10. 14. 16. 21. 23. 25.* 79 nec *25.* 81 Quidquid *6.* 82 quæris *3.* 84 cupiscit] *sibi finxit poeta.* concupiscit *usitatum.* concupiscit *6.* 86 quamquam *20.* ? *post* mihi *edd.* 89 infarcta *21.* 90 labes *1.* Similiter *Verg.* Cop. 7. „Sunt obbæ, calices, cyathi ..." vitriolusque *20.* 92 carum] earum *16.* 93 Ceuophorumqȝ *3.* ad uncæ *21.* 94 Sympiviumqȝ *16.* Sympuuiumque *20.* 97 fragiles *16. 20. 25.* 98 Ac *2. 17.* Ad *21.* coquus *6.* læſit *6.*

38 patine *1...4. B.* vitreolusque *5.* 39 uarie *2.* pharie *B.* phiale, *1. 3. 4. B.* phiale Saniiqȝ *2.* Cullulli *B.* 40 charum *A.* cuppa *A.* 41 adunca cantharus ansa *A.* ad unce canthar9 anſe *A.* 42 Sympiniumque *5. (ex Nemine II.)* Varie scribitur 'sym[*s.* sim]pinium, simpuvium, sympubium. Cf. Orell. ad Arnob. IV. 31. VII. 29. *Huttenus scripserit* Simpuuiumque. cyphus *A.* scyphus. *5. 6.* 43 Fracta iacent *3. 4.* iacet *B.* ungentaria *2.* pyxis, *5, 6.* 44 Quéqȝ *1. 3. 4.* leves *4. 6.* miniſtat *4.* aquis. *4. 6*

Sustulit hæc eadem fragileis insania testas,
At cocus ad solidum læsit ahena focum,
Læsit et eversos tripodas tenueisque quadrantes,
Neglectusque suo follis in igne perit;
Abiectumque alio pistillum, abacique revulsi,
Nec relocata suis stannea vasa locis,
Et quærenda diu ruptis cochlearia thecis
Fuscinaque, et cæcæ cura lucerna viæ;
Decidit excussa ferrata sagitta pharetra.
Ante suos manant vina refusa cados;
Hinc cyathi tinæque graves et aquatilis obba,
Illinc Hetrusco seria amata Numæ;
Tympana rupta iacent, iacet amphora, nec tenet apte
Pulverulenta suos bibliotheca libros.
Cum sparsos hinc inde colum fusosque viderem,
'Hæc etiam' dixi 'culpa futura mea est'.
Vos quoque, culter, acus, radii, subtegmina, forfex,
Turpiter irata sparsa iacetis hera;

Sustulit hæc *etiam* fragiles insania testas,
At cocus ad solidum læsit ahena focum.
Læsit et eversos tripodas tenuisque quadrantes,
Neglectusque suo follis in igne *iacet.*
Dimissumque alibi pistillum, abacique revulsi,
Et relocanda suis stannea vasa locis;
Et quærenda diu *fractis* coclearia thecis,
Fuscinaque et cæcæ *danda* lucerna viæ.
Decidit excussa ferrata sagitta pharetra,
Et stant ante suum vina refusa *cadum.*
Hinc *cacabi*, tinæque graves et aquatilis obba,
Illinc Hetrusco seria amata Numæ.
Rupta canistra iacent; iacet amphora, nec tenet apte
Pulverulenta suos bibliotheca libros.

---

[96] fragiles *16.20.25.* [98] Ac *2.17.* Ad *21.* coquus *6.* læfit *6.* [99] eripodas *16.* tennesque *3.16.20.21.* [101] postillum *20. (sed* o *in ex. m. erasum.)* [104] cœcę *3.* cœcæ *1.21.23.* cœeœ *25.* cara *21.* [105] faretra *16.* [108] Seria in Palladio, penetrali ædis Vestæ, sacra fuit (cf. Lamprid. Heliogab. 6.), Numam autem Vestæ sacra condidisse traditum est. sceria *20.* [110] bybliotheca *3.21.* [113] subtegmnia *1.* subtegminia *6.* radii subtegmina, *20.* [114] Tupiter *6.*

[45] hec eciam *1.* hic eciam *B.* hec 2. hec *3.* [46] coquus *A.* ſolidūm *1.* leſit *1.3.B.* [47] Leſit *2.B.* tennesque *A.5.6.* [48] suo] ſilo *2.A.* [49] re^F^ulſi. *1.* reſulſi *2...4.B.* [51] querenda *1...4.* cochlearia *5.6.* [52] Fuſcinóqꝫ *1.3.4.B.* ςece *2.* thēce *B.* vie *2.B.* [53] pharetr *3.* [54] vadum *6.*(!) [55] tineqꝫ *B.* et *omis. 4.* aquatiles 2. [56] Etrusco *6.* Nume *2.B.* [58] libros] ſuos *B.*

Ebria securis domini petulantia servis
Nil curare domum suadet opesque domus;
Quos petulans inter prostrato ancilla pudore
Nonnihil in rerum perditione facit:
Ipsa penum struit et patinas inducit opimas,
Quæque sibi sollers multa reservat herus;
Vina dehinc promit, dehinc rarum quicquid ad usum est.
Arte cibi varium docta parare genus;
Eruitur simili tucetum nobile furto,
Crassaque furtivo sumina tosta foco;
Hic bibitur totas mensura æquante lagenas,
Lætaturque meo libera turba malo,
Et varia exequitur sub multam gaudia noctem,
Gaudia non uno perniciosa modo;
Multa refringuntur, titubanti cum pede servus
Post epulas et post pocula strata petit;
Pressit in ollatum gravidum caput ille caminum,
Nec cubitum lapsi pulsa fenestra tulit;

Ebria *securos* domini petulancia *servos*
Multa facit vacua damna referre domo.
Quos petulans inter *neglecto* ancilla *labore*
Non nihil in rerum perdicione facit.
Ipsa penum struit, et patinas inducit opimas,
Quæque sibi sollers *vina* reservat herus.
Ova dehinc promit *tepido frigenda butiro*,
Arte cibi varium docta parare genus.
Quærit in abstrusis tucetum nobile *cellis*,
Crassaque *vicino* sumina tosta foco,
Hic bibitur totas mensura æquante lagenas,
Lætaturque *operis nescia* turba *sui.*
Et varia *exercet* sub multam gaudia noctem,
Gaudia non uno perniciosa modo.
Multa refringuntur, titubanti cum pede servus
Post epulas et post pocula strata petit;
Misit in ollatum *titubancia membra* caminum,
Nec cubitum *instantis pressa* fenestra tulit.

---

117 aucilla *23.* 120 tibi *3.21.* sólers *6.16.25.* 121 quidquid *6.20.* 122 cibi] tibi *25.* vartum *23.* 125 Gaudio *20.* 129 refringuntr, *10.* 131 oblatum *20.* ollatum] i. e. super quem ollæ dispositæ sunt.

59 Aebria *1.3.4.* petulantia *2...6.* 60 vacue *2.B.* domos? *4.* domos. *6.* 62 nihil] mihi *4.6.* nichil *B.* perditione *2...6.* 64 Quíqȝ *1.* Queqȝ *2.3.B.* ſolers *2.A.B.6.* 65 Ova] Qua *5.* fugiēda *B.* butyro *2...6.* 66 cibi] tibi *6.* 67 Querit *1...4.B.* 68 phoco *2.* 69 equante *2.B.* 70 Letaturqȝ *2.B.* opis (*pro* opis) 2. 71 nocttem *1.* 72 vua *5.* 75 oblatum *omnes.* titubantia *2...4.B.*

Semireclusa canis subiit cellaria et illic
    Quod superest avido devorat ore cibi;
Hæc quoque deposito venit fortuna canistro
    Et quæ præterea diruta multa iacent.
Ipse domum tandem rediens herus anxius ambit
    Discere vastatæ singula damna domus:
Quo seriem quærente mali tegor indice primo
    Efficiorque omnis criminis autor ego;
Criminis autor ego: quid enim quis dicere posset
    Confestim brevius quam 'mala Nemo facit'?
Quis ego pro meritis etiam benefacta rependo,
    Illorum subiens corpore quodquod onus;
Et si quid mandavit herus, curæ atque laboris
    Ni faciam infœlix omnia, Nemo facit:
Nemo curat equos; Nemo huc discursat et illuc,
    Pro domino Nemo est anxius atque domo.
In me tuta fides; audet committere lecto
    Neminis uxorem qui cupit esse probam.
Non tamen est mirum quenquam hos invadere mores,
    Non adeo exemplo, qui facit ista, caret.
Multa licent multis, postquam semel hostis Ulysses
    Supposuit sceleri nomina nostra suo.

Semireclusa canis subiit cellaria, et illic
    Quod superest *rapido* devorat ore cibi.
Hæc quoque *neglecto* venit fortuna canistro,
    Et quæ præterea diruta multa iacent.
Ipse domum tandem rediens herus anxius ambit,
    Et cupit in damnis singula nosse suis.
Dum quærit, *dum nosse cupit*, *Nemo omnia fecit*,
    Efficiorque omnis criminis autor ego.
Criminis autor ego, *sed* enim *nec lumine fungor*,
    Pendet et occlusis sera reposta labris:
Nil manibus, *nil aure gero*, *manuumque pedumque*
    Impediunt vetitas pendula vincla vices.
Quod si Nemo vocor, *nec sum qui vivere possum*,
    Quique nihil valeam fingere quique loqui,

---

[133] Semiseclusa *10.14.16.20.23.* cellarla *6.* [138] damma *6.* [139] tegor] i. e. obruor. [140] author *2.17.* auctor *20.* [141] author *2.17.* auctor *20.* [143] Queis *16.* [146] infelix *6.7.10.14.16.20.23.25.* [147] hunc *3.* [151] quemquam *16.17.20.25.* [153] Vlisses *3.* [154] *Οὖτις ἐμοί γ' ὄνομα· Οὖτιν δέ με κικλήσκουσιν* (Nemo ego vocor, Neminemque me adpellant). Hom. Od. IX. 366.

[79] Hæc] Nec *1.* Hec *2.4.B.* [80] que preterea *2.* que *4.* iacens: *4.* jacens. *6.* [83] querit *1...4.* [84] auctor *2.5.* author *A.* [85] auctor *2.5.* author *A.* [86] De claustro Neminis ori obiecto cf. supra præf. p. 108. [87] aure] ante ***B.*** [90] nichil ***B.***

At tu si dederis veniam mihi, candide lector,
Quod fuerit nimium fabula longa, Vale!

Οὔτις ἔλεγεν. Nemo dicebat.

Aut si quid vivo, qui nil faciamque loquarque,
Quid queritur nostras impia turba manus?
At tu, *cui tua res, cui turba domestica curæ est,*
Si sapis, ad monitus pectora verte meos.
Inspice quos foveas, quid quisquam faxit in illis,
Sæpe potes tantis liber abire malis.

Diis auspicibus.

AD FABIVM ZONARIVM

CHRYSOPOLITAM STVDIOSISSIMVM ADOLESCENTEM

Hutteni epigramma

ex libris Indice bibliogr. Hutt. num. VII. 1...5. (nam 6. illud omisit) editum est vol. I. p. 27.

---

155 At ſi tu *10. 14.* 157 Ὅυτις ἔλεγε, Nemo dicebat. *7.* Ουτις ἔλεγε. Nemo dicebat. *10. 23.* Οὔτις ἔλεγε. Nemo dicebat. *14.* Οὔτις *17.* *omis. 20. 25.* *In 21. adiectum est:* „(Secundus hic Hutteni Nemo, A. 1518. diversus a priori Hutteni Nemine, qui editus A. 1513. cum Reuchlini Scenicis Progymnasmatibus.)" *i. e. etiam Hardtius primam primi Neminis editionem non noverat.*

91 nichil *B.* 93 cura *1. B.* cure *2.* 94 admonitus *1. 3. 4. 6.* „Si sapis, æstivo recubans te proluę vitro". *Verg.* Cop. 29. 95 foueas *2. 5. B.* *ceteri* uoueas *s.* voveas. 96 Sepe *2. B.* *Pro* Diis auspicibus. *quod etiam A omisit, 2. habet* ℭ Finis.

HVTTENI POEMATVM

PARS SECVNDA.

EXHORTATORIA . EPIGRAMMATA . HEROICA.

RES GERMANICAS VENETAS ROMANAS

SPECTANTIA.

[a. 1511 ... 1519.]

LECTVRIS S.

Post ea quæ ad primam hórum poematum partem a nobis disputata sunt, ad hanc alteram, quam præ ceteris Cæsarianam sive Maximilianam uno vocabulo dicere possis, in universum pauca præmonenda esse videntur (singulares enim præfationes sequentur), et primum quidem de partibus hic receptis, tum de eis quæ prius a nobis edita ex hoc volumine ableganda fuerunt. Partium autem receptarum conplurium duplicem recensionem extare, quod de Nemine post Burckhardum quasi rem valde memorabilem prædicare solent, Eobanus Hessus (nam huic deberi Operum poeticorum anno 1538. publicatam editionem non ambigo) quamvis non ignoraverit, tamen certe penitus neglexit; Gruterus autem cum 'Delitias poetarum Germanorum' colligeret, Hutteni carminibus aliam curam adhibuit nullam quam ut Hessi exemplum, sordidius illud quam ab Hutteni amico ferri possit, nisi sua ipse poemata ab eisdem operis eadem negoti gerendi inscitia exscribi passus esset Eobanus, Francofurtensibus operis repetendum traderet, epigrammatum fere quarta parte ac si non extiterint omissa aut deleta. Münchius denique, quamvis Vindobonense exemplum (Ind. bibliogr. Hutt. num. VI.) ad manus haberet, ut fuit plane admirabilis neglegentiæ homo et inscitiæ securissimæ socordiæque studiosus, si non curasset ut sordidum sordidius transcriberetur, metamorphosin passus diceretur. itaque cum de adhibendo suo exemplo Erphurdiensi (Ind. bibliogr. Hutt. num. XI. 2.) ne Hessus quidem cogitasset, mirum non est a sequacibus id neglectum esse, ut taceam de Corycianis aliisve libris quibus non nulla nostrum exemplum debet. De modo editionis Exhortationis ad Maximilianum et heroici de Germania non degeneri carminis primariæ cum editione retractata auctaque coniungendi non inconsulto statui utramque integram exhibere, ut in edendo Nemine fieri debuit, ita ut utriusque formæ diversitas diversitate typorum adhibitorum sine legentium incommoditate oculorumve offensione perspicua esset: malui enim paucis chartæ foliis et aliquot meis horis quam utilitati et commoditati huius exempli non parcere. Ac similis causa est quæ me movit ut conplura aliorum scripta, orationes et carmina, cum præsertim ad Hutteniana rectius æstimanda egregie facere intellexissem, ipsa autem aut omnino neglecta aut infrequentiora esse vidissem, quantum potui emendata et inlustrata tum Exhortationi tum heroicis contra Venetos carminibus adicerem. nam quod ad totius huius operis rationem meam explicandam primo statim volumini præfatus sum, etiam nunc ut perficerem sedulo studui, id est ut Hutteni scripta ita ederem, ne inter puros historiarum ac litterarum Germanicarum fontes quæ reciperentur per me indigna essent. unde consequens est, quod, siquis celerius hæc volumina percurrerit, mirum videri possit ac nimia licentia factum, haud pauca me recipere quæ non solum Huttenum auctorem non habuerunt, sed nemo dum Hutteno adscripserit: itaque lectores qui diligentius his operibus studium inpenderint, facile multa Huttenica commodius pleniusque quam adnotando effecissem, ipsis illis adiectionibus explicari et adornari viderint: equidem non delicatorum oblectationi sed bonarum litterarum historiarumque studiosorum instructioni hanc editionem destinavi. Contra quæ voluminibus ante hac editis repetita ab hac poematum parte abesse volui pauca poematia, ut supra monuimus, iustum ubi edita sunt invenerunt locum et quem nunc quoque, nisi si sola Hutteni poemata mihi edenda forent, eis darem, singula tamen eo loci memoravi ubi inter omnia carmina conlocanda videantur: de una Epistola Italiæ ficticia cum Hessi responsoria verum non est quod modo dixi, sed de his infra suo loco pleniorem adnotationem feci. Boni consule, lector.

VLRICHI DE HVTTEN
EQVITIS
EXHORTATIO ET CARMINA
AD MAXIMILIANVM CÆSAREM
ALIAQVE ALIORVM QVOQVE
DE REBVS VENETIS ITALIS GERMANIS
ORATIONES ET POEMATIA.

AD LECTOREM.

Hoc animi iuvenilis opus meliora sequentur,
    Tu modo temporibus suffice, Parca minax:
Iam rudis hoc ævi est, crescet crescentibus annis
    Vis illa assiduis usibus alta petens.
Primitias teneri iam nunc lecture poetæ,
    Olim, ita sperandum est, uberiora leges;
Quæ te nunc diffusa umbris defendit ab æstu,
    Quo crevit platanus tempore, virga fuit;
Nil magnum est subito: cuius nunc ista leguntur,
    Quale tibi scribet vir modo factus opus!

℄ SYNCERITER . CITRA POMPAM.

Hoc modestiæ ingenuæque de se spei plenum epigramma Vindobonense exemplum non habet; extat in exemplis XX. 1. (supra picturam tertia abhinc pagina repetitam), L. pag. *F* 1., et Münchiano, tom. I. p. 117.

ADNOTATIO AD SEQVENTEM PAGINAM.

Picturæ e regione repetitæ suprascriptam inscriptionem dedimus ex Vindobonensi exemplari, Indicis bibliogr. Hutten. num. VI. p. 8*. sq. descripto; Augustense exemplum (Indic. bibl. Hutt. num. XX. 1.) hanc habet: 'Ad Cæſarem Maximil. vt bellum in Venetos | cœptum proſequatur. Exhortatorium'; Hessus (Ind. bibl. Hutt. num. L. p. 90*. sq.) pag. E5 dedit 'VLRICHI AB HVT=|TEN EQ.VITIS GERMANI AD IN|uietiſsimum Principem Maximilianum Ro. Impera|torem, ut bellum in Venetos cœptum, proſe|quatur, Exhortatorium'; Hessi editionem secutus est Münchius I. p. 107.

De pictura, ad imitationem exempli XX. 1. quam fieri potuit adcuratissime expressa, cum satis aperte Venetorum oratores pacem ab imperatore Maximiliano supplicantes repræsentet, verba facere non opus est, sed orationem quam ferunt ab Antonio Iustiniano habitam, primum a Guicciardino lib. VIII. Italice publicatam, deinde ab aliis et a Gerardo quoque de Roo (Annalium lib. XII. Oenip. 1592. fol. p. 443. sqq.) Latine repetitam, suppositiciam admodumque dubiæ fidei esse iam diu docuit *Le Bret Staatsgesch. der Republ. Venedig* II. 2. *Buch* 21. *Kap.* III. §§. 1045. *sq.* Guicciardinus his verbis præmissis (ed. Venet. 1738. fol. tom. I. p. 524.) orationem protulit: „*Non mi pare alieno dal nostro proposito, acciochè meglio s'intenda, in quanta consternatione d'animo fusse ridotta quella Repubblica, la quale già più di dugento anni non aveva sentito avversità pari a questa, inserire la propria oratione avuta da lui [Antonio Giustiniano] innanzi a Cesare, trasferendo solamente le parole latine in voci volgari, le quali furono in questo tenore. E' manifesto* et c. Ex ipsa oratione, quæ longior est quam ut ex vulgato libro transcribere liceret, hæc tantum repetam: „*Adunque supplicando in nome del Principe, del Senato, e del popolo Vinitiano, con umile divotione ti preghiamo, supplichiamo, scongiuriamo, degnisi tua Maestà riguardare con gli occhi della misericordia le cose nostre afflitte, e medicarle con salutifero rimedio; abbraccieremo tutte le conditioni della pace, che tu ci darai, tutte le giudicheremo giuste, oneste, conformi all' equità, et alla ragione: ma forse noi siamo degni che da noi medesimi ci tassiamo. Tornino con nostro consenso a te vero, e legitimo Signore, tutte le cose, che i nostri maggiori tolsero al sacro Imperio, et al Ducato d'Austria: alle quale cose, perchè vengano più convenientemente, aggiugniamo tutto quello, che possediamo in Terra ferma; alle ragioni delle quali, in qualunque modo siano acquistate, rinunciamo: pagheremo oltra questo ogni Anno alla Maestà tua, et a' successori legitimi dell' Imperio in perpetuo ducati cinquanta mila: ubbidiremo volontieri a' tuoi comandamenti ..... chiameremo te padre, progenitore, e fondatore della nostra città, scriveremo ne gli Annali, e continuamente a' figliuoli nostri i tuoi meriti grandi racconteremo: nè sarà piccola aggiunta alle tue laudi, che tu sia il primo, a' piedi del quale la Repubblica Veneta supplichevole si prostra in terra, al quale abbassa il collo, il quale onora, riverisce, osserva come un Dio Celeste.* et c. Quæ etiamsi locutus non sit Iustinianus, tamen similia certe ore proferre videntur hi picti oratores, ut fere fidem Guicciardinianæ orationi facere videatur hæc anno 1518. Augustæ Vindelicorum picta tabella.

Hexastichon picturæ subiectum legitur 1) in ipsa fronte exempli VI. (Ind. bibl. Hutt. p. 8*.) sub quinque armorum scutis, quorum medium, quod duo gryphi tenent imperialique corona superinposita augetur, biceipitem imperialem aquilam habet, in reliquis quadratæ tabulæ angulos occupantibus Austriæ, Bohemiæ, Carinthiæ, Silesiæ armorum insignia depicta sunt; 2) ap. Münch. I. p. 110. (*qui v.* 2. Max'milianus *v.* 3. sua [*pro* ſuo] *et v.* 6. Max'miliana *habet.*) Exempla XX. 1. et L. epigramma omiserunt.

AD
DIVVM MAXIMILIANVM
CÆSAREM AVGVSTVM FELICEM PIVM
BELLO IN VENETOS EVNTEM
VLRICHI HVTTENI EQVITIS
EXHORTATIO.



Cæsaris alta viget (superi servate) potestas,
Victrices Aquilas Maxmilianus habet:
Cæsar obest Venetum populo suo crimina sero
Noscenti, et veniam iustior ira negat.
Quidni fortunæ nimium ventisque secundis
Confisos virtus Maxmiliana domet?

AD

CÆSAREM MAXIMILIANVM

VT BELLVM IN VENETOS CŒPTVM PROSEQVATVR EXHORTATORIVM.

Si tua, quam nota est Venetis, clementia, Cæsar,
   Tam perspecta prius cognitaque ira foret,
Non tandem hic saperent genua ad tua voce coacti
   Supplice, tu cassas respueresque preces.
Quam facile adversos sequitur prudentia casus;
   Omnis consilium præbet amara dies:
Triste prius quæ bella decem tulit Ilion annis,
   Dum gaudet, modico tempore ferre nequit:
Omnia cum Venetis pro voto ac nutibus essent,
   Quæ fortuna fuit, non potuere pati;
Nunc postquam clades fortuna invexit acerbas
   Rem desperatum transtulit inque statum,
Deserti atque inopes extrema per omnia currunt,
   Quæque iterum faciant irrita, pacta rogant.

Præfationem huius Exhortationis facit Hutteni ad Imperatorem scripta epistula supra exhibita vol. I. p. 233. n. C. Vadiani litteras eiusdemque et Abhauseri carmina primo exemplo (Indic. bibliograph. Hutt. num. VI.) præmissa dedimus vol. I. pagg. 22...25., Hessi ad Vadianum epistulam vol. I. p. 30. n. XVI.
Numeris ad significandas editiones usus sum hisce: *1.* = Ind. bibl. Hutt. num. VI. quæ sola ab omnibus post Vadianum editoribus neglectam principem editionem Exhortationis continet; nam retractata auctaque est in *2.* = Indic. bibl. Hutt. num. XX. 1., *3.* = Ind. bibl. Hutt. num. XX. 2. sive L., *4.* = Ind. bibl. Hutt. num. XX. 3. sive num. 61., *5.* = Ind. bibl. Hutt. num. XX. 4. sive num. 78. Gruterus et Münchius (*4.* et *5.*) sua ex *3.* a rudibus operis repeti passi sunt.

---

[3] sapert *1.* ad gen.] *cf. picturam.* [8] 'male feriatos Troas et lætam Priami choreis Falleret aulam' *Hor.* od. IV. 6, 14. sqq. *'Freude war in Troias Hallen, Eh die hohe Veste fiel'. Schiller.* Cf. *Hygin.* fab. 108. [11] Clades Venetorum ad *Ghiaradadda* s. *Agnadello* d. 14. Mai. a. 1509. sed non a Germanis sed a Gallis inflicta. [13] Cf. Panegyr. in exc. Alberti Mog. v. 1057. sqq. Anno 1508. Cæsarem, cui nunc supplices bona verba dant, superbius hostiliterque tractaverant. Cf. infra huic carmini subiectam Venetorum orationem cum Maximiliani responso. [14] Sed non Veneti quamvis dominandi libidine nimium sibi sumpserint animum, sed Maximilianus inducias a. 1508. pactas ruperat: Cæsar ligam Cameracensem non fido apertoque animo paravit.

Quis, Veneti, furor est, ut pacem oretis ab illo,
Cui paulo ante omnes opposuistis opes,
Quem, cum pace frui possetis, in arma vocastis?
An non hoc vestrum est 'Si potes, arma cape'?
Iussistis ferre arma: tulit. commercia pacis
Atque omnis veniæ sustulit illa dies.
Desinite ulterius sperare et credere famæ,
Quæ nos clementes, quæ facilesque vocat:
Tunc manibus decuit veniam implorare supinis,
Cum stetit intacto Cæsare vestra acies:
Grassati ferro, igne, ruistis in omne periclum;
Tentastis pugnam: pugna sinistra fuit.
Nunc victi, quoniam possunt nihil arma, paratis,
Qua facile est vobis vincere, pacis opem.
Cernimus insidias moniti: ne tendite frustra
Retia, iam nostro cognita sæpe malo:
Fallite inexpertos: vetus est hæc captio: vestrum
Qui potis est nec vult vincere, fœdus init.
Detur ab insidiis tamen hoc procul esse dolisque,
Et servare datam vos didicisse fidem,
Culpa tamen maior, quam cui quis parcere possit,
Vestra est, et seram vertitur in veniam:
Non est consilium, quod quis re iam male gesta
Repperit; in facto qui sapit, ille sapit.
Poscitis amotis in pace quiescere castris,
Vosque prius moniti non voluistis idem:
Desinite inniti veniæ; Tu, maxime Cæsar,
Tam cupide Venetis arma rogata cape;
Quod petiere, ferant; quoniamque occasio præsens
Versatur, magnæ præmia laudis adi.
Quod nisi contineat tua te clementia retro,
Ullaque susceptum causa moretur opus,
Actum est de Venetis: te, Maxmiliane, sequetur
Splendidior priscis gloria Cæsaribus.
At tibi si nondum causæ satis esse videtur
In bellum tantæ laudis amore trahi,

---

[18] infra v. 736. cf. *Verg.* Aen. XI. 590. [26] Pugnæ Liviani in Cadubrinis montibus et in Foroiuliensi contra Cæsarianos satis secundæ fuerant; sinistram Venetis pugnam ad Abduam Galli pugnaverunt. [27] i. e. quoniam armis nihil potestis. [29] Cf. Verg. Aen. VI. 620. [31] captio. v. *1.* captio v. *2. 3. falso.* (i. e. vestrum fœdus ineat qui cum vincere possit, nolit: nos non inimus.) [36] veniam] veniæ precationem. [38] in f.] in faciendo, in ipso opere. [47] Maximiliane *3. et 4.5.*

Si, cur arma geras, nulla est tibi gloria tanti,
Ut tueare tamen libera iura tuum est:
Vis Italas urbes, magnæ vis mœnia Romæ
Visere et in veteri quæ tua sunt Latio;
Contra audet Venetus conatu exercitus omni
Tendere et a cœpta te prohibere via;
Idem multa tibi rapuit centumque per annos
In spoliis Veneti consenuere tuis,
Qui te sponte sua petiere ultroque lacessunt,
Qui tibi, multa tuo qui rapuere patri,
Quique tibi primi bellum indixere volentes:
Quid sinis impunes exeruisse manus?
Posce tuos, coeant populi, ferat arma iuventus,
Quæ nunc insolita lenta quiete sedet!

AD SERENISSIMVM INVICTISSIMVMQVE DOMINVM MAXIMILIANVM AVGVSTVM BELLO IN VENETOS EVNTEM VLRICI HVTTENI EQVITIS EXHORTATIO.

Bella parant gentes, toto violentus in orbe
Mars furit et segnes cogit in arma duces;
Arma viris redeunt longos intacta per annos,
Horrida Germano Pallas in orbe fremit.
Rupta quies populis, animos ferus excitat horror,
Omnibus est diri sanguinis una sitis.
Contrahit hos motus positisque resurgit in armis
Et belli causam Maximilianus habet.
Huic Venetum proceres, si non me fama fefellit,
Iniusti ardentes opposuere animos.
Qui *te in bella vocant, qui sævo Marte morantur,* (61)
Quid sinis *effrenes* exeruisse manus?
Posce tuos, *pete, Cæsar, opem*, ferat arma iuventus,
Quæ nunc *ignava est facta* quiete *gravis*; (64)

---

[53] Cæsari, cum a. 1507. exeunte ad coronam Romæ accipiendam a Veronensibus se cum 4000 equitibus recipi postulasset, Veneti responderunt maximo se eum cum honore recepturos esse, si nulla alia ratione quam coronæ accipiendæ causa veniret; aliam autem eius mentem esse sese suspicari, cum apparatum bellicum ad Lombardiæ fines adduxisset. *Guicciard.* VII. *Bemb.* VII. *a Roo* XII. Eadem infra redeunt v. 241. sq. 735. sq. [56] Tridentum venerat Maximilianus d. 3. Febr. a. 1508. [57] Bellis cum Sigismundo imp. a. 1408. 1416. aliisque recentioribus in Lombardia feliciter, imprimis autem a. 1486. cum Sigismundo duce Maximiliani avunculo a. 1486. gestis. [60] patri] Friderico III. a. 1440. 1447. 1449. *etc.*

[13] Pofce *1.*

Adde animos causæ, ne te commorit inultum,
Cui nunc maiestas sordida facta tua est;
Cui nunc, quod patriis es tarde viribus usus,
Germanum visum est degenerasse decus.
Quid quod in arma vocant et te petiere priores?
Ah pudet a Venetis quemlibet ista pati.
Sed quibus a Venetis? a piscatoribus illis,
Mœnia in Euganeo qui posuere freto:
Nam qui nunc terras lata dicione gubernant,
A quibus hoc ipsum nunc mare nomen habet,
Et qui Germanas ausi contemnere vires,
In te præcipiti turbine, Cæsar, eunt,
Hos aliquis scabram piscatum ducere cymbam
Vidit et Adriacum lintre secare vadum.
Ipsum etiam, tantæ urbis opus, cultissima rerum
Mœnia et in medio consita regna mari,
Ductaque marmoreis ingentia tecta columnis,
Tecta vel auratis splendida culminibus,
Quæque super nihil est humano nobile luxu,
Si quæras 'unde est?' una rapina fuit.
Prima quidem genti Phrygio de sanguine origo
Atque Antenoreis prodiit a Venetis;

Adde animos causæ, *nec* te commorit inultum
Cui nunc maiestas sordida facta tua est,
Cui nunc, quod patriis es tarde viribus usus,
Germanum visum est degenerasse decus. (68)
Quid quod in arma vocant et te petiere priores?
Ah *pudor est Patavum non adiisse nephas:* (70)
Nam qui nunc terras lata ditione gubernant, (73)
A quibus hoc ipsum nunc mare nomen habet,
Et qui German*os* ausi *tentare furores*,
In te præcipiti turbine, Cæsar, eunt, (76)
Hos aliquis *Patavam* piscatum ducere cymbam
Vidit et Adriacum lintre secare *fretum.*
Ipsum etiam, tantæ urbis opus, cultissima rerum
Mœnia et in medio consita regna mari, (80)
Ductaque marmoreis ingentia tecta columnis,
Tecta vel auratis splendida culminibus,
Quæque super nihil est humano nobile luxu,
Si quæras 'unde est?' *sola* rapina fuit. (84)

---

[71] Cf. heroica de piscatura Venet. et Marc. [72] Euganeo freto] sinu Veneto.
[85] Cf. heroica citt.

[20] Patavium ab Andrea Gritto captum expugnatumque recuperaturus frustra oppugnat Cæsaris exercitus cum sociis a. 1509. [24] precipiti *l.*

Sed quam turpe scelus nativis expulit oris,
    Ut procul a terris has habitaret aquas,
Cum quibus exulibus nihil acrior addita virtus,
    Quodquod in immenso dedecus orbe fuit.
Prima viris tenuem piscatu quærere victum
    Ars erat et magno parva labore sequi:
Crevit opus, crevit fortuna adigente potestas:
    Et primo lucrum iustius illud erat.
Post ubi se manus hæc opibus firmavit ademptis,
    Paulatim accessu est facta superba novo:
Huc, quibus innocui lucro fuit ara cruoris,
    Et quibus ad cædem prompta nocensque manus,
Accedunt, patriaque sua privata iuventus
    Aut aliquo saltem nubila facta modo,
Et quibus auxerunt tenueis periuria census,
    Et quibus hæc novitas spemque animosque dedit,
Quosque frequens cumulus alieni propulit æris,
    Et siquis patrias dilapidasset opes,
Et cupide repetita quibus fuit alea damno
    Consciaque in quodvis mens sibi facta nefas:
Hi iuncti Venetis ubi piscatoribus essent,
    Erexere novos arma virique duces:

Crevit opus, crevit fortuna adigente potestas, (93)
    Et primo lucrum iustius illud erat.
Post, ubi se manus hæc opibus firmavit ademptis,
    Paulatim accessu est facta superba novo: (96)
Huc, quibus innocui lucro fuit ara cruoris,
    Et quibus ad cædem prompta nocensque manus, (98)
Et *quorum aucta diu sua per* periuria *res est*, (101)
    Et quibus hæc novitas spemque anim*um*que dedit, (102)
Accedunt, patriaque sua privata iuventus [99]
    Aut aliquo saltem nubila facta modo, [100]
Quosque frequens cumulus alieni *presserat* æris, (103)
    Resque fuit luxu dilapidata malo, (104)
Quos fecit tenues infausto tessera iactu (105)
    Consciaque in quodvis mens sibi facta nefas: (106)
Hi iuncti Venetis ubi piscatoribus essent (107)
    (*Vera cano veteres nota per historias*),

---

87 scelus] Gotthicæ Hunnicæque inruptiones Aquileienses, Patavinos, alios circumiacentium oppidorum incolas ut in 'lagunarum' insulis domus sibi facerent, conpulerunt. 99 exsilio puniti. 100 nubila facta] calamitosi, tristes. *Ita* sereno Nubila *opponit* Ovid. Trist. I. 1, 39. sq. *cf. vulgatam sententiam* ibid. 9, 6. ,,Donec eris felix, multos numerabis amicos; Tempora si fuerint nubila, solus eris''.

45 fœcit *1.*

Decretum est propere furtivas ponere sedes
Et contra ultrices tecta locare manus:
Ergo sibi in medio statuunt nova mœnia ponto,
Mœnia ab incursu salva futura levi.
Tunc occulta prius late grassata rapina est,
Iamque palam gens est viribus ausa suis.
Qualis ad aspectum primi gregis omnibus agris
Aut lupus aut rabidus perfurit ore leo,
Quem vesana fames ieiuni ventris adegit
In patula e tutis ire pericla locis:
Cauta legit primum pavido vestigia gressu,
Vitat et oppositas callidus insidias;
Dehinc ubi tuta fugæ prospexit, apertius audet
Grassari, medium prosilit inque pecus:
Non quisquam auxilio propere subit, impete primo
Pastorem et timidos terruit ille canes:
Haud secus ausa novi furibunda libido Senatus
Incubuit terris incubuitque mari.
Conventum ad prædam, rapitur terraque marique
Quicquid in occursum se dederat Venetis.
Primum ibi finitimi subitos sensere latrones;
Paulatim a patria est sumpta rapina procul:
Protulit inscenso classem levis aura Timavo
Atque aliam inscenso protulit aura Pado;

Tunc occulta prius late grassata rapina est, [113]
Deinde palam gens est viribus ausa suis [114]
Ad *Mutinæ campos magnamque* Antenoris urbem, [141]
Ad Capuam et fines, bellice Volsce, tuos,
Et Lunæ ad portum quaque est Campania dives
Germanasque Alpes Illyricosque sinus:
Hos tulit incursus Athesis, nec Ariminum ad ipsum [146]
Àbfuit, et muros, alta Ravenna, *tuos;* [148]
Omniaque ut terras late populata per istas
Est satis ex raptu facta opulenta suo,
Decretum est propere furtivas ponere sedes (109)
Et contra ultrices tecta locare manus. (110)
Forte fuere Italas hac tempestate per urbes
Bella et vicinis nulla quies populis:
Ergo sibi in medio *ponit* nova mœnia ponto, (111)
Mœnia ab incursu salva futura levi: (112)

---

115 Cf. Verg. Aen. IX. 337. sqq. 125 non solum 'habendi sæva libido'. *ad Pison.* 208. 131 Timavo *hodieque.* qui „per ora novem vasto cum murmure montis It proruptum et pelago premit arva sonanti". *Verg.* Aen. I. 245. sq.

Hinc sparso Illyricos vastavit milite campos,
    Viribus his Italas Adria fregit opes.
Quæ tamen oblata est civili occasio bello,
    Quod primum ancipitem perdidit Italiam:
Pars decepta dolis consensit in hospite, frustra
    Pars est pro patria nisa suisque mori;
Quos ita diversos Veneti oppressere ruentes,
    Quique hostis temere creditus hospes erat:
Ad Patavi muros, antiquam Antenoris urbem,
    Fulserunt Marco splendida signa suo;
Capta urbs est, gentis caput, extinctumque vetustum
    Est Veneti generis nomen ab urbe nova.
Successit Verona potens quæque oppida circum
    Belligeri ripas murum habuere Athesis.
Tunc etiam, longo sed forsitan intervallo,
    Acta est ad dominos ampla Ravenna novos;
Mantua tentata est, subiit Vicentia bello,
    Submisit lentum Brixia pulchra caput;
Nulla quidem antiquam cinxerunt castra Cremonam,
    Sed misere cives deseruere sui;
His nondum contacta dedit se Crema procellis;
    Inde Placentinos hostis obivit agros;
Frustra aries spissos Mutinæ convellere muros
    Conatus, frustra Felsineosque fuit;
Imola tunc monita est, allecta Faventia, sensit
    Parma dolos, structas fortis ad insidias;

Et quia de variis gens huc advenerat oris,
    Hoc sibi cum Venetum nomine nomen habet.

---

[141] Antenorea. *Serv.* ad Verg. Aen. I. 247. ,,Patavium .. dictum vel a Padi vicinitate, quasi Padavium, vel ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, quod captato augurio dicitur condita, vel quod avem telo petisse dicitur Antenor et eo loco condidisse civitatem". [143] Capta a. 1405. [144] Non urbis Patavinorum sed populi nomen in Venetorum transiit. [145] a. 1405. [148] Ravenna Venetis se dedit a. 1441. qui Ostasium Polentanum misere deceptum in exilium miserunt. [149] Mantua] a. 1484., Vicetia iam a. 1404. Venetianis sese dedit. [150] Brixiam Carmaniolensis cepit a. 1426. Iterum a. 1512. Veneti intrarunt sibi proditam, sed non optinuerunt. ,,Tempore diverso" res gestas in sqq. memorat auctor, etiam ad eas respicere videtur quæ cum primum hoc exhortatorium carmen ederetur, gestæ nondum fuerant. [152] Item a Carmaniolensi victa. [153] Crema] a. 1449. [154] Placentiam etiam Carmaniola expugnavit. [155] Sequentia ad bellum cum Hercule Ferrariensi gestum a. 1482. sqq. rettulerim. [156] Felsineos] Bononiæ.

[66] Non dicit Venetum nomen a veniendo esse. Cf. superiorem v. 144.

Hæc Calabras urbeis arma, hæc adiere Sicanas,
    Corneliumque forum Flaminiamque viam;
Quo Mediolanum, quo tota Insubria bello,
    Ut poterant, nullas opposuere manus.
Tempore diverso res has gessere, nec uno
    Momento tanti vim peperere mali.
Forsitan historiæ quisquam feret ordine scriptor:
    Nos ut se memori quæque dedere animo.
Inde Tridentinos perdit Germania montes,
    Quique omnes habitant montibus his populos;
Abstulit Illyricos idem impetus, abstulit Istros,
    Seque dedit verso marte Liburnus ager.
Quanta esset, potuere pati Cretensia classem
    Arma, sed Adriacos non potuere dolos;
Victa dolis Crete multas secum abstulit urbes,
    Inque illo posita est insula siqua mari;
Thracia tunc partem, tunc partem Græcia perdit,
    Insidias recte fertque videtque Rhodus.
At tu, vicinis frustra monefacte periclis,
    Rex Cypri, Veneto credis habesque fidem,
Infœlix gener, et monitus frustrate paternos,
    Ne quicquam temere fraude petitus agas,
Ergo atrum bibis exitium mixtoque veneno
    Præmia sunt Venetis regia facta Cyprus.

Deinde suam placuit paulatim extendere famam,
    Resque hæc tractatis mercibus aucta fuit.

---

[159] Sycanas *edd.* Refert ad fœdera bellaque cum Ferdinando I. maxime inter a. 1480...1492. gesta. [160] Cornelium forum est 'monita Imola'. („Und nach Forli" Münch.) Flamminiamq; *2.* Flammineâmq; *3...5.* C. Flaminius devictis Liguribus Flaminiam viam stravit a Roma per Etruriam et Umbriam usque ad Ariminum. *Strab.* V. p. 217. [161] Insubria] ipsa Mediolanensis terra est. [167] perdidit] cum a. 1508. post clades Cadubrienses Cæsariani terga verterent. [168] Alviani s. Liviani, Contareni et Cornarii res a. 1508. gestæ. [170] Verso *3...5.* Liburnus ager] non „der Livorner Gebiet" (sic Münch.), sed der Liburner (Croaten) Gebiet. Flumen *(Fiume)* a. 1508. captum Maximilianoque restitutum Angelus Trivisanus sequenti anno cepit diripuitque. Veliam insulam Veneti iam a. 1479. ceperant. [171] Cretensia arma postquam a. 1204. a. Byzantinis insulam emerant Veneti, sæpe excitata sunt. Turcæ ceperunt a. 1669. [174] mari] i. e. Archipelago, Cycladibus et Carpathico mari. [175] tunc] i. e. capta a Gallis Venetisque Constantinopoli a. 1204. [176] Rhodus capta tandem a Turcis a. 1522. [178] Rex Cypri] Iacobus ille, Cornaræ maritus, quo cum filio veneno extincto a. 1473. Cyprum uxori ademerunt Veneti a. 1488. cf. infra Heliani orat. §. 12.

Interea virtute sua, miserata ruentem
    Italiam, ultrices Ianua cogit opes:
Sævit eques terris, Tyrrhenum possidet æquor
    Miles, et instratas classis obumbrat aquas;
Succumbunt Veneti, mandata stipendia pendunt:
    Sic illos vinci Ianua posse docet.
Qualis ubi imbellem leporem damamve trementem
    Fert lupus, aut pavidam de grege tractat ovem,
Dum sedet et pedibus prædam complectitur uncis,
    A tergo celeres audiit ire canes,
Ipse fugit vitæque timet prædamque relinquit,
    Quam bonus elapso salvat ab hoste Crotus:
Talis in Adriacum spectata est Ianua Marcum
    Conatum a patria ferre palude pedem.
His tibi cum Venetis res est; hæc gentis origo,
    Hæc facta, hi mores, hæc scelera, hique doli;
Sic cœpere prius, dehinc accrevere; superbæ
    Hæc series urbis, condicio hicque status,
Ut pudeat, quos ora Ligus, quos Ianua vincit,
    Hos contra invicti Cæsaris ire manum.
I tamen et quoniam rerum hæc fortuna tuarum est,
    Fer modicas laudes exiguumque decus:
Rectius Eoos peterent tua signa tyrannos
    Imperiumque Asiæ Threiciosque duces;
Rectius Aegyptum superasses, pulchrius iret
    Sub iuga Iudæus, sub iuga nostra Syrus:
Nunc cum te in modicos titulos fortuna releget,
    Laus est a media summa adeunda tibi.
Scilicet, ut parvi imbelles vicisse negoci est,
    Tu modo delectu vique fruare tua,
Hostibus Euganeis ita bellum inferre necesse est,
    Ne pariat magnum parva favilla rogum.
Sæpe hæc Cæsaribus posita stetit obice contra,
    Urbs hæc fortunis obstitit una tuis.

---

184 Iam a. 1206. Venetorum cum Genuensibus dissidia bellaque exarserant; hic de rebus sub ducibus Genuensi Dominico Fregoso, Veneto Andrea Contareno a. 1377. sqq. usque ad pacem Taurinensem a. 1381. initam gestis sermo est. 186 Cf. Ter. Maur. 1160.1165. „Pontibus instratis coniunxit litora — —". 194 Crotus Hutteno hic est venator ('studio venationis exerceri' solitus' Hygin. poet. astron. II. 27.), non suus ille amicus *Jäger*. („Crotus, der Redliche" *Münch.*) 197 tibi] Maximiliane. 200 conditio *3.* 205 Eoos tyr.] Turcas. 208 i. e. recuperaretur terra sancta. 214 Offt grosser flam Von fündklin kam. Hutt. vol. II. p. 93. v. 7. sq.

Vendidit hæc Turcis urbes, hæc vendidit arces,
Hæc Bysantinum prodidit imperium.
Quo minus has aquilas Asiæ videantque tremantque,
Quo minus hoc sceptrum mollis adoret Arabs,
Non tu, Turca ferox, nec quisquam ex hostibus autor,
Sed Veneti, nunquam qui tenuere fidem,
Quique, ubi communi voto respublica Christi
In bellum vires contulit unanimes
Pro ritu sacrisque suis vitaque suorum,
Finibus imperii, relligione patrum,
Aut ipsi pro se cessant cœptumque morantur,
Aut perdunt socias proditione animas.
Omnino in Venetas sumenda est ultio fraudes,
Morbidaque hoc pars a corpore habenda procul,
Ac veluti membrum siquod sacer ignis adurat,
Sive lues, cancer, immedicanda vetus,
Accurrunt medici ferro partemque recidunt,
Ne totum tracta defluat illuvie.
Urbs hosti sperata, tuis contraria votis,
Si sinis, Illyricum prodet et Italiam.
Donec enim superant fraus, impostura dolique
Pactaque iuratis insidiosa deis,
Virus et insidiæ, non te sinet esse quietum:
Hoc tu de Venetis scisque feresque diu?
Iam quoque conanti Latium tibi et Itala regna
Visere se mediis opposuere viis:
Aspicis hæc, poterisque pati, Cæsarque vocari?
Quin agis atque orbis te caput esse doces!
At quisquis facit hos contra, diis non facit æquis,
Et cum Fortuna numine bella gerit:
Crevit enim viresque iterum tenet Adria summas
Et se victori surripuit Liguri;
Non ærumnosum piscando quærere victum,
Non ultra laceras anxia habere casas

Non ærumnosum piscatu quærere victum, (249)
Non ultra laceras anxia habere casas

---

[218] Byfantinum *omnes*. Ipse quoque Maximilianus non uno loco Venetis fœdam Constantinopoleos proditionem exprobravit, ut infra legemus. [221] Ferebatur tunc duos in Christianos ferissimos dracones Turcam esse ac Venetum. [231] velut *3...5. falso.* [235] hosti] Turcæ in primis. tuis] Maximiliane. [241 sq.] Cf. supra v. 53. sq. [249] erumnosum *edd.*

Imperiosa mari, fortuna elata secunda,
Et plus quam, brevitas temporis, ista, sinit.
Vince tamen cœptumque armis tantoque paratu
Prosequere hoc bellum, viribus use tuis:
Sæpe quod in summum adscendit multosque per annos
Crevit, in occasum dispulit una dies.
Quod si marte tuo respublica concidet illa,
Quæ res nunc tanto cœpta labore tibi est,
Signa sui clare dabit hic Fortuna favoris,
Quæ siquid voluit, datque rapitque cito:
Vix tria dum Venetum duravit sæcula regnum,
Et tamen hac visum est amplius urbe nihil,
Atque adeo, armarit sua ut hanc petulantia contra
Germanas vires Cæsareumque decus.
Vince, inquam, Cæsar, nec te Fortuna moretur
Terreat aut solos visa sequi Venetos;
Quæ fuit his propior primis favitque sub annis,
Hæc eadem verso cardine tristis erit.
Quid metuis, ne qualis erat sors perstet in illis?
An nescis varias rebus inesse vices?
Si quicquam istarum potuit se extollere rerum,
Illud idem casu temporibusque ruet:

Imperiosa *manu* fortuna elata secunda, (251)
Et plus quam, brevitas temporis, ista, sinit. (252)
Quodsi marte tuo respublica concidet illa, (257)
Quæ res nunc tanto cœpta labore tibi est,
Signa sui clare dabit hic Fortuna favoris,
Quæ, siquid *poterit*, datque rapitque cito: (260)
Vix tria dum Venetum duravit sæcula *nomen*, (261)
Et tamen *hoc aliquis grande putare potest.* (262)
Quæ fuit *iis* propior primis *fortuna* sub annis, (267)
Hæc eadem verso *pollice* tristis erit. (268)
Quid metuis, ne te cœpto Fortuna tenore [265]
Non sinat immensas vincere divitias? [266]
Quid metuis, ne qualis erat sors perstet in illis? (269)
An nescis varias rebus inesse vices?
Si quicquam istarum potuit se extollere rerum,
Illud idem *versa sorte perire potest.* (272)

---

252 Et plus quam ista, br. t. sinit. 261 secula *2...4.* 265 Cæsar post Patavium a Venetis recuperatum cum militibus stipendia solvere non posset, exercitum dimisit, præsidio Veronæ relicto, et cum pontificem Arragoniæque regem ad oppugnandos ipsos Venetos non conmoveret, frustra de induciis cum illis egit.

Inspice tot mundi discrimina et inspice casus:
Omnia nostra vaga mobilitate labant;
Quicquid habent homines rapidum versatur ad axem
Et per inæquales itque reditque rotas.
Ipsa sedens medio radios moderatur ab axe
Fortuna et tantum sedula versat opus;
Stant homines circumque suis data tempora rebus,
Omnia fœmineum flexa sub arbitrium,
Qui modo summus erat vel qui modo proximus illi,
Cum volet hæc, agili pronus ab axe cadet:
Quæ paulo ante, oculis cum te spectaret iniquis,
Iniustas Venetæ sustulit urbis opes,
Crede mihi, ancipitem cum verterit irrita molem,
Hunc rerum integrum non sinet esse statum.
Adde quod et sceleris piget hos veniamque precantur,
Dum, quanta est, patuit numinis ira tui.
Sed quia nulla fides illis, quia pacta resolvunt,
Et quia non unquam fœdere stare solent,
Quamquam pacis emant prætextum et munere captent,
Tu tamen i, cœptis propositumque tene.
Nullus in admisso veniæ locus, undique causa est,
In Venetos clemens cur habeare minus;

Inspice tot mundi discrimina et inspice casus: (273)
Omnia nostra vaga mobilitate *ruunt*;
Quicquid habent homines rapidum versatur ad *orbem*
Et per inæquales itque reditque *vices*. (276)
Ipsa sedens medio radios moderatur ab axe
Fortuna et tantum sedula versat opus;
Stant homines circumque suis data tempore rebus
Omnia fœmineum *subdita ad* arbitrium, (280)
Qui modo summus erat vel qui modo proximus illi,
Cum *velit* hæc, agili pronus ab axe *cadit:*
Quæ paulo ante, oculis cum te spectaret iniquis,
Iniustas Venetæ sustulit urbis opes, (284)
Crede mihi, ancipitem cum verterit *invida* molem,
Hunc rerum integrum non sinet esse statum.
Adde quod et sceleris piget hos veniamque precantur,
Dum, quanta est, patuit numinis ira tui. (288)
Sed quia nulla fides illis, quia pacta resolvunt,
Et *quoniam nunquam* fœdere stare solent,
Quanquam pacis emant prætextum *et fraude retexant*,
Tu tamen i, cœptis propositumque tene: (292)

---

275 Cf. dialog. Fortun. 284 sustulit] auxit, in maius extulit. 292 i] è *3. 4.* e *5.*

Quando odiosa tuæ facta est clementia pacis
    Virtutemque tuam criminis instar habent,
Quando tibi nocuit quod tu prodesse putabas,
    Iam tandem ire tibi, Cæsar, in arma licet:
Sume animos veniamque nega: num parcere fas est
    Qui prior et causa non agitatus obest,
Aut dabis huic veniam, qui, cum requiescere posset,
    Indixit rupto fœdere bella tibi?
Da tamen et misso pacem largire duello,
    Si pax cum Venetis suspicione caret.
Instabilis servare fidem nequit Adria proles:
    Naturam patriis traxit ab æquoribus:
Nemo dat Adriacis, quanquam videt esse serenum,
    Fluctibus inducta navita puppe fidem:
Hoc scit nauta rudis: Venetos tu fœdera credis
    Firmius Euganeo posse tenere freto,
Huicque dabis veniam, qui, si te posset in armis
    Vincere, non pacis congrederetur ope,
Qui crevit fallendo atque hac se muniit arte
    Et qui, quos iurat, non putat esse deos?
Præterea Venetos tibi bellum inferre pudendum est,
    Siquando externis fama dabit populis:
Tu caput es rerum, tibi terræ subdidit orbem
    Partitus geminum Iupiter imperium;
Iupiter est cælo summus, sub Cæsare terra est,
    Hic sibi mortales subiicit, ille deos.
Quantum est a nigris Nabathæis finibus Indis,
    Phœbus ubi rutilum provehit axe diem,

Quando odiosa tuæ facta est clementia pacis (295)
    Virtutesque tuæ '*crimina*' *nomen* habent, (296)
Quando tibi nocuit quod tu prodesse putabas,
    Iam tandem ire tibi, Cæsar, in arma licet:
Sume animos, veniamque nega: num parcere fas est
    Qui prior et causa non agitatus obest? (300)
Tu caput es rerum, tibi *totum* subdidit orbem (317)
    Partitus *regnum* Iuppiter *ipse suum;*
Iuppiter est cœlo summus,' *sed Cæsar in orbe*.
    Hic sibi mortales *subdidit*, ille deos. (320)
Quantum est a nigris Nabathæis finibus Indis, (321)
    Phœbus ubi rutilum *colligit* axe diem,

---

[300] Qui] ei qui. [306] Infidum mare. [314] In epigrammatis similia sæpius. [317] Cf. epigr. 4. ad Max. [318] Iuppiter *3. 4. et sic iterum* v. seq. [111] Summe *1.* [117] 'Eurus ad auroram Nabathæ aque regna recessit'. *Ovid.* met. I. 61.

Ad fines, America, tuos quaque arduus Atlas
Alta pruinosis sydera fert humeris,
Quantum est a gelidis septem regione trionum
Partibus ad pluvio regna subacta Noto,
Quanquam ita non habeas, totum te spectat ad unum;
Quicquid inest terris sub tua sceptra cadit.
Omnia cum tua sint et se tibi debeat orbis,
Cum subsint regno terra fretumque tuo,
Cumque nihil rerum te sit sublimius uno,
Quid pateris cives te violare tuos?
Iam populosa tuam sequitur Germania laudem,
Tu modo quid iubeas, fortiter illa geret;
Non eget admonitu, cupit ire ac sponte laborat
Ulcisci et laudes accumulare tuas:
Sentit enim Venetos plus quam decet esse superbos,
Te plus clementem quam decor iste ferat.
Verum est, nulla salus bello est, pacique studendum,
Eventus dubii cæcaque diva monent:
Hostibus hæc metuenda tuis, si numina cœlo
Sunt, quibus hoc bellum suscipis auspicibus.
Causa bona est: sumptis admissum ulcisceris armis
Dedecus, hi læsis te petiere deis;
Arguit hos scelerum cumulus, tua causa deorum est,
Nec magis hæc nostra est ultio quam superum.
Quæ mora? ducendum est dilatum tempore bellum;
Hic te clementem terminus esse vetat.
Iulius his pacem dedit et socia agmina iunxit
Et tua subducta pacta fefellit ope.

Ad fines, America, tuos, quaque arduus Atlas (323)
Sustinuisse humeris dicitur astra suis, (324)
Quantum est a gelidis septem regione trionum
Gentibus ad pluvio regna *perusta* Noto,
Totum, *Cæsar*, *habes*, totum te spectat ad unum,
Quicquid inest terris, *tu caput unus habes*, (328)

---

323 America] *pæon tertius.* 324 sidera *3...5.* 325 sept. r. tr. *tmesis*, de qua arte versif. v. 412. 339 „Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes". *Verg.* Aen. XI. 362. 344 lefis *2.* 345 Cf. *Lucan.* Phars. I. 128. 349 Iulius PP. II., Ligur, spreta liga Cameracensi ut a. 1509. Maximiliano Venetiam expugnare volenti non consensit, ita a. sequenti Augustam Vindelicorum legatum suum misit, ut is electores principesque ad suas partes traheret, quo factum est ut prius de pace cum Venetis ineunda quam de ferendis imperatori auxiliis decernerent.

119 'Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit.' *Verg.* Aen. IV. 248.

Iunxerit et dederit: sed tu mirabere, fœdus
Qui tenuit nulli, non tenuisse tibi?
Sic tibi fallaces Ligures, sic Ianua nota est,
Italicæque artes Pontificumque fides?
Ducent auxilio Turcas in prœlia: ducant
Quicquid habent Asiæ, Thracia quicquid habet,
Quos Sulthanus opes: una est Germania contra;
Et si tu moveas, sufficit una tibi;
Imperet in populis Asiæ Phrygiasque per urbes
Horrida terribilis sceptra Othomanus agens,
Arma regat Scythiæ, regnet Dacisque Gethisque
Danubiique ferox frenet utrumque latus,
Belligeros Thraces Pontique ferocia regna
Sauromatasque premat Massagethasque truces,
Quaque fremit Pontus Leandri insignis amore,
Cuius complecti milite possit aquas,
Bysantique amplas teneat, quas abstulit, arces,
Regnet in Armenios Cappadocasque suos,
Velocemque Tigrim iuxta Prusamque potentem,
Pamphyliamque omnem dirigat et Lyciam,
Occupet Euxinum, Tanaim et Mæotidos undas,
Qua rigidus crudo marte Gelonus ovat,
Riphæasque arces pulchrumque Borysthenis amnem,
Regnum agat in Medis, per Cilicasque vagos,

Sit licet in Scythiæ populis Dacasque per ipsos [361]
Horrida terribilis sceptra Otomannus agens (360)
Euxinum ad pontum, Tanaim et Mæotid*as* undas, [371]
Qua rigidus crudo marte Gelonus ovat, [372]
Belligeros Thraces *vicinasque ordine gentes* (363)
Sauromatasque *alacres* Massagethasque truces (364)
Riphæasque arces pulchrumque Borysthenis amnem, [373]
Phasidos utrumque ad Danubiique latus, [362]
Quaque *iacet* Pontus Leandri insignis amore, (365)
Cuius *rex totas* milite *texit* aquas, (366)

---

[352] Cf. dictum Maximiliani vol. V. p. 363. repetitum. [353] Ligures] In ipsum Iulium II. Ligurem dicitur. [360] Othomanus] Turca. sultanus cum primum hoc carmen scriberetur, Baiazeth II., cui m. Maio a. 1512. filius Selimus I. successit. [364] Massagetasque *3...5.* Scythas intra Imaum. [365] cf. Musæum de Herone et Leandro et Ovid. epp. 18. 19. Ponte iunctis litoribus, ut Xerxes fecit. Cf. ad v. 185. adnot. et infra v. 389. edit. I. [367] Bysantiqꝫ *2.* Bysanthiqꝫ *3...5.* [369] Tygrim *3...5.* [370] Pamphiliamque *5.* [373] Boristhenis *edd.*

[128] Gelon.] Incola Sarmatiæ Europææ. fere = *Ukrainer.* [131] Rhypheaſqꝫ *1.* Boryſtenis *1.* *(Dnieper.)*

Per Macedum campos Oetæoque ad loca saltu
Edita, Pieriis nobilitata sacris,
Quaque piger refluis ludit Mæander in undis
Aegæum ad pelagus Ioniumque fretum;
Serviat huic quicquid Peneius alluit amnis
Bebryciæque urbes, quas Galatæque colunt;
Pareat Ioniæ tellus huic, Cares adorent
Omniaque ad Tauri consita utrumque iugum
Cantatique urbes Pelopis, perque Arcadas omneis
Barbarus hoc leges tempore Turca ferat;
Ius Hierosolymis dicat Sulthanus et omnis
Oppida Iudææ sub dicione regat;
Per Syriam tonet atque Arabes vastissimus ille
Et terat imperii fulmine cuncta sui;
Flumen ad Eufratem Niliquc per ostia septem
Regnet, Idumæas sub pede calcet opes,
Hic ubi odoriferis nascuntur thura Sabæis
Balsamaque et longo cinnama agenda mari;
Imperet urbe Tyri, quaque est rarissima Phœnix,
Aegypti in terras Aethiopesque nigros,

Colchorumque urbes Oetæoque ad loca saltu [375]
Edita, Pieriis nobilitata sacris, [376]
Quaque piger refluis ludit Mæander in undis [377]
Aegæum ad pelagus Ioniumque fretum, [378]
Vicinasque Asiæ terras: quanquam omnibus istis
Barbarus hoc leges tempore Thurca ferat, [384]
Iura licet Solyma ponat Sultanus *in urbe* [385]
Et *teneat nostro regna sacrata deo:*
In Syriam *licet* atque Arabes vastissimus ille [387]
Sceptra gerat populis invidiosa tuis
Flumen ad Euphratem Niliquc per ostia septem [389]
Armeniasque ambas Cappadocumque situs, (368)
Velocemque Tygrim iuxta *Babylonaque magnam* (369 [399])
Pœneque et ad Medos, Dardaniosque Phryges, [374]
Atque ubi odoriferis nascuntur tura Sabæis [391]
Balsamaque et longo cinnama agenda mari, [392]
Quaque hebenum dives quaque est rarissima Phœnix, [393]
Aegypti in terras Aethiopasque nigros, [394]

---

375 Macedum, *sive potius* Macetum. Macedoniam Thessaliamque *dicit.* oethęoqȝ *2.* Oethæoqȝ *3. 4.* Oetheoque *5.* 378 Ægeum *2.* 379 Peneus. *Lucan.* VIII. 33. 380 Bebriciæqȝ *edd.* Bithynæ. 382 vtrunqȝ *2.* Arcedas *4.* 386 Iudeæ *2.* ditione *3...5.* 391 „India mittit ebur, molles sua tura Sabæi". *Verg.* georg. I. 57. 393 Phœnicia. *Plin.* H. N. X. 2, 2. qui Arabiæ avem Soli sacrum adscribit.

136 Pyeriis *1.* 148 Peneqȝ, & ad *1.* *Pene* s. Peme Aegypti nihil h. l. Mœdos *1.* 151 Hebenū *1.* *Serv.* ad Verg. georg. II. 116. 152 Aethyopasqȝ *1.*

Chaldæosque et opes regis moderetur Erythræ
    Et circum Pharii litora rubra maris
Ad sacras Iordanis aquas, Memphitis ad urbes,
    Imperio Meroen claudat et Assyrios;
Ingentem Babylona regat Gazamque potentem,
    Hasque omneis Venetis viribus addat opes:
Omnia pro Venetis, pro te Germania pugnet,
    Hæc manus ad bellum sufficit una tibi;
Non opus est flavi ducantur in arma Britanni,
    Utque armet populos Gallia magna suos;
Non opus est equitem trahere in tua castra Polonum,
    Aut in opem Scythicas ducere Pannonias:
Adde nihil nobis: siquid Germaniæ priscæ
    Laudis habet, siquid Martia turba potest,

Erythræ per regis opes Chaldæaque regna [395]
    Et circum Pharii littora rubra maris: [396]
Iure tamen super has dominus censebere terras,
    Diripuitque urbes hostis uterque tuas,
Atque erit illa dies, quæ (si bene colligo) *prope* est, [755]
    Qua tibi *raptarum summa redibit opum.* [756]
Omnia cum *teneas*, *cum solus cuncta gubernes*, [327...329]
    Cum subsint regno terra fretumque tuo, [330]
Cumque nihil rerum te sit sublimius uno, [331]
    Quid pateris cives te violare tuos? [333]
Iam populosa tuas sequitur Germania laudes, [334]
    Tu modo *quod* iubeas, fortiter illa geret. [336]
Ardet amore tui dum tam Germania pugnes: [ibid.]
    Hæc manus ad bellum sufficit una tibi; (402)
Non opus est flavi ducantur in arma Britanni,
    *Quod*que armet populos Gallia magna suos;
Non opus est *Scythicis accedat Sarmata telis*, (405)
    Aut *eat ad vires Pannonis ora tuas.* (406)
Sufficit una tibi talem Germania in hostem, (407)
    Tu nihil hic populi viribus adde tui. (id.)
Adde nihil nobis: si quid *res Theutona* priscæ (407)
    Laudis habet, si quid *bellica* turba potest, (408)

---

[395] Caldęoſqȝ *2.* Caldæosque *3...5.* reg. Erythr.] „ab Erythra rege inditum est nomen [mari], propter quod ignari rubere aquas credunt". *Curt.* VIII. 9, 14. [396] Pharii = Aegyptiaci, ut 'Phario æquore' *Lucan.* Phars. IV. 257. littora *3...5.* [397] „... placidam Iordanis ad undam". *Sedul.* op. pasch. II. 141. [399] Gaza] „significat divitias, urbs in Palæstina ... in ea Cambyses ... divitias suas condidit". *Serv.* ad Aen. I. 119. Lucan. III. 216. [400] addet *3...5.* [403] Britannos cæruleos viridesque, sed non flavos me legere memini; at de mari quoque flavum esse legitur.

[153] Calddæaqȝ *1.* [155] cenſebre *1.* [156] Dirripuitqȝ *1.* host. uterq.] Turca Venetusque. Cf. ad superiorem vers. 221. adnotatum. [161] Cunqȝ *1.*

Siqua viget nobis ex rebus gloria gestis,
    Franges hoc Venetas milite divitias.
Prima Tridentini maturent prælia cives,
    Omnis ab excussa sæviat Alpe furor,
Et formidati Venetorum clade Tyroli,
    Exeat Alpini bellica vis Athesis,
Spargat in occursum Venetis quos Enus inundat,
    Quique timenda lavit Rhæticus arma Lycus;
Post sibi finitimos moveatur Brisga Trebotes,
    Proque aliquid veteri laude Suevus agat;
Arma gerant Bavari, linquant sua rura Nemetes,
    Advolet et fœlix Austria bella gerat;
Tum chalybem durumque excudens Styria ferrum,
    Carnus et in pingui rure Carinthus agens;
Vangio, Vindelycique omnes et Norica virtus;
    Torvus ab Hercynio vertice Bemus eat,
Quæque adeo gens est, Moravi, promiscua, cives,
    Et siqua hoc tractu nomine terra caret;
Exue Silesios densis cultoribus agros,
    Mitte paludosæ robora Lusatiæ;
Pergat arenoso piscatrix Marchia tractu,
    Quæque metallifero est Misna opulenta solo,

Si qua viget nobis e rebus gloria gestis, (409)
    Infringens Venetas *tempore* divitias, (110)
Migret in assuetas Athesis violentia turmas, (111...414)
    Proque aliquid veteri laude Suevus agat; [418].
Post sibi finitimos moveatur Brisga Trebotes, (117)
    Omnis (ut est concors) Rhenus in arma ruat;
Arma gerant Bavari, linquant sua rura Nemetes, (119)
    Advolet et fœlix Austria bella gerat;
Tum chalybem durumque excudens Stiria ferrum
    Et Carni atque opibus, alte Carinthe, tuis, (122)
Vangio, Vindelicique omnes et Norica virtus,
    Torvus ab Hercinio vertice Bemus eat, (124)
Quæque adeo gens est *promiscua, Marcomanni*,
    Et si qua hoc tractu nomine terra caret;
Mitte tuos etiam, populosa Silesia, cives, (127)
    Egredere infames, Lusace latro, specus, (128)
Et sita arenoso piscatrix Marchia tractu,
    *At*que metallifero Misna opulenta solo, (430)

---

413 *Süd-Tirol.* 415 Aenus *s.* Oenus, *Inn. Nord-Tirol.* 416 Rhœticus *3...5. Lech.* 417 Brisga = *Breisgauer.* Trebotes (Tribocci) *Oberrhein. dépt.* 419 *Speiergau.* 420 felix *3...5.* 421 chalibem *2...4.* 423 Vangio *Wunne-(Worms-)gauer.* Vindelicique *3...5.* 424 Hercinio *edd. hic* = *Baierischer* et *Böhmer-Wald.* 429 Marchia] cf. Hutteni carm. p. 5. sq. exhibitum. 430 Misna] *Meissen.*

Et læti agrorum de fertilitate Doringi,
Optimaque armorum portio, Francus eques,
Hic ubi se Mogus curvis ambagibus infert
Et genus invictæ nobilitatis alit;
Quique agit in tetricis venator montibus Hessus,
Quæque fovet durum Fagina parva genus;
Arma Ubii tractent, intestinaque soluta
Lite novi causam, Geldria, martis habe;
Prodeat arma ferens Eburonum exercitus omnis,
Se paret in bellum Iuliacensis ager,
Et nondum imbelles Batavi Frisiique feroces,
Et procera rudis corpora Vestphaliæ,
Et Vettrava acies et, nunc Germania, Trevir;
Excipe pugnanteis, Adria, Vesterichos,
Quique ab utroque bibunt Rhenanos littore fluctus,
Quosque vago præceps amne Mosella rigat;
Excipe non solis inhiantes Saxonas obbis,
Quos sua pugnanteis asperat ebrietas:
Inde invicta acies veterum genus ibit Othonum,
Quique bibunt Albis flumina, quique Salæ,
Quorumque arma duces nigro bovis ore figurant;
In Venetos rapida vi Pomeranus eat,
Dittimarique rudes, genus insuperabile bello,
Et iuxta Holstadii turba quieta ducis,
Et quæ se Gothico sparsit Germania ponto
Insulaque arctoo Rhugia cincta mari;

Et læti agrorum de fertilitate Doringi, (431)
Quique ortum Scythico Francus ab orbe trahit, (432)
Quique agit in *mediis bellator* montibus Hessus, (435)
Parvaque Fuldano Fagina *recta patri*, (436)
Arma Ubii tractent, intestinoque soluto (437)
Marte novas lites iure Sycamber amet; (438)
Et *quondam fortes* Batavi Phrisiique *rebelles*, (441)
Asperaque incultu Westphala terra suo, (442)
Nec tantum validi madidas Saxones ad obbas, (447)
Quique sub extremo sydere Cymber agit,
Quorumque arma duces nigro bovis ore figurant, (451)
In Venetos *patria* vi Pomeranus eat; (452)

---

[432] Patriæ suæ suique non inmodestus amor. [436] Buchonia. cf. adnot. ad v. 545. [439] Eburon.] Leodienses *vult.* [444] pugnantes *4. 5.* [451] Megalopolitani, *Meklenburger.* [453] Dittimari] *Ditmarsen.* [454] *Holstein.* [455] *Ostsee.*

[193] lœti *1.* [196] Fuld. patri] abbati Fuldensi. [200] in cultu *1.* [201] Saxones] – – ⏑

Immittant Venetis tristem vada Balthica classem,
    Arma, viros ingens concitet Oceanus;
Huc quoque littoreos moveat causa ista Borussos,
    Finitimos agris, Sarmata dure, tuis;
Istula tot Venetis, tot misceat Odera gentes,
    Causaque diversos contrahat una duces:
Quot populis animoque tuo contente domabis
    Horribili Venetas obsidione manus.
Ardet et antiquam repetens Germania laudem
    Egregie quicquam quod gerat esse cupit.
Tanta quibus virtus animosa in pectora venit,
    Ut cupiant laudes iugiter ire tuas,
Sponte sua qui te arma petunt, præbe ocyus illis
    Fomentum pugnæ materiamque novæ;
Præbe illis quo se primis exerceat annis
    Siquis in hac turba sedulus esse cupit:
Turpe est in primo iuvenes torpescere flore
    Et nihil ætatis vi meliore frui;
Turpe est arma tuæ tracta rubigine gentis
    Olim clara foris nunc latuisse domi;
Turpe est imbelles populos Venetosque fugaces
    Egregios armis sollicitare duces:

Huc quoque littoreos moveat *furor ille* Borussos, (159)
    Finitimos agris, Sarmata dure, tuis; (460)
Istula tot Venetis, tot misceat Odera gentes,
    Causaque diversos contrahat una duces:
His populis animoque tuo contente domabis
    Horribili Venetas obsidione manus. (464)
Ardet et antiquam repetens Germania laudem
    Egregie quicquam quod gerat esse cupit.
Tanta quibus virtus *amissa* in pectora venit,
    Ut cupiant *laudi consuluisse suæ*, (468)
Sponte sua *quibus* arma *placent*, præbe *illicet istis*
    Fomentum pugnæ materiamque novæ;
Præbe illis quo se primis exerceat annis,
    Si quis in hac turba *bellicus* esse cupit: (472)
Turpe est in primo iuvenes torpescere flore
    Et nihil ætatis vi meliore frui;
Turpe est arma tuæ tracta rubigine gentis
    Olim clara foris nunc latuisse domi; (474)
Turpe est imbelles populos Venetosque fugaces
    Egregios *animis* sollicitare duces. (478)

---

461 Ist.] Vistula, *Weichsel.* dura *3...5.* miserat *edd.* 221 Aegregios *1.*

Germanæ virtutis erat gerere arma repente,
Quanquam indicta forent, arma movere prius.
Proh pudor! ira animo subeat, clementia cesset,
Unaque sit virtus bellum iniisse cito.
Quondam nostra foris multa Germania laude
Gentibus invictis nomine terror erat:
Nunc quatimur toties vicinis undique bellis
Et ruit in populos quælibet ira tuos.
Nec tamen ista loquor, quo te his in casibus ante
Unquam adeo segnes dicam habuisse manus,
Aut procul a curis animo torpere remisso,
Armaque pro patriæ lenta movere bono:
Notum est ingentes bello subiisse labores,
Notum est tranquillos non habuisse dies,
Suetum anteire loco pugnaque exire priorem,
Fungi aliquando ducem militis officio,
Gaudentem castris et aperto vivere cœlo:
Qui vitæ modus est quæ seriesque tuæ.
Ergo age, livor edax, rapidum compesce labellum,
Desine de tanto tristia rege loqui,
Desine Cæsareos titulos pulchrosque labores,
Vilis homo, spurcis comminuisse labris:

Quondam nostra foris *præclaro patria marte* (483)
Gentibus invictis nomine terror erat:
Nunc quatimur toties vicinis undique bellis
Et ruit in populos quælibet ira tuos. (486)
Non tamen ista loquor, quo te *hoc* in *munere dicam*
Semper adhuc segnes *exhibuisse* manus
Aut procul a curis animo torpere remisso
Et te pro *patria segniter ire tua:* (490)
Notum est ingentes belli subiisse *tumultus*,
Notum est tranquillos *nunquam* habuisse dies; (492)
Semper es in bello requiemque negantibus armis: (493...495)
Hic vitæ modus est, *hæc* seriesque tuæ. (496)
Ergo age, livor edax, rapidum compesce labellum,
Desine de tanto *turpia* rege loqui,
Desine Cæsareos titulos pulchrosque labores
Detrahere et linguæ supposuisse tuæ: (500)

---

485 quatinur *3.* quatitur *4.* 497 Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos? *Ovid.* Amor. I, 15, 1. „.. digito compesce labellum". *Iuv.* sat. I. 160. 498 tristia] turpia, *ut 1. habet*, sinistros sermones.

232. sq. Ad marginem exempli mei *1.* vetus manus adscripsit „Franc. Petrarc. Bonus princeps est raro quietus". Scilicet vult illud Iliad. II. 24. 61.

Non fugere est siquis lentam cunctatur ad iram:
Nescis qua deceat hoc opus arte geri:
Tot circum casus pensat Iovis ales ab alto,
Cum volet, ingentes conciet illa metus;
Sæpe quidem pennas, sed non pro viribus ipsis
Pandit et excussis unguibus ampla patet,
Sed non tota ruit summamque exurgit in iram,
Omnino vires prosequiturque suas.
Hactenus hæc populos suspensis terruit alis,
Vindicis hostiles admonitura animos:
Dum tamen ora furens ex causa armabit et ungues,
Dum ruet et totis viribus arma geret,
Tunc neque Gallus ovans casu eventuque secundo,
Quocunque hoc fiat tempore, maior erit;
Nec bene res Venetum tantam subsistet ad iram,
Viderit Adriaco fulmina iacta salo.
Ah potes arbitrium, rerum moderator, iniquum
Deque tuis factis ingenioque pati?

Quo te iure loqui fatebere talia, demens,
Quis dat in arbitrium regia facta tuum?
Tene decet magnosque duces regesque superbos,
Vilis homo, *lingua contemerante loqui?* (500)
Non fugere est si quis lentam cunctatur ad iram,
Non scis qua deceat hoc opus arte geri: (502)
Dum sedet et Venetos spectat pacienter ad ausus,
Non scis quæ cordi Maxmilianus agat:
Tot circum casus pensat Iovis ales ab alto, (503)
Dum volet, ingentes *exciet* illa metus,
Sæpe quidem pennas, sed non pro viribus ipsis
Pandit et *expressis* unguibus ampla patet, (506)
Sed non tota ruit *supremamque audet* in iram,
Omnino vires prosequiturque suas.
Hactenus hæc populos *expansis* terruit alis,
Vindicis hostiles admonitura *manus:* (510)
Dum tamen ora *biceps commota* armabit et ungues,
Dum ruet et totis viribus arma geret,
Tunc neque Gallus ovans *sorte* eventuque secundo,
Quocunque hoc fiet tempore, maior erit; (514)
Non bene res Venetum *tantum* subsistet ad *hostem*,
Viderit Adriaco fulmina iacta *mari.*
Ah potes arbitrium, rerum moderator, iniquum
Deque tuis factis ingenioque pati? (518)

---

517 petes *1.* rerum moderator] mundi imperator.
250 ille *1. sed in sqq. et in 2. feminina est* ales. 255 populus *1.* teruit *1.*

Ah sinis hæc aliquem tibi detrectare tuorum
Quæ nunquam iustum promeruere odium?
Aude aliquid factisque novis istam elue famam,
Quæ tamen haud causas, unde seratur, habet:
Nunquam aliquis vidit luxu te egisse supino,
Nunquam aliquis vidit mente vacante levem,
Utque solent reges, mollem deducere vitam
Dulciaque amplecti deliciisque frui;
Semper dura pati, semper fugere ocia promptum,
Duritia mentem perdomuisse patet:
Castra voluptatis nunquam civiliter intras,
Sed tanquam laqueos insidiasque fugis;
Et siquando audes, nunquam temerarius infers
Arma, sed ex causæ condicione gravis;
Dumque infers, non lentus ades, non ultimus astas,
Ex acie primos conseris ante duces.
Spes mihi per te igitur cunctando restitui rem,
Quæ nunc ex animo statque caditque tuo.
Huc ego iam pridem res abs te colligo gestas,
Quarum est, quam debet, laus tibi parta minor:

Ah sinis hæc aliquem tibi detrectare tuorum (519)
Quæ nunquam iustum promeruere odium? (520)
Nunquam aliquis vidit luxu te egisse supino, (523)
Nunquam aliquis vidit mente vacante levem, (524)
Utque solent reges, mollem deducere vitam
Dulciaque amplecti delitiisque frui;
Semper dura pati, semper fugere ocia *promptus*
Duritia*que animum* perdomuisse *soles:* (528)
Castra voluptatis nunquam civiliter intras,
Sed tanquam laqueos insidiasque fugis,
Et si quando audes, nunquam temerarius infers
Arma, sed ex causæ conditione gravis; (532)
Dumque infers, non lentus ades, non ultimus adstas,
Ex acie primos conseris ante duces.
Spes mihi per te igitur cunctando restitui rem,
Quæ nunc ex animo statque caditque tuo. (536)
Huc ego iam pridem res *a* te colligo gestas, (537)
Quarum est, quam debet, laus tibi parta minor. (538)

---

522 seratur] polluatur sermonibus satis. 532 conditione *3...5.* 533 adstas *3...5.*
535 Cf. Verg. Aen. VI. 846. Ennius ap. Cic. de sen. 4. de Fabio Maximo:
Unus homo nobis cunctando restituit rem:
Noenum rumores ponebat ante salutem;
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.
Cf. Lachm. ad Lucret. p. 150.

Stultum est ex ipso premere aut extollere casu
Res gestas, animo consilioque decet:
Et quia successu caruit tua magna voluntas,
Laus ex conatus pondere maior erit,
Augebitque tuam fortunæ iniuria famam:
Plus meriti quam quis credere possit habes:
Tu varia indomito conflasti incendia Geldro
Adque tuos tandem iam silet ille pedes;
Tu moto inversos pressisti milite Belgas,
Inque tuum frustra gens stetit illa caput;
Vidit equos viditque tuos tunc Sequana currus,
Horruit armatas ipse Mosella manus;
Te Rhodanus tristisque Araris sensere ruentem,
Inque Pyrenæo culmine castra locas;
Tunc Mediomatrix sensit tua signa, timentes
Tunc Senonas bello, tunc Heduosque petis;

Stultum est ex ipso premere aut extollere casu (539)
Res gestas, animo consilioque decet: (540)
Et *quoniam eventu* caruit tua magna voluntas, (541)
Clarior es multum, quam quia multa facis: (542)
Tu *vario indomitum vicisti marte Sycambrum* (545)
Adque tuos tandem iam silet ille pedes; (546)
Tu moto inversos pressisti *turbine* Belgas,
Inque tuum frustra gens stetit illa caput;
Vidit equos viditque tuos tunc Sequana currus,
Horruit armatas ipse Mosella manus; (550)
Te Rhodanus tristisque Araris sensere ruentem,
Inque Pyrenæo culmine castra locas;
Trevirum ibi superas antiquaque nomina Rhemos,
Tunc *Heduos* bello, tunc *Senonesque* petis; (554)

---

[545] Geldriæ ducatum mortuo Carolo Burgundo Fridericus imp. filio suo eiusque uxori Mariæ dederat d. 19. Apr. 1478. invitis Geldrensibus, qui nec filium Philippum, Belgarum ducem a patre factum admittere volebant, unde cum Carolo Egmondano Geldriæ duce instigante Gallo non solum contentiones, etiam in magna diæta Vormatiensi a. 1495. disputatæ, sed et bella a. 1499. 1505. 1507. sq. exorta sunt, nec finem omnem invenerunt pace Cameracensi d. 10. Dec. a. 1508. inita (Du Mont. IV. 1. p. 109. sqq.), secundum quam utraque pars teneret quæ tum haberet. Cf. supra v. 436. [548] Brugenses Gallis faventes Maximilianum ad renovandam cum his pacem in oppidum suum invitatum prid. kal. Febr. a. 1488. captum per plures menses detinuerunt, usque ad d. 16. Mai. eiusd. a. Cf. Narratio captivitatis Max. I. imp. apud Brugenses in *Pezio* T. II. p. 552. sqq. Vide etiam Hessi respons. ad Epist. Italiæ v. 68. [549] tunc] a. 1492. [551] Araris, *Saône*. [553] Mediomatrix, i. e. Mediomatricum (oppidum), Divodurum = *Metz*.

[287] Sycambrum] *Geldrum*. [288] Atqȝ *1*. [293] araris *1*.

Nec procul hinc natum funesta strage Philippum
　　Plurima post tandem milia cæsa refers;
Et te iam Regem ducibus pater ipse coactis
　　Dixerat, assensu consilioque ducum,
Eiicis a patriis Matthiæ castra tyranni
　　Sedibus: in regno sederat ille tuo:
Austria tunc armis, tunc magna Vienna recepta est,
　　Et tibi se totam Pannonis ora dedit.
Omnia cæde reples, et ne sine testibus hoc sit,
　　Ister ab hostili clade cruentus abit;
Nec tibi vulgares solvit nigra factio pœnas,
　　Quam laquei infami morte perire facis.

Nec procul hinc natum funesta strage Philippum
　　Plurima post tandem milia cæsa refers;
Et te iam Regem ducibus pater ipse coactis
　　Dixerat, assensu consilioque ducum,
Deiicis ex patriis Mathiæ castra tyranni
　　Finibus: in regno sederat ille tuo:
Austria tunc armis, tunc magna Vienna recepta est,
　　Et tibi se totam Pannonis ora dedit.
Omnia cæde reples, *neve hoc* sine testibus *esset*,
　　Ister ab hostili *cæde* cruentus *erat:*
Nec tibi vulgares solvit nigra factio pœnas,
　　Hanc laquei infami morte perire *iubes*.

---

[555] Philippus relictis a. 1505. cum uxore Iohanna Ferdinandi Catholici filia Bruxellis rex Castilianus factus moritur Burgis nondum 29 annos natus. [556] millia *3...5.* [557] coactis] convocatis. a. 1486. d. 16. Febr. Francofurti. [559] Matthias Corvinus Hungariæ rex († d. 6. Apr. a. 1490. Vindobonæ) frustra Maximiliani electionem impedire studuerat. Statim Francofurti d. 20. Mart. a. 1486. contra illum confœderationem inierunt reges Fridericus III. et Maximilianus cum electoribus principibusque imperii. (*Du Mont* III. 2. p. 153. sq.) Tandem d. 7. Nov. a. 1491. ,,concordia facta est inter Fridericum imp. et Maximilianum Romanorum et Hungariæ regem ab una, et Vladislaum Hungariæ et Bohemiæ regem atque regnum Hungariæ ab altera parte, his legibus, ut Vladislaus pro vero Rege Hungariæ maneat regnumque in heredes masculos suos transeat, sed si ei contigerit ex humanis decedere nulla prole mascula relicta, tunc et in eo casu idem regnum ad Maximilianum et heredes suos devolvatur". *Du Mont* l. c. p. 263. sqq. [561] Vindobona (Vienna Austriaca) Matthiæ se dederat d. 1. Iun. a. 1485., recuperavit cum aliis Austriacis terris Maximilianus defuncto Matthia m. Aug. a. 1490. [562] Pannonis ora] Pannonica terra, Hungaria. [565] *Exemplo meo 1. manus antiqua adscripsit* Die ſchwartzrott. Nescio utrum de confœderatis rebellantibus rusticis, quales primis sæculi XVI. annis per Stiriam, Carinthiam aliasque finitimas provincias furebant, dictum sit, an de hostium specie.

[298] cœſa *1.*

Quo pater Hutteuus bello tua signa sequutus
Sæpe mihi dixit, quantus in arma ruas:
Sensit enim viresque tuas sensitque vigorem,
Cum manibus tantum prosequeretur opus.
Undique pacatis rebus belloque receptis,
Quando hostile nihil iam superesse putas,
Tunc vero Helvetii sylva atque e montibus illis
Ausi in te vires constituere suas;
Quos licet, ut deceat, nondum superasse puteris,
Et res in dubio pendeat ista statu,
Hora tamen veniet intermissoque triumpho
Aptius hoc olim tempore tempus erit:
Invidit Fortuna tibi laudemque morata est
Sæpe prius magnis obvia facta viris;
Cumque foret quæ te cœpto revocaret ab isto
Causa, refers populos hoste petente tuos;

Quo pater Hutteuus bello tua signa secutus (567)
Sæpe mihi dixit, quantus in arma ruas:
Novit enim viresque tuas *animumque probavit*,
Cum manibus tantum prosequeretur opus. (570)
Undique pacatis rebus belloque receptis,
Dum nihil hostilis iam superesse putas,
Tum vero Helvetii sylva atque *ex* montibus illis
Ausi in te *sævas exeruisse manus;* (574)
Quos licet (ut *velles*) nondum superasse *feraris*,
Et res *ex* dubio pendeat ista statu,
Hora tamen veniet intermiss*isque trophæis* (577)
Aptius hoc olim tempore tempus erit: (578)
Invidit Fortuna *tuis iniusta triumphis*,
Ut semper magnos impedit illa viros: (580)
Cumque foret quæ te cœpto revocaret ab isto
Causa, refers populos hoste petente tuos; (582)

---

567 secutus *3...5.* 570 Cum pater fortiter, manu forti, in tam gravi Helvetico bello pugnaret. 573 Helveticum bellum a. 1498. ab incursione Grisonum in Tirolim incipiens, prælio Dorneckensi Cæsarianis, quorum 4000 cæsi feruntur, infelicissimo paceque Basiliensi d. 22. Sept. a. 1499. exiens descripsit Pirckheimerus, qui Norimbergensibus suis præfectus interfuerat. In quo bello Ioannes Nauclerus ad a. 1499. „cæsa diversis in locis (inquit) et pugnis referunt XX milia, etsi numquam totis copiis bellatum sit". Et Unrestus (Chron. Austr. p. 803.) „Vnd ist zu erparmen, das so vil gütter lewt in den posen krieg vmb sein komen, vnd nichts gewunnen noch gepessert ist damit, wiewol doch auf des röm. Kunigs tail ob XII. M. mann vmb sein komen, vnd der Schweitzer auch ein grosse vnzelig menig". (Struv. Corp. hist. Germ. de Max. I. §. xii. i. f.) silva *5.*

319 interimissisq; *1.* 323 Cunq; *1.*

Quinetiam obsequio tibi coniurasse futuro
Notum est et dextris fœdus inisse datis,
Ut si nunc quicquam pro te minus egerit æquum,
Perfida diis ipsis testibus arma gerat.
Traxerat Eoos Bavarorum in rura Bohemos
Dux Rheni, et magno est gens tua pressa metu:
Illico sublatis commisces prælia signis,
Vixque tuo tandem milite septus ades,
Quando unum (ut fama est) medios furor egit in hostes
Audentem prima conserere arma acie
Ingentique animo populum turbare ferocem,
Cum iam telorum septus ab imbre fores.
Hinc spolidis dives cæsoque ex hoste superstes
Marte Palatini castra leonis adis.
Quorum cur modicum livor tibi pendat honorem,
Quod pene in patrio est res tibi gesta solo,

Quin etiam obsequio tibi coniurasse futuro (583)
Notum est et dextr*a* fœdus inisse dat*a*,
Ut si nunc quicquam pro te minus egerit æquum,
Perfida diis ipsis testibus arma gerat. (586)
Duxerat Eoos *in Norica iugera Bemos*
Dux Rheni, et magno est gens tua pressa metu:
Illico sublatis *committis* prælia signis,
Vixque tuo tandem milite septus ades: (590)
Hic unum (ut fama est) medios furor egit in hostes,
Diceris et primas conseruisse manus
Ingentique animo popul*os fudisse* feroce*s*,
Cum iam telorum septus ab imbre fores; (594)
Quinetiam ex campo non vis redducier illo,
Donec in hoste unum non liquet esse virum.
Hinc spoliis dives cæsoque ex hoste superstes (595)
Iure Palatinum *tendis inire ducem.* (596)
Quod non plura tui fecisti tempore regni,
Et pene in patri*a* est res tibi gesta *tua*, (598)

---

[587] Rupertus Palatinus, Philippi electoris filius, Georgii divitis Bavariæ Landshutensis ducis († 1503.) gener, ab hoc socero suo heres scriptus, cum sententiam imperialem d. 20. Apr. a. 1504. de hereditate Georgiana ad adgnatos Albertum Wolfgangumque Monachienses duces pertinente non adgnosceret, cum patre Philippo proscriptus ab imp. hostis imperii declaratus Bohemos mercede defensores sibi conduxit, quos apud Ratisbonam Maximilianus fudit, quattuorque exercitibus, quorum unum ipse duxit, Palatinatum invasit. Defuncto Ruperto (d. 20. Aug. a. 1504.) imperator pacem omnibus indixit et in comitiis Coloniensibus insequenti æstate habitis divisis inter partes terris litigiosis easdem reconciliavit. Cf. *Struv.* l. c. §§. xx. sq. [592] Cf. supra v. 534.

[327] equum *1.* [329] Aeoos *1.* [330] præfsa *1.* [333] ægit *1.*

In promptu causa est: non te Fortuna sinebat
Ire foras, dum sunt tanta gerenda domi.
Sæpe quidem bellum cum iam transferre parares,
Causa nova, in patria quæ retineret, erat:
At quanta interea est externos gloria reges
Pacatos solo continuisse metu!
Aut refert patriam factis servasse manuque,
An bene re visa consilioque ducis?
Hactenus internas componere præstitit iras,
Resque alio pacto non potuere geri;
Nec potes in bellum discordes ducere gentes,
Non bene sedatas compositasque prius;
Utque opifex docili parat instrumenta ministro,
Et, quo quid faciat, factum habet ipse prius,
Sic, quo bella geras, populo, quo milite pugnes,
Prospicere atque opus est ante parare tibi.
Iam tamen hoc factum est, nec habet Germania bellum,
Per te intestino libera facta malo.
Tempus adest Venetas armis excindere vires,
Tempus adest laudes accumulare tuas:
Iam potes hoc clare, iam te tempusque locusque,
Quoque ineas melius prælia, causa iuvat.

In promptu causa est: non te Fortuna sinebat (599)
Affectum curis et propiore malo: (600)
Sæpe quidem bellum cum iam transferre parares,
Causa nova, in patria quæ retineret, erat. (602)
Hactenus *affines* componere præstitit iras, (607)
Resque alio pacto *hæc* non potuere geri; (608)
Nec potes in bellum discordes *mittere* gentes,
Non bene sedatas compositasque prius;
Utque opifex *lectis* parat instrumenta ministr*is*,
Et, quo quid faciat, factum habet *ille* prius, (612)
Sic, quo bella geras populo, *qui teque sequantur*,
Te decuit gentes ante parare tibi.
Iam tamen hoc factum est, nec habet Germania *lites*,
Per te intestino libera facta malo. (616)
Tempus adest Venetas *virtute* excindere vires,
Tempus adest laudes accumulare tuas:
Iam potes hoc clare, iam te tempusque locusque,
Quoque *geras* melius prælia, causa iuvat. (620)

---

353 qui *1. immo* quæ. *editio 2. locum correxit.* 354 arte] ante *1. quod neque præcedens* prius, *neque 2. patitur.* 359 iam te] tam te *1.* quod cum vix ferri posset, ex edit. 2. correxi.

Causa iuvat. tu coge duces, tu collige vires:
    Opportuna tibi bella parata vides:
Ignescunt animi, furit inflammata iuventus,
    Utere quod præsto est quæque parata vides;
Olim ardor feret iste retro, flammæque tepebunt,
    Seque interposita leniet ira mora.
Ne sine dilabi, iuxta est occasio, Cæsar,
    Quo propior, cupide hoc arripienda magis;
Quod ratione geri petit omninoque gerendum est,
    Præsertim instructis præstat adire cito:
Nam si lenta tuas cunctatio fregerit iras,
    Quod medium est, Venetis tempus obesse putas?
Principium est illis reparandi hoc tempore belli;
    Irrue quam virtus creverit ista prius;
Tempora dant dilata vices citraque laborem
    Opprimitur, cum iam nascitur, omne malum:
Turpe est (cum possis) Venetos non vincere, peius
    Hic aliis si te deside cedat honor:
Nam nisi tu facias, nisi te duce bella gerantur,
    Forsitan in populo qui gerat alter erit:
Ne sine te, Cæsar, privari laudibus istis
    Atque alium palmam præripuisse tibi.
Iam ferus Italiam successibus occupat æquis
    Gallus, et in laceri pelle leonis ovat,
Et nisi tu venias, nisi te intromittere certes,
    Ille tuos titulos nominaque ille tulit.
Si te nullus amor patriæ tenet, et tibi præstat
    Ocia inexperta carpere duritie,

Causa iuvat, tu coge duces, tu collige vires, (621)
    Opportuna tibi bella parata vides; (622)
Iam nisi tu facias, nisi te duce bella gerantur, (639)
    Forte quis in populo, qui *paret illud*, erit: (640)
Non sine te, Cæsar, privari laudibus istis
    Atque alium palmam præripuisse tibi.
Iam ferus Italiam successibus occupat æquis
    Gallus, et in laceri pelle leonis ovat, (644)
Et nisi tu venias, nisi te *interponere* certes,
    Ille tuos titulos nominaque ille *feret.*
Si te nullus amor patriæ tenet, et tibi præstat
    Ocia inexperta *degere amaritie*, (648)

623 Ignescunt] ardent. 638 cædat *2.* 644 leonis Veneti.
367 italiam *1.* 370 titulosq; *1.*

Hoc saltem stimulet, saltem hoc te mordeat intus,
    Lintea quod velis prætulit ille tuis,
Quodque præit laudes Gallorum gloria nostras,
    Gloria fortunis nobilitata suis;
Quæ postquam e somno Germanas sentiet iras,
    Iam tandem dicet 'me minor aura iuvat'.
Certum est te Venetos primum hæc in bella vocasse,
    Certum est hos fines marte adiise tuos:
Redde vices, neu sic poscentibus arma recusa:
    Ut nolis, causa cogeris esse ferox.
Adde prophanatas leges ruptamque, nec una
    Fraude, fidem et toties fœdera læsa tibi,
Adde deos nuper contra et socialia iura
    Quatuor a Veneto milia cæsa duce,
Tot bello afflictos populos urbesque subactas,
    Mista prius multis, mista venena tibi,
Tum quod in exemplum possunt ea crimina duci,
    Coniice, ni fœdum pœna sequatur opus,
Quod nisi de Veneta sumenda erat ultio fraude,
    Hoc poteras bellum sponte iniisse tua.
Unius ob raptum nuptæ socia arma sequuti
    Eruerint Danai Pergama celsa duces;
Ausa sit Oebalii soboles animosa Philippi
    Humanum bello sollicitare genus;
Moverit affines raptarum causa Sabinos
    Adversus Romam contrahere arma novam:

Hoc saltem stimulet, saltem hoc *tua pectora pungat*, (649)
    Lintea quod velis prætulit ille tuis,
Quod præit laudes Gallorum gloria nostras,
    Gloria fortunis nobilitata suis, (652)
Quæ postquam *ex* somno Germanas sentiet iras,
    Iam tandem dicet 'me minor aura iuvat'.
Certum est te Venetos primum hæc in bella vocasse,
    Certum est hos fines marte *petisse* tuos: (656)
Redde vice*m*, *nec* sic poscentibus arma recusa;
    Ut *nolles*, causa cogeris esse ferox. (658)

---

654 aura iuv.] minus prospera condicione nunc utor. navale certamen hic iniit Gallorum gloria cum Germanorum laudibus. 656 i. e. te a Venetis vocatum esse. cf. supra v. 17. sq. 659 profanatas *5*. 662 millia *3*...*5*. duce] Liviano. Cf. epigr. ad Maximil. 669 Bellum Troianum. 671 Cur Philippus Oebalius (Lacedæmonius) dicatur ignoro. Huttenum ad Lucan. X. 20. scribere voluisse 'Ausit Pellæi' puto. 'Oebalii' mendum videri sive Hutteni sive typographi adnotavit Haupt. 673 cf. Liv. I. 9. sqq.

Nos Venetos regno tumidos et nostra petentes
    Ferre extra patrias arma sinemus aquas?
Quam molles olim populi belloque minores,
    Ne sine Germanos non potuisse magis.
Quæ natura loci quæque ars ab origine gentis,
    Institor Adriacus vendat ematque piper;
Cui minus est, patrium piscando naviget æquor,
    Spem lucri parvam possideatque scapham:
Tu natos e Marte viros ne crede timeri,
    Dum sinis a Marco semileone peti:
Usque adeo pudor est, quod nos Veneta arma lacessant:
    Tum quid si contra tu nihil ausus eas?
Consule temporibus, videant tua facta nepotes,
    Dumque licet, famam posteritatis adi:
Gloria quæratur tibi Persidos æmula Cyri,
    Nitere Pellæi vincere gesta ducis;
Ad Lacedæmonios animo contende triumphos,
    Thebanas laudes Cecropiumque decus;
Vince graves Marios virtute amplosque Metellos,
    Fabricios, Curios Scipiadasque bonos,
Pompeiumque senem, sed adhuc sua fata sequentem,
    Quæque repentini Cæsaris acta canunt.

Consule temporibus, videant tua facta nepotes, (687)
    Utque potes, famam posteritatis adi. (688)
Effice post multos sis testatissimus annos
    Atque aliquis dicat 'fortis et ille fuit';
Utque suis Cyrus iam nunc quoque vivit ab armis, (689)
    Ut Macedo nomen misit ad astra suum, (690)
Aequor ut immensum tegit arcto milite Xerxes,
    Ut fera Iessæi prælia regis amas;
Ut Lacedæmonios *ingenti laude* triumphos (691)
    Thebanas*que manus* Cecropi*osque duces*, (692)
Utque leges Marios, *Syllas tetricosque Catones*,
    Fabricios, Curios Scipiadasque bonos,
Pompeiumque senem, sed adhuc sua *bella novantem*,
    Quæque repentini Cæsaris *arma* canunt: (696)

---

[681] Cui m. e.] pauperior. [683] nat. e M. vir.] Germanos. cf. Panegyr. v. 289. [689] emula *2*. [690] Macedonis Alexandri. [691] Lacedemonios *2*. [692] Cecrop.] Atticum. [695] Pompeius cum bellum civile ineunte a. 49. a. Chr. inciperet, annos fere LVII habebat. [696] repent.] non, ut Cic. hoc verbo utitur, novus, ignotus, sed promptæ fortitudinis homo, qui Rubiconem suo tempore transit. [693. sqq.] Videsis Val. Max. et cf. Hor. od. I. 12, 40. sqq.

[389] *Auson.* Mos. v. 289. sqq. 'Quis *[miretur]* Chalcedonio constratum ab litore

Vince, inquam, tantoque magis, quod qui ista gerebant,
    Horum, quam nostra, est bellica fama minor.
Effice, ne videant illud tua tempora primum,
    Quod quis Germanis fortius arma gerat.
Iamque oculis propone duces, propone tyrannos,
    A quibus hoc, quantum est nobile, stemma trahis,
Ut pudeat si non his te maioribus æques,
    Qui famæ implerunt omnia laude suæ.
Ecce ruunt Cymbri et collectis Teutones armis
    In Latium et Romam non sine clade petunt;
Ecce alacer magnis Romanum viribus ausum
    Arminius victa deiicit e patria;
Et, qui te propius contingit rumor, Othones
    Nonne vides toto nunc etiam orbe cani?
Et Friderichorum fama superesse triumphos,
    Infaustum Latiis urbibus exitium?
Sic te ex plebe leva, sic te super æthera tolle,
    Duret ut et nomen sæcula longa tuum!
Sed iam bella paras, iam totis viribus audes,
    Iam cita concepto castra furore moves,
Iam ruis in Venetos, et te timet hostis euntem:
    Non opus est monitis ad tua cœpta meis.
Annue, Christe, duci, quem tu hæc in regna locasti,
    Annue, ad intuitum militat ille tuum;
Da pauco Venetos superari sanguine cives,
    Da tanta exiguo bella cruore geri!

Sic te ex plebe leva, sic te super æthera toll*as*, (713)
    Duret *et ut* nomen sæcula longa tuum!
Sed iam bella paras, iam totis viribus audes,
    Iam *tua* concepto castra furore moves, (716)
Iam ruis in Venetos, et te timet hostis euntem:
    Non opus est monitis ad tua cœpta meis.
Annue, Christe, duci, quem tu hæc in regna locasti,
    Annue, ad intuitum militat ille tuum; (720)
Da pauco Venetos superari sanguine cives,
    Da tanta exiguo bella *labore* geri! (722)

---

pontum, Regis opus magni, mediis euripus ubi undis Europæque Asiæque vetat concurrere terras?' [390] Iess.] Davidis, filii Iesse s. Isaï, cuius strages inter Philistinos editæ etiam in proverbium abierunt. [392] Cæcropiosqꝫ *1*.

[705] Plenius hæc in panegyrico ad Albertum. [711] Friderichorum] I. et II. non etiam parentis Maximiliani, qui blande non excluditur. [714] secula *3.4*.

Agnoscant Veneti dominum, suaque omnia dedant,
    Et subdant posito colla recurva iugo;
Aut quia se toties non agnovere monentem,
    Tam iusta immissis dirige vela notis.
At tu pasce animum votis et vindice bello,
    Cæsar, in arma tibi facta molesta rue;
Neve impune ferat si quis te læserit hostis,
    Provocet, haud iustas iniiciatque manus.
Compesce hanc Venetum rabiem stolidumque furorem,
    Ut quisquam exemplo cautior alter eat.
Hi sunt qui Venetos Troiano Antenore natos
    Atque alia imperio surripuere tuo;
Hi sunt qui Romam tibi et Itala regna petenti
    Dixerunt 'contra, si potes, arma cape'.
Arma igitur capias spe plena atque auspice Christo:
    Omnia sunt cœptis læta futura tuis;
Nescio quid vatum statuant præsagia de te:
    Sunt quoque qui dicant astra favere tibi,
Astra favere tibi, et Veneto metuenda leoni
    Dura volubilibus signa notata polis.

Agnoscant Veneti dominum *veniamque precentur*, (723)
    Et *referant ponto* colla *repressa* iugo; (724)
Aut quia se toties non agnovere monentem,
    Tam iusta immissis dirige vela notis.
At tu pasce anim*am* votis et vindice bello,
    Cæsar, in arma tibi facta molesta rue; (728)
Neve impune ferat si quis te *invaserit* hostis,
    Provocet, haud iustas iniiciatque manus.
Compesce hanc Venetum rabiem stolidumque furorem,
    Ut quis*que* exemplo cautior alter eat. (732)
Hi sunt qui Venetos Troiano Antenore natos
    Atque alia imperio surripuere tuo;
Hi sunt qui Romam tibi et Itala regna petenti
    Dixerunt 'contra, si potes, arma cape'. (736)
Arma igitur capias spe plena atque auspice Christo:
    Omnia sunt *ausis* læta futura tuis;
Nescio quid vatum statuant præsagia de te:
    Sunt quoque qui dicant astra favere tibi, (740)
Astra favere tibi, et Veneto metuenda leoni
    Dura volubilibus signa notata polis. (742)

---

733 Nam Romanorum imperatoris terrarum orbem totum esse, iuris publici præceptum fuit. 734 cf. ad v. 53. adn. 736 cf. v. 18. 739 vatum] astrologorum, quos tum etiam qui non fidebant, consulebant tamen in magnis rebus omnibus.
419 Italia *1.* 423 ſtatuunt *1.*

Omnia tuta vides: sume arma et tela capesse:
    Debentur laudes hac quoque parte tibi.
Post confecta olim Romanus bella senatus
    Decrevit ducibus nomen ab hoste suis,
Atque aliis titulum Libyci peperere triumphi,
    Nonnullis decori Gallia victa fuit,
Creta potens aliis et bello pressa Corinthus,
    Ille suis Numidis, Thracibus alter ovat,
Quosque ægre vicit Romana iniuria Cymbros,
    Et de Pellæa læta trophæa domo:
At tibi qui iam se mundi caput esse putabant,
    Cum vinces, quantæ nomina laudis erunt!
O eat illa dies quæ, si bene colligo, iuxta est,
    Qua tibi de Veneto cive triumphus erit,
Qua niveis duceris equis curruque superbo
    Post ostentatas lauriger ibis opes.
Non ego tunc solidas tristabor in hoste cathenas
    Appensosque pedes implicitasque manus;
Ducantur proceres urbis sub imagine tantæ,
    Ad tua pomposus plaustra senatus eat;
Insultet spoliis dives Germania lectis,
    Plenaque sint Venetis omnia divitiis.

Omnia tuta vides; sume arma et tela capesse: (743)
    Debetur factis lausque decusque tuis. (744)
O eat illa dies quæ, si bene *suspicor*, *ibit*, (755)
    Qua tibi de Venet*a gente* triumphus erit, (756)
Qua niveis duceris equis curruque superbo
    Post ostentatas lauriger ibis opes.
Non ego tunc *madidas* tristabor in hoste cathenas,
    Appensosque pedes implicitasque manus; (760)
Ducantur proceres urbis sub imagine tantæ,
    Ad tua pomposus plaustra senatus eat;
Insultet spoliis dives Germania lectis,
    Plenaque sint Venetis omnia divitiis. (764)

---

[743] Isaac filio Esau dicit 'Sume arma tua, pharetram et arcum et egredere foras'. *Genes.* XXVII. 3. [747] *Africani* Scipiones. [749] *Creticus* Metellus. *Corinthius* Mummius. [750] *Numidicus* Metellus. *Thracia* sub Claudio provincia facta est. *Gætulicus* Lentulus. [751] *Cimbricus* Marius, „ille Iugurthino clarus Cimbroque triumpho". *Ovid.* Pont. IV. 3, 45. Germanicos, Francicos, Ræticos, Teutonicos, Vindelicios aliaque eius modi prudens omisit; Arabicos, Armeniacos, Asiaticos, Britannicos, Hispanicos aliosque fere quot regna, provinciæ, urbes sunt, satis illis exemplis indicavit. [752] *Macedonicus* Metellus ille idem. [759] catenas *3...5*.

Ite, triumphales, (ita vertitur) ite, catervæ!
Maximus hoc iuris Aemilianus habet.
Scribite, Germani, victura poemata, vates,
Et decori vestro nomina longa date!
Assere Cæsareas, quisquis potes, assere laudes:
Materia ad numeros hæc erit apta tuos:
Hic, quod nostra probet, quod postera diligat ætas,
Immortale bonus texat Erasmus opus;
Hic se dignum aliquid Musis extorqueat Hessus,
Buschius hic carmen, libera lege Crotus;
Me quoque ducit amor præterque tot ultimus omnes
Augebunt numerum qualiacumque canam:
Omnia lætentur, persolvant omnia laudem:
Iam Venetos bello Maxmilianus adit!

FINIS.

Ite, triumphales, (ita vertitur) ite, catervæ!
Maximus hoc iuris Aemilianus habet. (766)
Scribite, Germani, victura poemata, vates,
Et decori *nostro* nomina longa date!
Assere Cæsareas, quisquis potes, assere laudes:
Materia ad numeros hæc erit apta tuos. (770)
Me quoque ducit amor præterque tot ultimus *illos* (775)
Augebunt numerum qualiacumque canam.
Omnia lætentur, persolvant omnia laude*s*:
Iam Venetos bello Maxmilianus adit! (778)

Sinceriter, Citra pompam.

---

[766] Fabulam narrat Fuggerus (V. 13. p. 659.) Fridericum cum ex astris didicisset filium sibi natum Fabio *Maximo* Paulloque *Aemilio* aliquando similem fore, Maxæmiliani nomen ei dedisse. Maxmilianus sæpe metri causa scribitur. [767] Versus 767...770. leguntur etiam in 'THRENODIA SEV LA=|mentatio Petri Ægi=|dij in o|bitum Maximiliani Cæ|faris Aug. | Et in hanc fcholia Iacobi Spiegel | Seleftadieñ. | 4⁰. s. l. et a. (Aug. Vind. ap. Grimm et Wirsung. 1519.) fol. ccij^b. [772] Erasmus Roterodamus. [773] Eobanus Hessus, qui similiter 'Ludite' ad poetas exclamavit. vol. I. p. 123. [774] Hermannus Buschius carmen, Crotus Rubianus *(Joh. Jæger)* prosaicum panegyricum in Cæsaris laudes scribito. [778] Maximilianus *3...5.*

HVTTENI VIENNAM INGREDIENTIS CARMEN.

Ulricus Huttenus peregrinus Viennam salutat.

Pene pererratis quot habet Germania terras
Et visis populis quoque sub orbe novis,
Plurima passus aquis et terra plurima passus
Ingredior muros, alta Vienna, tuos:
Non quia forte loco vellem te adiisse supremo,
Sed quia fatales sic voluere deæ:
Fata sequor, fatis ita compellentibus erro,
Ante alias tecum, si licuisset, eram.
Quos mihi dura dies Lachesis disterminat et quas
Infligit curas deliciasque, sequor;
Non voluit patriæ tranquillam habuisse quietem,
Non voluit placido vitam agitare statu;
'Ast' ait 'errabis varioque sub orbe videbis
'Multorum mores, quodque sequaris erit',
Nec sinit ut vellem curas amplectier illas,
Sed contra nutum pugnat agitque meum.
Si contra impositum licuisset vivere cursum,
Visa mihi primum Pannonis ora foret:
Scilicet immensos visum est perferre labores,
Et tandem molles appetiisse dies.
Da placidam dextram venienti, urbs clara, poetæ:
Hoc te per cultos obsecrat ille tuos.
Iam satis est longo tolerasse incommoda cursu,
Iam satis est duræ multa tulisse viæ
Et varios morbos spoliatoresque malignos
Vulneraque et casus insidiasque truces,

Hutteni carmen quod sciam non nisi in *1.* (= Ind. bibl. Hutt. n. VI.) et *2.* (= Münchii exemplo I. p. 139. sq. extat. Eckianum decastichon *2.* = Münch. I. p. 110. repetiit.

ingredientis] intrantis *2.* Scriptum exeunte a. 1511. ut videtur. Cf. vol. I. n⁰. X. peregrinus = Pilger, non Fremdling. [1] Odysseæ exordium in mente poetæ fuit. cf. v. 13. sq. Cf. epigr. pro ara Corit. 'Orbe pererrato'. [9] Lacheris *2.* dira Lachesis. Ovid. trist. V. 6, 10. [12] agitate *1.* [13] videb. mult. m.] *Homer.* Odyss. [18] Cf. supra exhort. v. 562. [20] Molles dies etiam sequentes duodecim anni usque dum in Ufnavia quiesceret, non attulerunt. [22] cultos] viros doctrina inlustres. obsecr.] supplicat *2.* [25] spol. mal.] Lossios.

Si licet atque hoc fata sinunt data vivere tutum
Et reliquas tecum composuisse moras.

Ex contubernio Vadiani, Marii et Aperbacchi.
Sinceriter citra pômpam.

MAGNI DE ECK CARNI
DECASTICHON.

Cæsar, ave, cui tanta deo est demissa potestas,
Cuius et arbitrio Iuppiter ipse favet.
Nulla tibi gens est tanta cervice rebellis,
Quæque adeo imperii robora celsa levet,
Quam Venetum, quorum præcordia vexat Erinnys;
Atque utinam tandem se in tua iura ferant,
Participesque altæ pacis te principe fiant!
Auguror, hi victi, tu modo victor eris.
Iura tamen proni Germanaque sceptra sequentur,
Dat veniam victis Cæsaris ira semel.

---

27 lutum *2.* 28 mores. *1. 2.* Non datum est Hutteno Vindobonæ diu morari. Cf. vol. I. p. 26. et Epp. obscuror. viror. I. 14. Ex contub.] Cf. vol. I. p. 22. sqq. num. X. et vol. IIII. p. 685. ad vol. I. p. 24.

Magnus de Eck, Carnus baro, Christophori Crassi *(Dick)* Helvetii discipulus a. 1511. Vindobonæ in Vadiani contubernio versatus esse videtur (*Denis Wiens Buchdruckergesch.* p. 45.), quod etiam huius decastichi ad Hutteni exhortationem indicare puto. Decaſticon. *1.* 2 Iupiter *2.* 3 tanta] tota *2.* 5 Erynnis *1. 2.* 6 serant. *2.* 10 victoris Cæsaris *2.*

Eyn rede der gesandtẽ botschaffter võ dẽ Venedigern. an herrñ Maximilianũ Romischẽ Kayser. gethan zu Mẽmingen. A di 30. Decẽbris. M.ccccc.viij.

Das wir one vorgethane eerwirdigũge zu dir Kaiser eingãgen sein, soltu nicht wundern, Du wyrdest aber in der volstreckunge dieser Rede vernemen, warumb wir dich (der do auß gotlichẽ willẽ auff erdtrich das hochste Kayserthume ynnhaltste) mit gebũrẽder eerunge nicht haben eeren wollẽ. Es hat aber ye die stat Venedig in gewõheythe gehabte, in der eerunge der allergrosten kũngen und fursten, nicht allain gutwillig und mildte zu seinn, sunder auch vberflussig, Welche dich als etwan einen hymellischen gotte hat geerdte, geliebthe und vorbehalten, glawbendte, villeichte wurdest du auß solcher senfftmũtigkeythe vñ gutwilligkeyth erwaychte und wũrdest dich gũtiger gegen ire erzeigen, sie beschũtzẽ und umbfahen, So aber nun ire versamelthe hoffnũge vnnũtze ist, das vertrawen eyttel, und so sie ir furgenũmens bedunncken betrogen hatt, als sich zympte offenlich auß diesem ab zunemẽ, das du dich sieder der zeythe here, als du ein hertzoge und hawbtmane der Belgaren declarirt bist, und darnach dem vatter ein mitregenthe zugebẽ, und gekronthe bist worden mitt der kunglichen krone, ytzt nicht alleyn vngũtiger (dann sich gezympte hat) gegen inen erzaigt hast, sunder (geschwygẽ des Neydes der worthe) nicht allain einen vnfreunde sunder auch einen streytbaren veyndthe in allen dingẽ dich erzeygte hast. Ich bytte dich sage, an welchem orthe, oder zu welcher zeythe hastu vntherlassen zu durchechtẽ die scheynbarlichen orthe der Venedigere? oder wenn hastu ye ire landtschafft sicher gelassen? Weñ hastu sie auff dem landte vnnd auff dem Mere nicht veruolgte? Wir haben dich zu zeytthen herther befunden und erkanthe, dañ die allergrewlichsten Bestien, vñ allerbostes

---

Liber e quo hanc orationem cum imperatoris responso principumque declaratione belli transcribimus, aperte e Latino Germanicus factus, si quis Germanice nec potius Germanicis verbis Latine scripta dicat hæc priora documenta, 26 foll. in 4⁰. constans, sic inscribitur: **Eyn Rede. der gesandten Botschaff-|ter der Venediger, an herren Maximilianum Romischen kayser, ge|thane zu Memmingen a di 30. Decẽbrz. 1508.** | ¶ Die antworthe darauff, vnsers allergenedigisten herren, herren | Maximiliani Romischen kaysers. | ¶ Item ein sandtbriefe vnsers allerhayligsten vatters des Babstes, | an vnsern allergenedigstẽ herren, herren Maximilianũ Romischen | kayser, Geben zũ Rome a di 10. Aprilis. | ¶ Item vnsers allerhayligsten vatters, des Babstes Julij des an-|dern, vermanunge, und Banne, wider die vngehorsamkaythe, und | vberdrettunge der Venediger, Verkũndthe und anngeschlagen zu | Rome, a di 27. Aprilis. | ¶ Item die Handellunge zwyschen vnserm allergenedigsten herren | dem kayser Maximiliano, und den Fũrsten und Stendten des hay-|ligen Romischẽ reychs, so ytzt auff dem negstuerschynen Reychß-|tage zu Wormts gehandelt ist worden. | Neque locus neque tempus publicati libri, aperte æqualis, i. e. a. 1509., indicantur. Bullæ pontificis Latine scriptæ exemplum etiam primarium inter meos libros est; ceteræ indicati libri partes non nisi ex illo ipso notæ mihi sunt.

14.15 Belgaren] i. e. Belgarum. a. 1482.

gyffte der weldte den kayſer der dürcken, welcher, wie wol er mit unerſettigklichē durſte, mit offenem und pluttigem mundt, ſich widerſetzte der Chriſtenheythe und mit argen liſten die ſelbigen gedenckte zu erſtören, berichte der Machometiſchen unraynen geſatzen, alle gaiſtlichkeythe vernichte, untherdrücke, und umbkere, ſo hat er doch gelerthe zu halten, und zu gebrauchen die gedinge und gelübe, welche er zu etlichen zeythen ernſtlichen und andechtigklichē helte, Aber du glawbſte widerwertiger weyße das die gedinge, oder verbündtnüße, zu ſolchem gebrawche erfunden ſein, in welchem ſie deinen ſachen vaſt nützlich ſein mügē, ſunſt verſchmeheſtu, verachteſt, und verdamſte ſie, Als du nicht vor langen zeythen in das welliſche landte kamſte, hilffe zu thun (als du pflegſte zu predigen) Ludwigen dem wütriche der Maylander, uberkamſtu uns in deine verbündtnüß, verhieſte nicht allain weytlawfftige, ſunder auch groſſe ding, Wir waren gehorſame (als gebürlich was) dem beſchützer und Regirer der weldte, beſtellten unnſere geſchloſſe, verſamelten die gewappendthen, und außgaben ein ungemeſſen geldte, mit welchen wir dir nicht allain angeneme möchten werden, ſunder auch wo ſich der fale hette begeben, und die notturffte angangen were, wolten wir getrewen beyſtandte haben gethan, und weren beraith geweſen in alle künfftige zufelle, Und darumb, als wir auff uns luden, oder raytzten, den allermechtigſten künge der Frätzoſen, deiner allererzörnſten veyndte, glawbten wir uns bey dir ewigklich unverdilgte, auß unſern verdienſten. Aber als wir nichtzith ſolches myßtrawthen, oder beſorgtē ſo erkennen und vermerckten wir deine widerwertige waffen wider uns, Und ſo du die krefſte hetteſt gehabte, als du uberflüſſigklichen heteſt das gemüthe, ſo weren wir in die allergröſten verlichkaythe eingangen, oder hetten etwan einen namhafften mercklichen todtſchlage erlidtē. Als du aber saheſt unnütze eytel und on krefſte deinen zorn, do widerumb maſte du den wege unberümbthe, und rayſte widerumb auß unſerer vergunſte und zulaſſen, in deine vetterliche landte. Welches uns gerechtigklich hette mügen bewegen zu den waffen, wir heten auch mit unſer groſten eere, und allerbeſten nützunge das gätze Etſchlandt mügen einnemē, do du gleicher warſte einem fliehendten, dann einem ſchlahenden, Aber dannoch verzugē wir den kriege, welches du unns eyn allergerechtſte urſach gabſte, auff das, das wir etwann von einē boßhafften urtayler nicht verdachte möchten werden, das wir etwas gehandelt hetten, das do kumen möchte uns zu verweyſen. Als aber uns die deinen ſenfftiger ſahen handeln und gütiger, haben ſie uns deſter gayler und grawſamlicher angryffen (Sie haben verwüſte) wider das gemayn Rechte) die veldunge unſerer bawleuthe, Sie habē verherthe und zerſtrewthe ein groſſe Sumā viehes. Sie habē weythe und braythe alle vorſtete mit dem branthe zerſtörthe. Die decher der dörffer habē ſie umbkerthe. Die frechen zeytige kornſathe, und fruchtbare weynreben habē ſie verhawen, Welche ungerecktigkaythe, und erlidtēne todtſchlage, die gemüthe des furſten, der altē, und des volckes, der maſſen bewegt hat, das ſie uns zu handt ſandthen, dir den kriege zu verkündigen, welchen ſie alſo verherther und ernſtlicher furen, als ſie verletzte ſein, und mit einem gröſſern zorn gerantzte, Und ſein unuerſunlichē geſcherpffte zu dem eyſen und waffen, Alſo ſo ruſte dich zu dem kriege, der du ſo groß haſt geliebte das eyſen, od' ſchwerthe haſt gedürſte das bluthe, uñ der gerechtigkeythe und pillichkaythe biſtu geweſen ein uberdretther.

Die antwortte unſers herrn Kayſers Maximiliani.

DJe Venediger, die viſcher, werdē ſein ein lere dem krayſße der weldte, wie ſo unerberglich, unzymlich, und ſchendtlich iſt, ein laſter einem andern zu verweyſen, mit welchem, der ſelbige der es verweyſte der maſſen alſo befleckte iſt, und erfaren, das er mit kaynerlay forme der Rede, mit kaynerlay gedichte, oder mit kaynerlay liſtigen ſprüchen, von dem ſelbigen müge geraynniget werden, Sie ſchemen ſich nicht, uns zu zumeſſen, die

43 Veneti piscatores documento erunt orbi terrarum, quam inhonestum *et c.*

ſelbigen künſte, welche ſie von anbeginne ires vrſprungs here alle zeythe gebraucht haben, Wer iſt doch ye einer ſulchen furſichtigkaythe, thugendthe, oder weyßhaythe geweſen, der do von inen nicht were verſpotthe, mit iren argen liſten nicht vmbgeben, oder mit iren vntrewen nicht betrogen, Mit argliſtigkaythe, mit lügen, mitt betriegunge, vnd mit maynayden haben ſie vil herſchaffte vnd furſtenthume zerſtörthe, Landten vnd Steten haben ſie die zawme eingelegte, Dyſes ſein die künſte in welchen ſie vaſt vbertreffendt ſein, Dytz ſein die pfeyle die ſie ſchieſſen, vñ geſchoſſe mit welchenn ſie die kriege furẽ, Sie ertödten die vnſchüldigen, Sie vmbgeben vnd bezwyngen die wayſen, Sie endtplöſſen die vatterlaſſen, den küngen vnthermyſchen ſie die allerſchnellſten ſubtilſten gyffte, Sie ſuchen haymliche wege vmb zu bringen die edeln, Sie berawben die gütter der gayſtlichen, Die reichtumer der allerbeſten Stete zertrennen ſie, Nichtzith ſchalckhafftiges, boßhafftiges, vnd ſundtliches vntherlaſſen ſie, Das wir aber die alten ding, ſo do von wegen der langen zeythe eralthendt ſein laſſen anſtan, wöllen wir nun zumal von den Newern rede haben, Iſt es nicht alſo, das ſie mit ſulchen ytzt obgemelten künſten die herren von der Layther von dem gebiethe der ſtate Bern haben verſtörthe? Haben ſie nicht ſchalckhafftiglich vnd boßhafftigklich zerſtörthe die ſcheynbarlichſten herſchaffte der herren von Carrara zu Badua, vnd den Burgern daſelbſte das Joge auffgelegte, Alſo haben ſie auch gethane dem geſchlechte der Vmbrien zu Parma, Vnd deßgleichen haben ſie vil edeler perſone im welſchenlandte irer vetterlicher herrſchaffte berawbte, Auch deßgleichen haben ſie der maſſen eroberthe das küngreiche Cypern, Des ſelbigẽ küngreyches Cypern beſitzunge, habe in yme mer eeren vnd ſcheynes, Wann als ſie Jacoben den kunge auß thugendthen nicht möchtẽ vberwindtẽ, do verheyrathẽ ſie ime (in geſtaldte der freuntſchaffte) Katherinã Marren Cornelienn eines Venedigers dochter, alſo mit hylffe der ſelbigen, als er wenig geliebte würde von der frawen, do ertödthen ſie den guten vnd gerechtigſten künge mit dem gyffte, Sie enthieltẽ auch nicht ire ſchuldige hendte von dem verlaſſenn vnmündigen ſune, auff das ſie das küngreiche möchtẽ erobern, vnd Carlotham des abgeſtorben künges ſchweſter, als ſie auß erblicher gerechtigkaythe, erforderthe das küngreiche, ſendthen ſie die ſelbigen Carlotham in das elendte, Auch als ſie zerſtörthe hettẽ das volcke Canolie, Crethe, vnd anderer Inſeln, do beſaſſen ſie die herrſchaffte der ſelbigẽ, Sie haben aber villeicht beſſere künſte geſuchte, welches do von Trieſte, Maſtrier, vnd andern orthen geſagt wirt, welche ſie eroberthe haben auß ſchalckhafftiger verretherey e vnſerer volcke. Es iſt der geſchworn ayde bey inen nye geachtet oder krefftig geweſen, Es iſt bey inen kain veſtigkaythe oder haltũge der gelübe, kain auffſechẽ oder volſtreckunge der kayſerlichen Rechten, kain weyße oder forme der erberkaythe, kayn ſchame, kain anſehẽ der gerechtigkaithe oder pillichkaythe. Sie pflegen zu zeytthen öffenlich ſprechen, Das die gerechtigkaythe der herrſchafften vnd gebiethe, nicht ſtee an den geſetzten kayſerlichen rechten, ſunder an den waffen, betriegereyen, vnd argen liſten, O wol ein ſchendtliche vnraine, vnd verachtliche rede, vnd billichen võ einem ytlichen zu verfluchen, vnd ſulche verdümpte ire grawſamkaythe, vnd begierdte zu herſchen, hat ayntzlichen das gantze welſchlandte erlidten. Es iſt kayn furſtenthume, kain herrſchaffte, oder kain Cõmune, welches do von inen mit verrethereyen vnd waffen nicht angelangte ſey worden, Wir wöllen geſchweygen, was vngerechtigkaythe ſie haben anthan, mit iren boßhafftigen bündtnuſſen, vnſern merern vnd vorfarendten ſo do vorgeſtandten ſein dem kayſerthume, ſo ſie nicht ire blutige hendte haben auffendthalten von den höchſten biſchofen, den Bebſten, ſunder habẽ ſie angryffen mit dem gyffte, Sie habẽ beſtrytthen die orthe vnd Stete der Römiſchen kyrchen, Sie haben verwüſte die veldunge. Sie haben geſchwechte die iunckfrawẽ. Die erbern frawẽ haben ſie bezwungen,

3 vmbg.] circumventus. 14 dominos de Scala e territorio civitatis Veronensis. a. 1387. 1406. 16 a. 1405. 18 Vmbrien] ? die Rossi? 20 a. 1473. 29 beſaſſen] possederunt, haben ſie in Beſitz genommen. 42 merern] Augustis. 44 von dem 1.

Den edelen kindern (als wissendt ist) ist gewaldt geschehē, durch die sunde, Die heyligē orthe sein gewaldtiget worden, Die kirchen sein zerstörthe, Die haylthume sein berawbthe, Vnd alles so do gehördte zu der kirchen vnd gaystlichkaythe, ist befleckte, vnd vngeerthe, Warumb maynnte ir das wir gedencken, das die hailigsten vatter die Bebste sein bewegte worden, das sie so offte die pfeyle der verfluchunge wider sie geschossen habē, Aber die grosse machte des goldes, fur welches nichtzith den menschē lieber ist, vnd mit welchem nichtzith von inen vnuersuchte bleibet, hat gar offt abgewaschen ire gröste boßhaythe vnd Myßthate, Wiewol bapste Clemens, Franeissen dandalen einen botschaffter der Venediger, mit ketthen gebundtē, so er aßse vnther dem dysche hete lygen, gleicherweyße als die hundte, welche schmeliche straffe (als man glawbte) auß der vrsache erdachte sey worden, Wañ darumb das er weste die Venediger geblenthe auß geytzigkaythe, vnd mitt dem Dürcken hettē bündtnüßse gemachte, auff das sie dester leichtlicher erobern möchten das welsche landte, vnd vmb desselbigen willen, allen Christlichen Namen nicht alleyn in verlichkaythe zu bringen, sunder auch in öffenlich laster vnd allerherbste beyne möchte einfurē, Auß deme (vñ nicht vnuerdienstliche) wolte er das sie zugleicht würden den hundten, welche do mit den hundten hettē boßhafftige bündtnüße gemachte, Glawbt man nicht, das sie Pabst Pium, den andern, zu Anchona mit dem gyffte ertödte haben, als er sich rüste mit den waffen wider die Dürcken, Vnd also das sie anngeneme möchten werdē dem Dürcken, welchem sie newlich dar vor mit einē mercklichen vnthergange vnd schadē der Christenhaythe, verriedtē Constātinopel, als sie sich sahen berawbte der hoffnūge die selbigē zu erobern. O schalckhaffte vnd verlorne mäne, vnd allerwirdigste der peynlichen straffe, welche die stirn der massen also erkrawthe haben, das sie sich nicht schemen vns zu beschüldigē der vntrewen, vñ gebrochener bündtnüße, vnd die schādte mit welcher sie beladen sein vns zu zumessen, Als sie dañ do wir auß irem Rathe vnd v'manūge in das welschelandte raysten, nichtzith vollstrecktē, das sie verhayssen hetten, sunder mit argen lysten vnd ytzt mit waffen widerfachtē die eingangene bündtnüße, Vnd so sie wenig ires gefallens mochtē schaffen, das sie vns darnach mit irem gewönlichem pfeyle, das ist, mit dem gyffte, anngreyffen, vnd alle ding in zorne, vberlaste vnd feyndschafte kerthen. Vnd als wir mit vnserm behendtē vnd haylsamen Rathe, alle ire anschlege abwendten, wurden sie zu letzte vnsere Ambtlewthe an vnserm hoffe, mit schenkungen begaben, vnd wider vns Raytzen, Welcher aber fleyße wider vns, vberwundten wurde, vnd wir behüte wurdē, Vnd als sie nach vnserm abschiede, gewaldte gebrauchten, welchen die vnsern mit gewaldte vnd krаffte widerumb vertrieben, klagen sie nun weyther sulches fur vngerechtigkaythe, Was zympte sich hie alle ding mit lügen beflecken, Allezeytthe so ir euch werdte furnemen vrsache des krieges, wöllen wir die selbigen gerechte ertaylen, vnd gefelliglich annemen, yedoch das ir vns nicht verletzte, sprechende vnns vrsache haben geben der zerbrochen bündtnüssen, oder, das wir etwas gehandelt hetten wider die Maiestate vnd zyerde der kaysere, dann wir wöllen als dañ von aller schulde, oder Myssthathe vnschüldige sein, vnd sunderlich vō der selbigen, Also nun so werckth, so dobendthe vnd wüthendt, seythemal ir lust habte vnnsynnig zu werden, vnd außgroltzte die gantzē wurtzel des furgenumēn grymes, ertaylte mit dē schwerthe, vnd vntherlaste den fryde, Gott der allerbeste vnnd allergröste ein zewge der zerbrochenen bundtnüssen, dem do wyssendte ist die vbermütige furnemlichkaithe vñ vntrewe, ein Recher des Mainaydes, vnd ein straffer des boßhafftigen Rathes, vnd der außgedachten quellunge, oder zwangsale, wirt geben das endte des gewünstthen krieges, Wir werdē die edelen vnd vorgeensten zu Venedige, welche sich der glückhafften vnd grossen dinge

---

[7] Rem narrat etiam Sabellicus dec. II. lib. 1. ad a. 1317. Idem Dandulus postea dux Venetorum fuit a. 1328...1339. [12] in] ir *1.* [13] beyne] peinen. [15] boßhaffti: bündtnüße *1.* [16] † d. 15. Aug. a. 1464. cf. infra p. 176. §. 31. [20] perditi viri. [28] Hæc verbo tenus e Latino facta esse videntur. [40] deus O. M.

vberheben, vnd den hals vber die pyllichkaythe mer auffgereckte haben, widerumb in die zale der viſcher wendthen, vnd werden ſie zwingen (ſo ſie ire thun volbꝛacht haben) die Narunge auff den vyſcherſchyfflen zu ſuchen, welche ſie ytzũdt als mit einer kungliche̅ vberflüſſigkaythe mit Nauen, oder ſchyffen nō den ewſerſten oꝛthen der weldte zu fure̅, Sunder geeth hyne vñ furthe den kriege, mit der ſelbige̅ anmechtigkaithe vnd weemütigkaythe, als er verkündthe wirt.

Foꝛm der Abſag von Furſten Grauen Freyen herren, Rittern, Knechten vnd dienſtlewten des hayligen Römyſchen Reychs. Auch Tewtſcher Weliſcher vnd Wyndiſcher Nation verwādten, vnd vnderſeſſen, An den Hertzogen vnd die Herſchafft zu Venedig ſchꝛyfftlich vnnd mündtlich außgangen.

Furſten Grauen Freyen Herren Ritter Knecht, vnd dienſtlewt fur ſie yre helffer, vñ helffers helffer, obgemelter Nation, haben in yrer abſag dem Hertzogen vnd der herrſchafft zu Venedig zu wiſſen gethan vñ erzelt, Wie ſie vnſer hayligiſter vater der Pabſt durch ſeiner hayligkeyt Bullen bericht, was geſtalt die Venediger ſein hayligkeyt vñ den haylige̅ Stul zu Rom byßher in manigfaltig wege gewaltigklich vnnd on alle Recht beſchwert vnd bedꝛengt, das ſeyner hayligkayt furter zugedulden nit gepürt, vnd ſey deßhalben hoch geurſacht, ſie mit dem gayſtlichen vnd weltlichen ſchwerthen zuſtraffen. Hab auch darauff die obbeſtimbt geſelſchafft von Fürſten, Grauen, Freyen, Herren, knechte̅, vnd dienſtlewten, Als verwandten vnnd vnderſeſſen des hayligen Reychs, welches ain ſchyrm der chꝛiſtenlichen kyrchen iſt, zu hilff beyſtandt vnd rettung wider ſy ermant, das dann die ſelb geſelſchafft zu hertzen genum̄en vnd ſich entſchloſſen haben, ſeiner hayligkayt, vnd der haylige̅ kyrchen, mit allem yrem vermügen, vnd was ynen dartzu gepürt gehoꝛſam vnd willfaren zuthun.

℄ Darzu hab ſie auch bewegt vnd geurſacht. Wiewol der beſtandt des verſchynen Jars zu Reyff am Gartſee zwyſchen der Römiſche̅ Kayſerlichen Maieſtat vnnſerm allergnedigiſten herren an ainem, vnd den Venedigern durch yr gewaltig potſchafft, mitſambt vnd neben dem künig zu Franckreich anders tayls auffgericht, vermügt hab, das die Venediger ſulchen beſtandt ain zeytlang fur ain fryden halten, auch hanndeln wandeln vnd alles das thun ſolten, das voꝛ dem negſtuergangen krieg zwyſchen dem hayligen Reich vnd jnen gemacht verbꝛiefft vnd verſigelt, Sye auch dem hayligen Reych ſchüldig geweſt ſein, So haben ſie doch dem ſelben in manche weg zu wider gehandelt. Auch ann etlichen der obgenanten geſelſchafft vom Adel, Steten, dar zu lendern vñ gemainden auß Kayſerlicher Maieſtat Erblanden den beſtand nit gehalten, wie ſich dann die geſelſchafft mit der zeyt ſo der gege̅wertig krieg ſein endtſchafft nemen wirt, das zubeweyſen erpieten.

---

[26] beſtand] induciæ. [27] Reyff] Riva. *de Roo* Annal. p. 439. „Convenere itaque ad Ripam Benaci lacus oppidum Imperatoris nomine Tridentinus præsul et Cyprianus Serentinus ab epistolis, a Venetis Zacharias Contarenus. Gallorum quoque regis mandato, sine quo Veneti nihil pacisci volebant, aderant Ioannes Iacobus Triultius, et Carolus Iufredus Mediolanensis Senatus Princeps. Cumque de induciis ad triennium servandis, quo tempore ea quisque loca quæ habebat retineret, convenire videretur, in eo tantum difficultas offerebatur, quod Gallus generales esse illas, et Geldrum iisdem comprehendi volebat. Veneti vero, ut bellum a suis finibus averterent, ac induciarum tempore imperia sua in iis locis quæ ceperant, confirmarent, seorsum a Gallis consilia habere cœperunt, et suo tantum nomine inducias fecerunt, reclamantibus regis legatis." Cf. *Le Bret* II. 2. §. 1022.

¶ Zuſambt dem das ſich die Venediger gegen des hayligen Reychs Camergericht vnd in annder weg, nach dem berůrten beſtand dermaſſen vnerberlich, verachtlich, vnd vngepůrlich gehalten vnd bewyſen, das ſie der Camerrichter vnd die beyſytzer des Kayſerlichen Camergerichts in die Acht erkent vnd publicirt haben.

¶ Vnd noch mer das der merberůrt beſtandt von den Venedigern mitſambt vnd neben dem Kůnig zu Franckreich ainmůtig auffgericht, an Kayſerlicher Maieſtat geprochen ſey, durch ſulchen weg. Wiewol der ſelb beſtandt dem Kůnig zu Franckreich vnd Venedigern nit weyter dann das hertzogthumb Geldern zu beſchyrmen vn̄ zuretten zugeben vnd ſunſt alle Kayſerlicher Maieſtat landte zu friden begryffen. So hab doch der von Arnburg, als er jůngſt furgenūmen het, das Hertzogthumb Geldern mit Frantzoſiſchem volck zuretten, vnd aber des nit ſtat noch gelegenheythe finden můgen, den gubernator von Eſzhanpani beredt, auff das land Lůtzemburg anzugreyffen vnd zu kriegē. Des auch des derſelb von Arnburg auſz vergůnnē des gedachtē Gubernators von Eſzhanpani ain anfang gethan hab, mit verheeren vnd plůndern etlicher dörffer des genanten lands von Lůtzemburg vber das ſelb dem hayligen Reich zugehörig vnd vnderworffen, vn̄ in dem beſtandt zufriden begryffen ſey. Dem allen nach můgen die Venediger vnnd menigklich ermeſſen, was die obangezaigt geſelſchafft gegē den Venedigern, als durchechtern der hayligē kyrchen, des Römiſchē Reichs, vnd Teutſcher Nation, furzunemen pflichtig ſeyn. Nemlich zu eren, behaltung, vn̄ wolfart derſelbē hayligē kirchen, Römiſchen Reichs, vn̄ Teutſcher Nation, jre widerwertige vngehorſame vn̄ durchechtere verhelffen zuſtraffen. Des auch die ſelb geſellſchafft alſo zuthun entſchloſſen, ſich damit durch yre abſage, fur der Venediger offen Veyndt vnd Achter, erklert vn̄ taylhafftig gemacht, vn̄ alſo yr Eer nach kriegs rechten bewart habē wöllen. Zu vrkundt iſt der Römiſchen Kayſerlichen Maieſtat Secret auff die Abſag gedrůckt worden, vnd auſzgangen am Achtundzwaintzigſten tag Maij. Anno rc. Nono.

LVDOVICI HELIANI

VERCELLENSIS

CHRISTIANISSIMI FRANCORVM REGIS SENATORIS AC ORATORIS

DE BELLO SVSCIPIENDO ADVERSVS VENETIANOS ET TVRCAS

ORATIO

MAXIMILIANO AVGVSTO

IN CONVENTV PRÆSVLVM PRINCIPVM ELECTORVM ET CIVITATVM

ROMANI IMPERII

DICTA

IN AVGVSTA VINDELICA

IIII. IDVS APRILIS

ANNO A PARTV VIRGINIS MILLESIMO QVINGENTESIMO DECIMO.

EIVSDEM LVDOVICI HELIANI

VENATIO LEONVM.

PONTIFEX MAXIMVS, CÆSAR AVGVSTVS, REX FRANCORVM,

REX ARAGONVM

VENATORES.

ADDITA SVNT CARMINA

HENRICI BEBELII IVSTINGENSIS

AD GERMANIÆ PRINCIPES QVOD BELLVM MAXIMILIANI CONTRA VENETOS

NON ADIVVENT

QVERELA GERMANIÆ

ET

AD GERMANIÆ PRINCIPES QVOD BELLVM MAXIMILIANI CÆSARIS

ADIVVENT CONTRA VENETOS

COHORTATIO GERMANIÆ.

CVM GERMANICO

Ein freüntliche warnung an die Venediger.

Sequentes Heliani lucubrationes, oratio et carmen heroicum, quæ non solum æqualibus et imperatori ipsi eximie placuerunt, sed etiam commentarii instar esse possunt cum ad Hutteniana de Venetis scripta tum ad carmina quæ præmisimus explicanda et inlustranda, non debui non recipere. Prodierunt

1. = Ludouici Heliani Vercellenſis Chriſtianiſſi-|mi Francoꝝ Regis Senatoris: ac oratoris de | bello ſuſcipiēdo aduerſus venetianos & Tur|cas oratio, Maximiliano Auguſto, in cōuen|tu Pręſulū: Principum: Electoꝝ: & ciuitatum | Romani Imperii dicta in Auguſta uindelica | IIII. Idus Aprilis. Anno a partu virginis Mil|leſimoquingenteſimodecimo. |

Constat libellus 18 foliis in 4⁰. ultima pagina a scriptura vacat; in pænultima post 18 versus legitur: Impreſſum Auguſte Vindelicoꝝ. per M. Ioannem | othmar. apud Cenobiū ſanctę Vrſulę. cis Licum | Anno ſalutis hnmanę [sic] M.D.X. die XII. Maii.

Bannisii epistula est in aversa primi folii pagina: 23 sequentes paginas occupat oratio; posteriores octo carmen.

2. = Rerum Germanicarum scriptores ex bibl. Freheri cur. B. G. Struvio. tom. II. Argentor. 1717. fol. pagg. 522...536.

Maiorem orationis partem dederat etiam Trithemius in Chronico Hirsaugiensi (S. Galli 1690. fol. tom. II. pagg. 651...658.) et ex hoc

Goldastus inter Politica imperialia. Ff. 1614. fol. pagg. 978...982.

Liber ad quem Fridericus Le Bret (Staatsgeſchichte der Republik Venedig. Riga 1775. 4⁰. II. 2. p. 952.) rettulit, mihi ad manus non est. Verba eius hæc sunt: Die Rede des Eliano und ſeine Poeſien wider Venedig: die Löwenjagd und eine Ermahnung an die Reichsfürſten, die Venetianer wieder in den erſten Stand armer Fiſcher zurück zu führen, ſteht in dem Anhange der venetianiſchen Geſchichte des Giuſtiniani, nach der Straßburger Ausgabe, v. J. 1611."

Quæ adiecimus carmina, Bebelianum, Querelam, et aliud nescio cuius, Cohortationem Germaniæ, recepit etiam Struvius l. c. pagg. 567. sq. Primum transcripsi ex Bebelianorum operum exemplo quod prodiit 'Phorce in ædibus Thomæ| Anſhelmi Badenſis | Anno M.D.IX. | Menſe Au|guſto. | 4⁰. De utroque hæc Struvius l. c. p. 538. ,,In fine subiicitur Henrici Bebelii Querela Germaniæ, ad universos Germaniæ principes, quod bellum Maximiliani contra Venetos non iuvent, aliaque in simili caussa cohortatio Germaniæ. Prima huius Historiæ [Michaelis Coccinii Tubingensis de bello Maximiliani imp. cum Venetis gesto, anno M.D.XI.] editio litteris adhuc monachalibus fuit exarata sine loco et anno impressionis forma maiori. Alia cum Coriolani Cepionis Dalmatæ de Petri Mocenici imperatoris gestis prodiit Basileæ 1544. 8." — Germanicum carmen quod addidimus ex libello sæpius iam nominato **Venediger Chronica** desumptum est.

IACOBVS BANNICIVS
A CÆSAREIS SECRETIS
STEPHANO PONCHIERIO
REVERENDISSIMO EPISCOPO PARISIENSI
SALVTEM.

Lodovicus Helianus, qui a Christianissimo Francorum Rege vestro hic apud invictissimum Cæsarem nostrum oratorem agit, habuit orationem de Cæsare, proceribus Germanisque omnibus adversos Venetianos ac Turcas concitandis, deque factiosis quibusdam concilium ac sanctissimam principum confœderationem interrumpere conantibus comprimendis. non memini audire neque legere orationem nostra tempestate priscorum oratorum facundiæ propius accedentem: nam has nationes, maxime autem Cæsarem ipsum ad id iam bellum incumbentem non delectavit modo atque commovit, sed etiam affecit et adversus illas gentes armorum ardore vehementer inflammavit ac omnium concursantium conatus perfregit. Cæsar voluit, ut impressoribus ederetur: ego sicuti dicta est, quæ certe extemporanea est, pro ea quæ mihi tecum est gratia atque familiaritate, eam ad te mitto, quem scio hoc dicendi genere delectari et pollere et plurimum posse. bene vale. ex Augusta Vindelica Cal. Maiis. M. D. X.

---

9 confederationē *1.* 15 ſecuti *1.*

ORATIO.

Bene ac religiose fecissent Veneciani, Maximiliane Auguste, si post multas §. 1. *civitates ac regiones, quas aut Christianis ademerunt, aut ipsi Turcis per pactiones tradiderunt aut occupare permiserunt, sanctissimam expeditionem quattuor Christianorum principum in excidium Turcæ gentis paratam excurrere passi fuissent: hoc enim pacto et abolitionem veterum peccatorum a deo promereri et solidam gratiam a principibus Christianisque omnibus inire et indelebiles victorias ex hoste referre potuissent: nunc autem, quom Christianos exercitus in Turcas ad terram sanctam Iherusalem progredientes armis impedire maluerint, digni visi sunt qui a deo et ab hominibus, qui ferro et flamma, qui terra marique dispergantur. Ego autem qui ad agendas gratias ob res fœliciter* §. 2. *gestas, ad celebrandas vestras victorias vestrosque triumphos me præparabam, qui multos defendere, lædere neminem consuevi, in has angustias deductus sum, ut aut ab officio legationis mihi sit recedendum, aut de improbitatibus, de dolis, de malemeritis Venetorum necessario non sine magno dolore mihi sit dicendum. quod si aliqvorum aures offenduntur, debetis id necessitati temporis ac malignitati illorum, non meæ consuetudini tribuere. quamquam videor in proposito defensionis prope modum perseverare: nam quom Venetos accuso, defendo infinitos mortales, Italiam totam multasque alias provincias, a quorum faucibus in libertatem revocandæ sunt; defendo Christianos orientales, quos ad manus Turcarum pervenire ac in morem victimarum mactare permittunt; defendo ecclesiam Romanam, ad quam subvertendam, ut ipsi sua desideria consequantur, vocare Turcas et quasi manus porrigere videntur. Quare quom dico contra Venetos, nolite me putare contra* §. 3. *Venetos, sed contra Turcas dicere; neque de bello Venetis inferendo, sed de bello a Christianis propulsando; neque de excidio Venetorum, sed de salute Christianorum verba facere. Sed quoniam maiestate vestri Cæsarei conspectus et tanta Pontificum, Principum, Ducum, Procerum, civitatum frequentia amplissimi ordinis, celebritate loci, magnitudine causæ, ingenii si quid in me est imbecillitas maxime debilitatur, clementissime Cæsar, in vestro vultu, in vestris oculis, in vestra humanitate atque benignitate totus acquiesco, recreor, refocillor. Multitudine igitur ac varietate rerum obrutus multa consulto prætermittam; multa etiam sunt, quæ quamquam omnibus nota sunt, a me tamen in dicendo prætereunda non sunt. quæ omnia dum breviter expono, benignissimas aures diligenter accommodate.*

Narratio.

Senatus igitur Venetianus quom decrevisset omni scelere retinere quod per §. 4. *summum nefas acquisierat, et quom certo sciret vestram Cæsaream Maiestatem*

---

2 relio ſe *1.* 11.12 feliciter *1. ut sæpe* ę *pro* oe. 25 Rectius invertisset consilium: nam per mendacium non uno loco Turcas dicit ubi Venetos vult. 27 qm̃ *1.* quum *2.* 29 magitudine *1.*

fœdus ac societatem coniunxisse cum Christianissimo nostro Francorum Rege, ut bellum adversus Christiani nominis hostes Turcas gereretur, in qua quidem societate sanctissimus dominus noster Iulius pontifex maximus et Aragonum Rex catholicus includi etiam voluerunt, conscientia delictorum ac furiis agitatus exercitum quam maximum potuit, comparavit, et Christianissimo nostro Francorum Regi cum sociorum exercitibus se coniungere properanti in ripa fluminis Abduæ totum op- §.5. *posuerunt. Ibi fusi ac profligati Venetiani Patavium urbem magno præsidio munierunt, quam urbem vestra Cæsarea maiestas hieme instante non expugnavit; at illi feroeiores facti multa ex his quæ amiserant recuperaverunt, longe plura quam unquam habuerunt, nisi provideatur, consecuturi, Italiam atque omne* §.6. *occidentale imperium, si istam tempestatem evaserint, paulatim occupaturi. Quæ omnia Christianissimus Rex noster longe prospiciens, simul et avertere cupiens, si vestra Cæsarea maiestas deliberat illos bello prosequi et tantos motus compescere, ne hanc patriam vestram, has fertilissimas et bellicosissimas regiones, quas a maioribus vestris liberas accepistis, posteris vestris in servitute relinquatis, et pro imperii et Romanæ ecclesiæ salute et maiestate tuenda atque augenda pollicetur omne auxilium atque opem, quam amicus amico et frater fratri præstare tenetur, secundum Cameracensem confœderationem inter vestras maiestates factam. et quid 'pollicetur'? immo iam magnæ eius equestres atque pedestres copiæ cum maximo tormentorum apparatu hostilia mœnia circumtonant* §.7. *et manus cum hoste conserunt. Quod ut vestra quoque Cæsarea maiestas, et vos, o reverendissimi ac illustrissimi proceres et civitates Imperii Romani iisdem viribus atque eadem celeritate uti velitis, tria præcipue sunt quæ vestros animos* Divisio. | *maxime movere atque inflammare debent: primum spes Venetorum, deinde tyrannis, postea eorum de religione et Christianis omnibus male merita: de quibus, si mihi a vobis tribui concedique sentiam, breviter dicturi sumus.*

De spe Venetorum. Pars prima.

§.8. *Non enim est difficile in illis tam nefariis tamque fraudulentis vulpeculis, in tam audacibus tamque superbis leonibus demonstrare magnam spem fuisse Italiæ primum, deinde Christiani orbis subiugandi: nam ea omnia quæ ad id necessaria sunt, abunde illis suppetunt, doli ac cupiditas dominandi et, ut pau-* Potentia Venetorum. | *cis absolvam, potentia: nam eos qui superiori æstate quattuor potentissimos principes Christianorum in patentibus campis expectare sunt ausi et collatis signis aperto marte dimicare, profecto potentissimos homines existimare et iudicare debemus. Quare sinatis eos aliquantulum crescere? 'At sunt victi, sunt diminuti'! Sunt quidem: ideoque ad extinguendum faciliores quam si essent* §.9. *integri. Sed nisi vestræ peregrinantur aures, intelligere debetis quid iam recuperaverint, ut se iam refecerint. quod si eos paululum respirare permiseritis, ut*

[1] Fœdus Cameracense d. 10. Dec. a. 1508. non contra Turcas sed contra ipsos Venetos initum esse neque hos diu fugere potuit. [5] Loquitur ac si Christianissimus rex et clementissimus imperator et sanctissimus pontifex bonos amicos Venetianos visendi gratia adventuri fuissent. [6] medio m. Maio a. 1509. apud *Agnadello.* [7] urbem] ex fœdere Camerac. Maximiliano restituendam. [8] hieme] Obsidionem Patavii, die 17. Iun. a. 1509. a Venetianis recuperati, Cæsariani cœperant d. 12. Sept. a. 1509., ab eadem recesserunt d. 9. Oct. [30] fubiuganali *1.* [31] fuppetunt potentia: doli: ac cupiditas dominādi: et ut paucis abfoluā. nā eos *1. hanc verborum inversionem sequitur 2.* [35] ? *addidi.* victi? funt dimminuti? *1.* (dimin.) *2.* quidem? *1.2.*

hanc unam calamitatem evadant, vereor ne scabrones, ut aiunt, irritaveritis. Scabrones irritare. *poterat Hannibal, si victoria uti voluisset, in Capitolio epulari;* Hannibal. *poterant Galli Senones, si paulum adniti voluissent, Capitolium cum Romano nomine simul extinguere.* Galli Senones. *utrique irritando ac dimittendo Romanos suos ac omnium rerum dominos effecerunt. Quod nisi huius venenosissimæ ac resurgentis viperæ, dum adhuc titubat, cervices perfregeritis, prædico vobis, quod, si non tam cito, at profecto quandoque, si non vos, certe vestros successores suo veneno inficiet ac spiris circumligabit. Est præterea illis consilium* §. 10. *domi et ars senatoria: deligunt ex callidissimis et versutissimis senatoribus oratores,* Doli Venetorum. *quos cum retibus, hamis et visco peregre mittunt, non ad pisces aut aves irretiendas aut inescandas, sed ad fallendos atque decipiendos principum animos. Sanctus Antonius, aut, ut alii volunt, Paulus primus* S. Anton. *heremita in spiritu raptus vidit laqueos, quos mali dæmones miseris mortalibus tetenderant, et admiratus subtilitatem et artificiosissimam dispositionem et numerum laqueorum, si numerari potuissent, exclamavit 'Ah clementissime deus! quis unquam hos evitare poterit?' Tot et tales sunt laquei Venetorum, quos miseris* §. 11. *principibus præparaverunt. Auctoritatem, pecuniam, urbes ac provincias multas Veneti perdiderunt; superbiam, dolos, vaframenta non amiserunt. Ipsi homines crudelissimi omnibus cupiditatibus servientes proponent vobis ante oculos commutationem fortunæ, instabilitatem rerum humanarum, et rationibus philosophicis et Scipionis, Alexandri, Cæsaris ac aliorum exemplis conabuntur vobis clementiam persuadere, animum vincere, iracundiam in victoria maxime cohibere; tunc deum ac misericordiam eius obtestari; addent preces, addent pecuniam: vos memineritis, sicut Ulyxes fecit istos Sirenum cantus, istas* Pecunia. *meretricum citharas surdis ac obturatis auribus præterire, et uti exemplo dei contra Antiochum de quo legitur 'orabat scelestus deum, a quo non esset misericordiam consecuturus', quia sunt illa dulcia Circes pocula, illa esca omnium malorum, qua infœlices principes deliniti in maximos errores primum, deinde in maximos luctus præcipitantur. Age vero præ desyderio et cupiditate do-* §. 12. *minandi si iusticiæ aut honori suo, si ulli hominum aut deo ipsi unquam pepercerunt: testis est Iacobus Rex Cypri, quem accepta prius* Cupiditas dominandi Venetorum. *in uxorem filia sancti Marci (ah, amara filia, et infaustum matrimonium!)* Iacobus Rex Cypri. *una cum filiolo clam veneno sustulerunt, ut Cypri regno, ut insula novem quondam regnorum capace potirentur; testes sunt Franciscus Carmignola et Bartholomæus Bergomates cognomento Coleo, eorum copiarum duces, duo tunc in re militari præstantissimi, quorum* Franciscus comes Carmignola. Bartholomeus Coleo. *alteri propter facetum aut cavillosum dictum in media curia reorum more securi caput amputavere, Bartholomæum autem propter ingentes opes bellica virtute quæsitas etiam veneno clam necandum curaverunt: testis est Patriarcha* §. 13.

---

8 dimmittēdo *1.* 9 calidiffimis: *1.* 10 rętibus: *1.* 24 Syrenum *1.2.* 25 cytharas *1.2.* 26 Anthiocū *1.* 26 legitur] II. Macchab. IX. 13. 31 Cyprus Venetorum imperio accessit a. 1471. Catharina Cornaria in matrimonium data Iacobo regi, quem cum veneno extinxissent a. 1473. dysenteria laborasse dicebant. Cornaram adoptaverat Respublica. Cf. Hutt. exh. v. 178. sqq. et Maximiliani resp. Venetis datum, supra p. 163. 34 De Carmaniolensi et Coleone cf. infra ad Venat. v. 221. „Dann es offt geschicht, dz sye vmb nichten, oder kleiner vrsach halben, jre haubtleüt enthaubten. als sye hieuor dem Carmygnolen gethon hand". Venediger Chronica. 38 Ioh. Particiacus s. Particiatus „ab hominibus adversa factionis pro æde divi Petri, quo sacrorum hora se contulerat, insidiis exceptus, summæ dignitatis in-

Patriarca Aquileien. | *Aquileiensis, quem Histria et dimidia parte Venetiæ privaverunt; testes* *XII canonici Aquileienses.* | *sunt iterum duodecim canonici Aquileienses, quos parum fuit multis opulentis castellis et oppidis, quæ possidebant, cum vita simul spoliasse, nisi in memoriam tanti sacrilegii duodecim porcos pingues abraso collo die Iovis ante quadragesimam singulis annis in harena populo spectante gladiatoribus conficien-* *Rex Ungarorum.* | *dos obiiciant; testis est serenissimus Rex Ungarorum, cuius prope trecentas insulas, decem civitates episcopales, duas provincias Dalmatiam ac Liburniam, tot portus, quingenta circiter milia passuum maritimi littoris occu-* *Imperator Constantinopolis.* | *paverunt; testis est Imperator Constantinopolitanus, et eius proce-* *Italiæ proceres.* | *res et finitimi Itali Cartarienses, Scalenses, Mantuani, Ferrarienses et Mediolanenses Duces, quorum alios magnis urbibus, insulis ac provinciis,*

§. 14. *alios dimidia parte, alios omnibus bonis, alios etiam vita mulctaverunt; testes* *Imperatores Romani Germanorum.* | *sunt antecessores vestri Imperatores Romani, quos Patavio, Vin-* *Duces Austriæ.* | *centia, Verona deiecerunt, et Duces Austriæ et vestra Cæsarea maiestas,* *Maximilianus Augustus.* | *quam Tarvisio, Feltro, Concordia, Utino, Tergeste, Coricia et omni possessione Italiæ penitus expulerunt, et conantem ad imperatoriam coronam Romam proficisci iam XXIIII annos armis retinuerunt; testis est denique* *Summus pontifex. S. Petrus.* | *summus pontifex et sanctus Petrus ipse, qui ne se quoque ceteris vicinis pulchriorem putaret, Forum Livium, Forum Cornelium, Faventiam, Ari-* *Siciliæ regnum.* | *minum, Ravennam abstulerunt. et ut regno Siciliæ potirentur, quinque urbes in Apulis ac Salentinis in Laboribus Regum Neapolitanorum interce-*

§. 15. *perunt, inter quas Hydruntem et Brundusium, portu celeberrimo. Et qua arte* *Pisa.* | *Pisam usurpaverunt, ut per eam alterum Italiæ latus, inferi maris, affligerent; Florentiam paulatim attererent; Genuam ad primos motus cum una ex factionibus ingrederentur, Siciliam, Corsicam, Sardiniam, Baleares, Narbonensem provinciam, omnia littora Hispaniæ ad Herculeum fretum usque classibus percurrerent, fatigarent, infestarent, affligerent! Proh deus immortalis! quæ Carybdis, qui Oceanus tam vorax unquam fuit qui tot et tanta tam parvo tempore demergere ac deglutire potuerit? Vix bene sunt centum anni quibus e suis paludibus in continentem egressi sunt, et longe plura suis præstigiis ac sycophan-*

§. 16. *tiis circumscripserunt quam Romani ducentis annis armis debellaverunt. Capta autem Italia putatis illos quieturos? num creditis illos animo atque superba mente iam diu agitasse quemadmodum Alpes transcenderent, ut Danubium, Rhenum, Sequanam, Rhodanum, Tagum, Hiberum pontibus iungerent, et has in provincias redactas exercitibus firmarent?*

Epilogi. | *Nescit pater familias dives intra molestiæ se terminos continere: gens igitur in domicilio superbiæ nata, quæ omnifariam rerum copia superabundat et multitudine tyrannorum tota scatet, homines e colluvione et fæce gentium in Veneticis paludibus congregati, piscatu primum viventes, deinde ex piscatoribus institores atque naviculatores, ex his mercatores, ex mercatoribus*

---

signibus exutus barbamque et capillos detonsus octavo sui principatus anno [837.] est Gradum relegatus, ubi sacris initiatus vitam postea cum morte commutavit". *Sabellic.* dec. I. lib. 3. [1] dimmidia *1.* [2] De XII canonicis cf. *Sabellic.* dec. I. lib. 7. ad ann. 1162. cum dec. I. lib. 2. ad a. 830. [4] memoria *1.* [6] Rex Ung.] non unus, sed inde a Colomanno (a. 1115.) multi, maxime Sigismundus a. 1418. sqq. [10] Cartarienses *1. 2.* Cattarenses Dalmatiæ. Scal.] *Isola grossa* s. *longa* s. *di sale* ap. Iaderam. [17] Rex Romanorum creatus est Maximilianus d. 16. Febr. 1496. [21] in Laboribus] *terra di lavoro.* [34] Thagum *1. 2.* hybeR *1.* hyberorum 2. *(Ebro.)*

per latrocinia, per cædes et venena, per nefandissima scelera pulcherrimarum rerum domini facti se continebunt? Certe nullo modo; sed si eos ita exacerbatos dimiseritis, si paululum se collegerint ac suas vires reassumpserint, progredientur, excurrent, longius efferentur. Satis multa verba fecisse videor de spe Venetorum: nunc de eorum tyrannide quædam sunt dicenda.

De tyrannide Venetorum. Pars secunda.

Mare, quod omnibus gentibus commune esse debet, aut si in alicuius bonis est, vestræ Cæsareæ Maiestatis esse debet, suum esse dicunt, et sive mariti Thetidis sint sive uxores Neptuni, singulis annis illud desponsavere annulo iniecto. Arrogantiam inauditam elementa desponsare! Legimus Tyrios et Carthaginenses, Rhodios et Athenienses, Romanos et nostra tempestate Genuenses, tum Xerxem illum, in rebus maritimis exercitatissimos, peritissimos ac potentissimos fuisse: nemo tamen tam levis Græcus aut tam temerarius barbarus inventus est qui mare desponsaret. et recte quidem: nam ex hoc matrimonio nati sunt Venetis liberi ab avidissimis et crudelissimis parentibus non degenerantes, insaciabiles balænæ, immanes Læstrygones, infandi Cyclopes et Polyphemi, qui ita mare obsident atque infestant, ut nulla monstra maris, nulli scopuli aut tempestates, nulli prædones aut piratæ vehementius. bene sciunt hoc Rhagusæi qui in limitibus Turcarum aristocratiam tenent munitissimam, quos vexando et classibus opprimendo ad tantam inopiam atque desperationem adduxerunt, ut ad Turchas confugere et illis tributum pendere coegerint. §. 17. Mare. Mariti Thetidis. Sponsi Neptuni. Desponsant mare. Tyrii. Carthaginenses. Rhodii. Athenienses. Romani. Genuenses. Rhagusæi.

Duo littora Adriatici maris, Italicum et Illyricum, ita inter se connexa, ut alterum absque altero vix vivere possit, usque adeo disiunxerunt suis pestilentissimis edictis et piratis, ut in Syrtibus, in freto Siculo aut in maxima tempestate quicumque deprehendi maluerint quam Adriaticum navigare, Itali in libertate et ad mare nati mare spectare potius, quam uti frui navigareque possint: quot naves illi prædones expugnaverunt, dirripuerunt, publicaverunt? quot divites mercatores decoquere ac cedere bonis coegerunt? quot nobiles familias et opulentas civitates everterunt? Quid in Alexandria, in Syria, Asia, Græcia, Aphrica, denique in omnibus maribus infidelium faciant, quom neminem præter se navigare vellent, quantas molestias Christianis negociatoribus inferant, longum esset enarrare. §. 18.

Quid in terra? longe peius grassantur: hi subditos ad ædificandas moles ut iumenta materiam ferre cogunt; honera militiæ sustinere, littorales taurinis nervis ad remos subigunt, ingentes et cottidianas exactiones et tributa exigunt. Prætores et gubernatores non Patavii aut Parisii, sed Tunete aut ad Tanaim a pueris nutriti periti sunt non legum, non philosophiæ aut nostræ religionis, sed pecuniarum extorquendarum, sed morum immanium barbarorum ac rituum Magmetidarum. Miserrimum esset habere unum aut duos tales dominos: quanto est miserius habere mille aut prope innumerabiles. hi ius dicunt, hi urbes ac provincias regunt vel potius expilant exhauriuntque: et tamen neminem honore, neminem sacerdotio, neminem nobilitate eorum dignantur: putarent magistratus et præfe- §. 19

---

[7] Cogitavit ICtus de Ulpiani L. 13. §. 7. D. de iniuriis „Et quidem mare commune omnium est, et litora, sicut aer". [9] Thetydis *1.2.* Neptunni *1.* [19] Pyrrhate *1.* Rhagufari: *1.* Rhagusani *2.* [20] Ariftochratiā *1.* opprinendo *1.* [24] peftelentiffimis *1.* pyrratis: *1.2.* [28] cędere *1.* [29] epulentas *1.* [32] negaciatoribus *1.* *In marg. 1. est* Rōmani *errore.* [33] craffantur. *1.* [34] onera *2.* [36] Tnente *1.2.*

cturas etiam minimas pollui si quispiam præter tyrannos, quos nobiles et magnificos appellare oportet, contingeret: non ingeniis, non fortunæ, non virtuti ad dignitates locus ac via patet.

§. 20. *Salvete, o Romani, divum genus, in vestra civitate virtuti locus nunquam defuit; vos integras civitates Romana civitate donavistis, vos ad senatum, ad consulatum, ad regnum, ad imperium e Tusculis, e Volscis, e Sabinis, ex Gallia, Pannonia, Aphrica, Hispania, ex Arabia usque ex toto orbe terrarum viros idoneos conquisivistis: Veneti fastidiunt probos et Hermolaum Barbarum et similes suos, nedum alienos. Quamobrem? quia studuerunt pecuniæ, non militiæ, mercaturæ, non litteraturæ, Magmedo, non Christo: ita sunt instituti, ut ium apud eos sit nephas confiteri ac pœnitentiam agere de criminibus quæ pro republica contra divinam maiestatem commiserunt.*

§. 21. Romani. | *Romani, homines sapientissimi, tres civitates ita potentes, quod pondus imperii sustinere potuissent, propter tria maxima vicia deletas esse voluerunt,* Carthago. Capua. Corinthus. | *Carthaginem propter perfidiam, Capuam propter superbiam, Corinthum propter avaritiam. quæ crimina qualia in Venetianis sint, diligenter attendite, ut hæc et multa alia quæ vix in singulis reperiantur, huic uni civi-* Perfidia Venetorum. | *tati propria vicia sint et peculiaria: fartores sartoresque scelerum, inventoresque ac artifices novarum machinarum, quorum cellæ ac meatus corporis nihil aliud sunt quam spiramenta proditionum: nemo cum eis commercatur quem ad extremum ad lachrymas non cogant; nullum bellum a multis sæculis inter Christianos gestum est cuius ipsi auctores non extiterint; nemo Venetias divertit, sit acutus, sit circumspectus, sit sapiens, qui non decipiatur; aut aliqua fucata merce aut aliqua falsa gemma circumvenitur, aut a publicanis syngrapham non accepit, aut exploratorum numero est: denique est semper aliqua mala crux quæ deprehensos miseros torqueat ac excruciet.*

§. 22. *Et quæ* Superbia Venetorum. | *potest oratio eorum superbiæ par inveniri? hi sunt homines qui aiunt apud se natam nobilitatem esse, qui soli divites ac modesti, soli sapientes sibi videntur esse. nos autem qui non ut dracones recto pectore, et elata cervice purpurati non incedimus, qui multa milia in arca non custodimus, sermonem in digitis non constituimus, argentea furcula non comedimus, barbari sumus, intemperantes, ebrii, dementes ac vesani, principes autem omnes uno vocabulo tyranni: hominum mendicabula nos odere, nos contemnunt. sumus illis materia ad ridendum uberrima, nos Galli multum, sed certe vos Alemani non longe minus: nam quæ nuptiæ, quæ comœdia aut fabula Venetiis unquam actu fuit, in qua primarum partium Alemanus homo non fuerit introductus? vestri mores, sermo, victus, habitus, incessus per mimos ac histriones repræsentatus ridere et gaudere Venetias facit, exultare, triumphare, gestire; tanta est eorum su-*

---

[1] Tyrrānos *1.* [7] Hermolaus Barbarus, Venetus, natus a. 1454., præcocis ingenii, Pomponii Læti discipulus, orator, grammaticus, philosophus, a. 1491. patriarcha Aquileiensis factus † a. 1493. „darumb dz er ſolch dignität [Patriarchat von Aquileia] on der Venediger wiſſen, vnd in jrer legation angenommen hett, wurden ſye ſo häfftigklichen gegen jm in zorn bewegt, dz ſye jn zu ewigen tagen in jren gebyeten vn̄ oberkeyten zůkommen verboten, verbannten, vnd verächten. vnd darzů ſeine freünd. vnd erteylten dem Fiſco ire gůtter. Welches hochmůtig vnd neydhafftig fůrnemen vnd hertte grauſamkeit gleich wol zů ſchmach des heyligen Römiſchen ſtůls, als zů ſchaden gedachts patriarchen dienend was. Der auch vß ſolcher vndanckbarkeit alſo vß ſeiner kyrchen vnd lande vertriben, bald darnach von leyd ſtarb". Vened. Chronica pag. c. [14.15] Corynthū *1.2.* [24] explor.] Spion. [33] Astute Gallus Germanos contra Venetos stimulat. [36] mimmos: ac hystriones representatus *1.2.*

perbia, tantus Alemanorum contemptus ac irrisio. De avaricia eorum | Avaritia Venetorum. §.23. *profundissima melius est tacere quam parum loqui: hoc tamen unum non silebo, quod quom Germania liberum se esse putet, sicut et esse debet, quom armis adhuc non potuerint astutissimi sophistæ, bene invenerunt artem qua sibi tributariam fecerunt: locant enim mercatoribus vestris domum (lo* | Germania tributaria Venetis. *fundico de Todeschi) triginta supra centum ducatis in singulos dies:* | Lo fondice de Todeschi. *non dico 'singulis annis', quod quidem satis esset, dico 'singulis diebus': quæ quidem summa ad quadraginta aut quinquaginta milia ducatorum annua ascendit: hoc tributum quotannis Venetis pendetis. De gula immensa, de lu-* | De gula. De luxuria. §.24. *xuria non attinet ad me dicere: quam qui scire velit, recenseat greges, quid greges? imo exercitus lenonum, meretricum ac exoletorum; non sanguini, non religioni, non ætati, non sexui honor ullus adhibetur, venus promiscua, venus indifferens, venus sine lege. Transeo crudelitatem: habent Venetiani* | De crudelitate. *sua macella humana carne referta, habent suas latomias, suos tauros, ut quondam inmanissimi tyranni habuisse memorantur; in his excarnificant subditos quos aut propter eximias ac singulares aliquas virtutes aut propter ingentes opes tyrannis formidolosi ac suspecti sunt. duo anni sunt quum exercitum vestrum Alpinis saltibus dolo interclusum non militari more spo-* | Crudelitas eorum in milites Germanos. *liaverunt, non sub iugum miserunt, non captivum Turcarum ritu vendiderunt aut redimendi potestatem fecerunt: quid ergo? ferro trucidaverunt: rubent Alpes sanguine, albicant iuga montium ossibus vestrorum civium. Patavi-* | In Patavinos. *nus senatus quod vobis studuisset, ac primarius unusquisque furcis ac infœlicibus lignis pependit. Quæ quom ita sint, audent tamen lugubri veste, torto collo, flebili-* §.25. *bus oculis, summissa voce pacem poscere, et superioribus diebus deprehensi sunt cum scalis et exercitu magno sub mœnibus Veronensibus, ut urbem sub noctem invaderent, et præsidia vestra iugularent, et audent dicere 'Vultis, o principes, Venetias, alterum Italiæ oculum, effodere ac delere? non est tam cle-* | Venetorum voces supplices. *'mentium principum illos ingeniosos artifices, illos honestos mercatores, illas 'ædes admirandas velle subvertere, quæ quanquam ex ruinis ac trophæis Romanorum et Græcorum ac multarum urbium vetustate constent, tamen quoniam 'sensu carent nec quicquam commiserunt, non sunt dignæ tantorum principum 'ira'. Quid igitur volunt? volunt ædificiis parcere, sed delere tyrannidem cum tyrannis, voluntque Venetiæ sint mercatrices, non dominatrices; volunt mare liberum, terras liberas, dacia, gabellas, portoria deiicere, libertatem reducere: nam sicuti non decet principes mercari, ita etiam non convenit mercatoribus imperare ac regnare. Nunc autem dicitis 'Quid fecimus, quid commeruimus?'* §.26. *Quid commeruistis? at non ita dicebatis iam sunt duo anni, quando Alpes transgressi Danubium ac Viennam infestis signis petebatis, Bononiam et Urbinum et Mediolanum superiore anno ante finem mensis Maii in vestra pote-* | Minæ ac ludibria Venetorum. *state futuras esse iactabatis; quando Pontificem maximum parvum Ca-* | Pont. Max. *pellanum et minimum altaris ministrum facturos prædicabatis, et Christianissimum Regem Francorum Venetias cathenatum trahere minitabamini,* | Regem Francorum. *et Cæsarem Augustum, vestrum Cæsarem maiestatem, deformissimis* | Augustum Maximilianum.

---

[6] trigenta *1.* [10] attenet *1.* [14] cf. Phalarism. Hutt. [18] Clades Cæsarianorum in Alpibus Carnis, in primis apud Cadoras, m. Febr. 1508. et Liviani crudelitas, qui pro singulis capitibus Germanis singulos ducatos Stratiotis se daturum promiserat. [21] m. Sept. a. 1509. cf. Bemb. lib. 8. vers. fin. [27] occulum *1.* [31] cō-mifferunt *1.* [31] dacia] telonea. [38] daunubium *1.* [40] iactababis: *1.*

picturis atque inhonestissimis comœdiis ac spectaculis ignominiosissime referebatis cum titulo et causa 'hic est Maximilianus Augustus Imperator Romanorum'.

§. 27. Epilogi per indignationem. | *Viri non estis, o Germani, Cæsareo animo vestro solito amplius non estis, Cæsar, si potestis tolerare has rapaces harpyias, has venenosissimas aspides, tam varias tamque versipelles lynces, tam sanguinarias tygrides, sanctissimæ Imperatoriæ Maiestatis vestræ calumniatrices, nomini Germano infensissimas amplius dominari! Hæc de eorum tyrannide sint dicta: superest ut de his quæ contra Christianos, contra religionem ac deum ipsum commiserunt, pauca subiiciamus.*

De his quæ fecerunt contra Christianos. Pars tercia.

§. 28. *Quodsi hoc tam insolito vobis tamque inusitato genere dicendi vestra humanitate diutius abutor, sperate vos a deo non minora præmia consecuturos quam si sacerdote recitante Evangelium sacratissimum audiretis. Utinam, Romane Imperator, et vos, qui adestis, utinam Venetiani aut veri Christiani aut veri Turcæ fuissent! nam si veri Christiani fuissent, et Iherosolymas et Constantinopolim et totum Orientem, ut quondam Christiani, possiderent, quom validis classibus, quibus plurimum pollent, ad defensionem, non ad eversionem Christianorum uti voluissent; et si veri Turcæ fuissent, nunquam passi fuissemus tam malas herbas omni aconito pestilentiores in nostris penetralibus, in nostris visceribus ac intestinis tam alte radices ponere; quin eos funditus extir-*
§. 29. *patos facto agmine ultra portas Caucaseas reiecissemus: nunc autem quom mali* Venetiani mali Turcæ, peiores Christiani. | *Turcæ, peiores Christiani sint, modo cum ambobus bella gerant, modo cum utroque societatem simulent, nunc harum nunc illarum partium, nemini fidi sint, religionem Christianam ad parvas Europæ angustias et* Veneti qui. | *pene destructam, mancam ac debilem concluserunt, ipsi sunt tamquam unum repagulum et propugnaculum antemurale, quod nisi perfractum sit, numquam hæ duæ diversarum legum et repugnantium religionum gentes Christianæ atque Turcæ inter se concurrere ac manus conserere poterunt, sed hinc Veneti, illinc Turcæ singulis annis aliquid de finibus Christianorum sicut fluvius de ripis abradent, perstringent, amputabunt, donec facto impetu universa*
§. 30. *confundent. ipsi sunt tercia secta, sive Marrani sint sive illi dubii ac ancipites angeli inter bonos et malos qui neque cœlum neque inferos tenent,* Lemures. | *sed sunt lemures et mali genii, qui nocturnis incursionibus domos percursitant, et diurnis grandinibus ac tempestatibus mare navigantibus et terras miseris aratoribus infestas reddunt, et ingressi corpora humana torquent, qui in aere suspensi malo proposito remanserunt: nam quicquid habent, alienis calamitatibus adepti sunt, et credunt, et vera credunt, quod Christiani adversus Turcas progressuri per eorum provincias iter facturi fuissent, et unusquisque*
§. 31. *suum repetere mallet prius quam aliena destruere; quod autem vero dico, quo-* Cruciata. | *ties cruciata, id est coniuratio ac devotio Christianorum in Turcas* Pius pontifex maximus. | *temptata est, et tocies a Venetis interrupta, præcipue Pio pontifice maximo, qui, quom omnia præparata essent, ubi sensit sanctissimam expeditionem artibus Veneticis dissolutam, vir acris ingenii ac religionis amantissimus*

---

[2] cf. Hutteni epigr. 113. 'In picturam de Cæsare'. „Nuper retrogrado" etc. [5] estis Cæsar, si *1.2.* [6] linces *1.2.* [18] eueffionē· *1.* [23] quom *1.* quum *2.* (*ante* ambobus). [40] malet *1.* [41] id est *omis. 2.* [42] Pius II. Aeneas Sylvius. † mense Augusto a. 1464. Cf. supra p. 164. v. 16.

dolore interiit. Rhodus terra marique periculosissima obsidione a Tur- Rhodus. §.32. *cis premebatur: quam cimbam aut scapham in auxilium miserunt? quod nisi religiosorum virtute ac auxilio Genuensium defensa fuisset, sicut Constantinopolim in Turcarum potestatem devenire necesse fuisset: Venetiani pri-* Constantinopolis. *mum auro, postea Constantinopolis potiundi cupidissimi modo commeatus atque arma Turcis magna classe comportabant, modo exercitum eorum ex Asia in Thraciam per Bosphorum transfretabant, nihil omittebant quod regiam urbem affligere posset, ut interdum illa potirentur. Constantinopolis terra marique du-* §.33 *rissime oppugnari cœpta est; Constantinus imperator per clandesti-* Constantini imperatoris verba ad præfectum Venetæ classis. *nos nuncios lachrymabiles deprecationes præfecto Veneticæ classis mittebat eum obsecrans per deum, qui sedem patriarchalem illic constituerat, per virginem deiparam, cuius numini civitas consecrata fuisset et condita, ut Imperatori Romano et regiæ orientali misereretur: ex tanta classe duas tantum naves subsidio mitteret. ad hæc præfectus Veneticus respondit,* Responsio. *non esse moris Venetorum aliena defendere: proinde si se ac urbem dederent, cum tota classe intraturum ac obsidionem soluturum: se commiserari duram Christianorum sortem, sed ab senatu tale mandatum habere, quod non sine capitis periculo transgredi auderet. Interim Constantinopolis capitur et crudelis-* §.34. *sime dirripitur, si unquam civitas dirrepta fuit, ita ut gemitus ca-* Constantinopolis diripitur. *dentum et mulierum eiulatus e Veneta classe exaudirentur. At Venetiani spe potiundæ urbis amissa spolia urbis et prædam a Turcis coemerunt et plenis navibus Venetias remigraverunt reliquias imperii Romani Venetias secum deportantes. Nolite mirari, Venetiani, si nemo vobis auxilium præbet, quia vos auxilium præbere voluistis nemini, ne civitati quidem sacratissimæ virgini matri dedicatæ: nescitis omnium rerum vicissitudinem esse, remansistis cum nullis amicis, et cum pauca pecunia, necesse est vos inter ferales angustias perire omnibus inspectantibus, sicuti Constantinopolim vobis inspectantibus interire passi fuistis. Quot præterea proceres ac civitates Thraciæ, Macedoniæ, Græciæ,* §.35. *Illyridis fidei Veneticæ, ac si dicerem perfidiæ Punicæ, se tradiderant, quos omnes aut præcipitaverunt aut Turcis vendiderunt. clamabant illi miseri, quom Turcis dederentur, 'Ah Venetiani, Christiani sanguinis mercatores! ah Christianæ religionis desertores et proditores!' et quo sermone, quibus verbis, o* Iherosolymæ. *Iherosolymæ, o sanctissima terra, vos deflebo? Nolo amplius mihi credi: res est iam annalibus memoranda: credatis Blondo historico ab omnibus ap-* Blondus historicus. *probato: Fama erat Saladinum Aegyptiorum regem Iherosolymas obsidere (num-* §.36. *quam nostra religio caruit defensoribus, quamquam nunc ita principes delicati sunt, ut si ad limites regni sui quamvis exigui usque pervenerint, expeditionem se orientalem confecisse arbitrentur): ad hanc famam multi proceres Venetias*

---

1 Rhodus a. 1497. sq. a Turcis oppugnata, cum quibus ineunte illo anno Veneti pacem inierant. cf. *Sabellic.* dec. IV. lib. 1. 3 religiosor.] Hierosolymitanorum equitum, tum Rhodi dominorum. 4 devenit postea a. 1522., LXX ferme annos post Constantinopolin. 7 Traciam *1.2.* Posphorum *2.* 9 cepta *1.* d. 6. Apr. a. 1453. Constantinus] Palæologus. clamdestinos *1.2.* 10 præfecto] Iacobo Lauretano. Rem longe aliter narrare Sabellic. dec. III. lib. 7. mirum non est: Gallicus orator est Helianus, Venetus historiographus Sabellicus. 11 cann. 3. sqq. Dist. XXII. 18 d. 29. Mai. 28 Traciæ *1.2.* 32 Iherosolime *1.2. ut sæpius.* 34 hystorico *1.* Flavius Blondus, Foroliviensis Venetus, pontificibus compluribus ab epistulis, inter alios libros scripsit De origine ac gestis Venetorum. nat. a. 1392. † a. 1463.

cum copiis convenere animati pro sanctissima terra mori; petierunt in Syriam navibus transportari; Venetiani accepta mercede adversos ventos simulantes eos in Dalmatia exposuerunt et eorum opera usi sunt ad Iaderam ac alias civitates quæ rebellaverant a Venetis recipiendas: interim Iherosolymæ capiuntur, non quidem Christianorum negligentia, ut plerique arbitrantur, sed dolo ac proditione Venetorum. quis hic non vociferaret, excandesceret, ingemisceret?

§. 37. *Pisani. Genuenses* *Pisani quamdiu floruerunt, Genuenses omni tempore Christianis in oriente laborantibus suis classibus subvenerunt; at Venetiani semper infidi ac fraudulenti, semper crudeles extiterunt. Hic multa prætereo de Sophi Persa-* *Sophi rex Persarum.* *rum rege, qui maximum cum Turcis bellum gerit, cuius oratores ad Christianos principes venientes Venetiani retrocedere coegerunt. omitto longe plura* *Emanuel rex Lusitanorum.* *de Emanuele Rege Lusitanorum ac Portugallensium, qui quom a tergo Libyæ in mare rubrum classes multas iam miserit et Aegypti, Arabiæ, Persidis, Caramaniæ, Indiæ, Taprobanæ fines populatus fuerit, a Venetis magno odio habitus est, quod eos in societatem illius commertii recipere noluit, ob eamque causam fabros, materiam, arma Soldano Aegyptiorum tyranno miserunt, ut ædificata atque instructa classe Portugallenses a tantis inceptis summoveret.*

§. 38. *transeo quæ in Cypro, in Creta, in Ponto, in Peloponneso, in omnibus Cycladibus contra Christianos patraverunt, ne vestras patientissimas aures eorum sceleribus ulterius obtundam: unum tantum dicam et finis erit. Hy-* *Hydrons.* *drons civitas est Salentinorum in extremis oris Italiæ: hanc urbem Turcæ terra marique obsidere adorti sunt. illa Italiæ regio, quæ certe magna ac fertilissima est, ad Garganos usque montes tota Turcarum flammis exurebatur, et iam non regno Siciliæ tantum, sed Romæ, sanctuario dei, sed Italiæ ac toti Christianitati timebamus. quis tum Christianorum non ingemuit? quis opem non tulit, quom ab Ungaris, ab extremo septentrione atque occidente undique auxilia convenissent, et non principes ac civitates solum, sed fa-*

§. 39. *miliæ fratrum mendicantium quoque subsidia præstarent, soli Venetiani qui* *Nota proditionem Venetorum in Christianos.* *tum classem paratissimam ac instructissimam in anchoris Corcyræ tenebant, qui soli obsidionem solvere potuissent, soli spectatores, non auxiliatores esse maluerunt. quid auxiliatores? immo proditores extiterunt, quom simultates gererent cum Ferdinando rege Neapolitanorum propter Alphonsum filium, qui tunc Hetruriam bello quatiebat, timentes ne maior fieret: quom ipsi non possent, per Turcas iniurias suas ulcisci maluerunt, atque ita Turcas*

§. 40. *in Italiam a suis cervicibus reiecerunt. recordamini temporis illius, quom ab omnibus fere Christianis laboratum est, et morte Turci regis ægre obtinuimus, ut deditionem Hydruntis facerent: quot milia Christianorum tunc Turcis manibus trucidata sunt! quantum Christiani sanguinis exhaustum est! quot nobilissimæ matronæ, quot virgines, quot pueri in miseram servitutem rapti sunt, quorum alii adhuc Turcis abnegata fide serviunt, alios ego vidi, qui quom iure postliminii reversi me ius dicente vix a parentibus recognoscerentur, totum forum lachrymis complevere: non memini Christianos maiorem cladem pertu-*

§. 41. *lisse, o Venetiani, quam vobis auctoribus perpessi sumus! Sed si homines obliti*

---

4 a. 1187. 10 Schah Ismael Sophi I. a. 1501...1523. *(de quo plura vol. IIII.)* 12 Emanuel Fortunatus, rex a. 1495...1521. Maxime in a. 1504. incidunt quæ h. l. referuntur. 13 lybie *1.* 16 Saldano *1. 2.* Kansu al gouri. 18 pelloponenffo *1.* Pellopoñeso *2.* 21 *Otranto,* a Mahometi II. classe oppressa m. Aug. 1480., post cuius Venetorum amici mortem (d. 3. Mai. a. 1481.) civitas a Lusitanis Hispanisque recuperatur. 23 *Monte di S. Angelo.*

sunt, non tamen deus tantæ proditionis ultor oblitteravit: sanguis illorum clamat super vos et super filios vestros ante magni dei tribunal. vos, vos, non Turcæ, illum cruorem effudistis: tempus erit quo vos illorum cædes (atque utinam non cum vestris Venetiis) vestro sanguine rependetis. nam quid ego in tanto facinore deplorem? quis non omni odio, omni pœna, omni supplicio Venetos dignos putaret? Hic non me rudi aut simplici narratore opus esset, sed forti aliquo atque vehementi oratore aut acri prædicatore ex his qui pleni spiritu sancto ad populum concionari solent: quantas lachrymas, quantam invidiam, §. 42. *quantas indignationes excitaret superbia, potentia, corruptellæ,* | Conclusio per enumerationem. *furta, rapinæ, oppressiones, sacrilegia, proditiones, immanitates, impietates Venetorum, qui iam ita indomabiles facti sunt, ut cum quattuor Christianorum potentissimis principibus de summa rerum decertare audeant, et ne victi quidem quiescere possint; qui expilando, subornando, corradendo magnum ex vicinorum urbibus imperium sibi conflavere: qui omne aurum, argentum, gemmas, vasa, signa, tabulas, denique quicquid pulchri, quicquid preciosi in toto terrarum orbe reperiri potuit, id totum malis artibus Venetias comportaverunt et congesserunt; qui mare ac terras intercludentes, mercatores cum mercibus intercipientes, navarchos cum navibus demergentes, venenando, necando, excruciando omnia cruore, omnia lachrymis et funeribus complevere; omnia gabellis et daciis et portoriis tyrannica servitute fœdavere; sacrosanctos sacerdotes torquendo, bona ecclesiæ consecrata prophanando, summum pontificem contemnendo per vulnera nostra et per commoda eorum propria sua religionem Christianam ad has exiguas Europæ angustias ac latebras deductam pene subverterunt, ut cum Turcarum Rege tacite conspirasse et partiti esse videantur, ut scilicet ille orientali, ipsi occidentali imperio contenti sint; inimici nobilitatis, contemptores principum, dirreptores ac incendiarii urbium, spoliatores provinciarum, hostes sacrorum, depeculatores reipublicæ Christianæ, labes et pernicies humani generis. Siccine dormitis, o Germani! expectate parumper:* §. 43. *nam dum vos consultationibus vacatis, illi nocturnis scalis Veronam aggrediuntur. Vos armis inclyti eas ignominias contra morem maiorum vestrorum toleratis, quas vix ignavi ac umbratiles, vix mulierculæ, medius fidius, tolerare possent. oh si nunc viverent illi Cimbri ac Theutones qui cum C. Mario de imperio orbis dimicaverunt, et illi qui cum C. Iulio Cæsare,* | Trophæa ac victoria Germanorum. *Traiano, Antonino, Fulvio, Severo, Constantio et cum aliis pluribus imperatoribus tot bella gesserunt, et qui Quintilium Varum Romanum consulem cum tot legionibus trucidaverunt; et illi qui Britanniam 'Angliam', partem Hi-* | Anglia. *spaniæ 'Vandaliciam', partem Italiæ 'Longobardiam' a se devictis* | Vandalicia. Longobardia. *gentibus de suis nominibus nuncupavere! Ubi nunc sunt illi Usipites et Thencteri,* §. 44. *illi Suevi, illi Saxones, et Marcomanni, Quadi, Catti, Sicambri, Heruli, Vandali, Goti, quorum milites boni duces erant et duces ipsi magni heroes? et illi qui cum Henricis, Ottonibus, Corradis, Federicis imperatoribus suis sanctissimam Iherosolymorum terram suorum corporum oppositione toties defensarunt, quorum trophæa memorabilia adhuc pendere cernuntur? Vos igitur, qui estis eorum indubitati filii, indubitati successores virtutis, honoris et gloriæ, velitis etiam esse veri imitatores in exercendis illis hæreditariis virtutibus, quas scio in vobis esse quam maximas et quam plurimas.*

1.2 Cf. Matth. evang. XXV. 27. 9 corruptelæ 2. 11 quattuor] Cameraci confœderatis. 13 pñt: *1.* possunt. 2. 29 De hoc Benedicti Peregrini strategemate frustra temptato non. Apr. a. 1510. vide Bemb. lib. 10. 31 Antonio *1. 2.* 38.39 tenchateri: *1.* Guadi *1.*

Conclusio per commiserationem et cohortationem.

§. 45. *Nolite, per deum immortalem, nolite pati tot iniurias primum vobis, deinde
ceteris Christianis, postea deo redemptori nostro a Venetis atque a Turcis il-
latas amplius inultas ac impunitas esse, qui in expugnatione orientis ut cætera
nefandissima præterea in omnibus templis aut meretrices prostituerunt, aut equos
stabulaverunt, aut templa ipsa demoliti sunt, aut Magumedo, homini impuris-
simo ac nefandissimo, quem pro deo colunt, dedicaverunt, ossa sanctorum, re-*
Imago crucifixi. | *liquias sanctissimas canibus ac porcis obiecerunt, imagines crucifixi do-
mini nostri Iesu Christi, (heu pietas! heu prisca fides!) imagines crucifixi ad
caudas equorum deligatas extra civitates in castra ad sonum tympanorum ra-
ptantes sputo cœnoque fœdantes in altissimam crucem iterum sustulerunt et la-*
§. 46. *pides ac sagittas eiaculantes exclamaverunt 'hic est deus Christianorum': ludi-
brium Christianæ gentis, sed maxime Germanorum, penes quos imperium est.
cur igitur vos non præitis? cur non præfertis victrices aquilas? et reliqui Chri-
stiani vos sequentur adversus Venetos primum, qui sunt seges et materia tan-
torum malorum, deinde adversus ipsos immanissimos Christiani nominis hostes,
Turcas. Nam ista vestra odia ac bella inter vos intestina, istas venationes, con-
vivia, structuras, delicias vestras, liberos, uxores, hanc vitam vestram una parva
aura, una parva febricula omnia commutabit, omnia corrumpet, et paulo post
nihil erunt. at vero quæ pro redemptore et creatore deo nostro facietis, ea
vobis perpetua manebunt, et dum vivetis et dum ad fœliciorem vitam demigra-
bitis, semper vos comitabuntur florescentque, cotidie magis magisque æterna fient:
nam in aliis causis et ea quæ habetis parvo momento dilabentur, et quæ per-
detis, numquam recuperabitis; at vero in hac sanctissima expeditione et quæ ha-
betis, numquam amittetis, et quæ perdetis, in cœlestibus thesauris omni tempore*
§. 47. *condita reperietis. Ergo perfringite istud obstaculum, adæquate ac obstruite
omnium hanc pestilentissimam mephitim ac sentinam, hanc voraginem et præcipi-
tium omnium viciorum: vendicate et vos et Christianum orbem in libertatem; solvite
vos a tanto metu! eradicate genus! potestis esse tuti si relinquitis eos quibus
Venetiæ, Histria, Liburnia, Dalmatia, Corcyra, Cephalonia, Zacynthus, Nau-
plium, Creta ac Cyprus adhuc supersint? Patefacite istas execrabiles ac diras
portas Venetianas, quæ tamdiu Christianos adversus infideles progredi elabo-
rantes continuerunt, postea deo auctore aperto marte maioribus auspiciis Turcas
aggressuri; et ea pietate, qua sanctissimum dominum nostrum Iulium pontificem
maximum, qua Christianissimum nostrum Francorum Regem et Catholicum Re-
gem Aragonum, principes sapientissimos, exactæ ætatis et consummatissimæ vitæ,
tres columnas Christianam religionem suis humeris sustentantes esse videtis,
eodem et vos, o Maximiliane Auguste, proceres et civitates imperii Romani, qui
prima sustinendæ libertatis ac religionis columna esse debetis, et animo et pie-
tate esse debetis: nam nisi illi vidissent excidium ac ruinas a Venetis et a
Turcis Christianis imminere certissimamque victoriam sperarent, nunquam pro-*
§. 48. *fecto tamque iusta ac pia, tam sancta adversus eos arma sumpsissent. Dixi,
o Romane Imperator, o gloriosissime ac exuberantissime deus redemptor, dixi;
et si quid profeci, gaudeo dixisse; quodsi etiam nihil profeci, tamen gaudeo*

---

19 arua *1. 2.* cf. Isai. LVII. 13. (E sacro suggestu orationem habere incipit vulpecula Gallica.) 22 cotidie] *vult* in dies. 23 dillabent̃: *1.* 25 cf. evang. sec. Matth. X. 39. Marc. VIII. 35. Luc. IX. 24. 27.28 precipicium *1.* 30.31 Nauplium] *feci ex* ſtaculū *1.* simul *2.* *rectius* Nauplia, *Napoli di Romani.* 31 exacrabiles *1.* 33 mate *1.* auspitiis *1.*

me tuæ humanitati ac divinitati morem gessisse, tibique, si huic tuæ expeditioni sanctissimæ hanc vitam meam conducere arbitrabor, eam devoveo ac quibuscumque cruciatibus exhibeo, quia tu pro meis ac aliorum peccatis tuam miris tormentorum exemplis excarnificandam tradidisti.

Finis.

LVDOVICI HELIANI

VENATIO LEONVM

PONTIFEX MAXIMVS, CÆSAR AVGVSTVS, REX FRANCORVM, REX ARAGONVM VENATORES.

Venantum canimus Regum et fera bella leonum
Maximaque insani funera Martis opus.
Alma, fave, armorum et nemorum Tritonia præses,
Et, qui bella colunt et iuga summa, dei.
Dicite, vos Musæ dulces, quis crederet unquam
Aequora fulvicomas incoluisse feras
Aut terram Ausoniam aligeros aluisse leones,
Quamquam Cyclopas Sicilis ora tulit?
Non hic Aetola dicetur cuspide fixus
Cerva, nec Herculeo robore captus aper:
Dicam monstra hominum, et quis commutaverit illa,
Et scelera, et pugnas: accipite, incipio.
Quod mare, quod tellus iam iam captiva iaceret,
Non fuit hæc Ditis, nec fuit ira Iovis:
Omnis erat piceis Aquilonibus obruta classis,
Restabat toto nulla carina mari:
Tunc primum timuere homines sulcare profundum,
Nec qui se ventis credere vellet erat:
Nullus honorabat tumidi pia numina ponti,
Votaque solvebat, nemoque thura dabat:
Tum graviter frendens vitrearum rector aquarum
Humanum voluit mergere sæpe genus,
Deucalioneas iam ter concusserat undas,
Perdere sed voluit nos graviore malo.
Est locus, Adriaci 'Venetas' dixere 'paludes',
Nunc mare, nunc terra est, tot rotat unda vices,
Illyrici, Albenses et iuncto Dalmata Sclavo,
Quique colunt Pontum, Cycladas, et Cilices,

Contra Venetos (Marci alatum leonem) paciscentes Cameraci d. 10. Dec. a. 1508. Extat hæc 'liga' in *Lünig* Reichs-Arch. Part. spec. contin. 1. Abth. 1. Abs. 1. p. 128. 132. *Du Mont* Corps univ. diplom. IV. 1. p. 114. sqq. [1] ferra *1.* [7] alligeros *1.* [7.8] *i. e.* quis crederet Ausoniam eiusmodi monstra aluisse, quamquam sane Sicilia Polyphemum ceterosque Cyclopas, monstrosos illos et inmanes, progeneravit? [9] aethola *1.* [10] Cerva Cerynitis pro Arcadica sive Achaica non recte dicitur Aetola. Aper est Erymanthius. Verg. Aen. VI. 801. sqq. „.. Alcides ... Fixerit æripedem cervam licet aut Erymanthi Pacarit nemora ..“ Haupt. [15] piceis] tenebricosis. [18] se] si *1.* [19] rumidi *1.* [28] cicladás: *1.*

Cercassi, Aethiopes, Mamalucchi Iannizarique,
Omnia purgavit littora prodigiis;
Hique venenatas liquerunt Phasidos undas,
Illi Niliacos deseruere sinus;
Non absunt Lydi, Strophades, non Syrus Orontes,
Nec gens, plena odiis, Punica, fraude, dolis;
Piratæ, profugi, damnati sacrilegique,
Mendici, mimi, turba nefanda maris:
Denique criminibus cunctis patefecit asylum;
Hæc stagna, hos æstus, has petiere casas:
Colluviem et fæces hominum collegit in unum,
Et quot erant homines, tot dedit esse feras,
Et digitos teretes rigidos curvavit in ungues,
Ut possent rapere et rapta tenere diu;
Gutturis ingenti barathrum patefecit hiatu,
Ingluviem posset quod satiare nihil;
Neve propinquaret neu quis superesset amicus,
Spirantem graviter iussit olere animam:
Non satis, alipedes humeris quoque nexuit alas,
Ut pelagus, montes, ut super astra volent:
Iratos fecit vultus torvosque leones,
Horribiles visu, terribilesque sono.
His furiis, his tormentis iam mille per annos
Nos deus et nostros excruciavit avos.
Fallitur hoc qui me maledicere carmine credit,
Reddo lacessitus damnaque, reddo vices:
Læserunt alios, me dirripuere; sed ultor
Carmine bella gero, Rex meus ense gerit.
Iura dabant ignem ex facie rabiemque vomentes,
Hic infamis eras, Barthole, sancte aliis:
Quicquid erat pulchri subiecta per oppida adusque
Verrebant avida vilia saxa manu:
Quod reliquum fuerat catuli fœtæque leænæ
Verrebant, famulæque et niger ore Charon;
Damnabant cives aliqua sub criminis umbra,
Sed proceres solo hoc nomine crimen erant:
Torrebant oleo miseros ferrove calenti;
Iste manum, hic oculos perdidit, ille caput.
Stridebant populi et tacite sua damna gemebant,
Ut strident Stygiæ sub Rhadumantho animæ.
Appellas læsus rigidum sanctumque senatum:
Herodes, Cayphas, Anna, Pilatus erant.

[32] Hiliacos *1.* [35] Pyrratę: *1.* [37] mimini: *1.* [37] Afyllum. *1.* [39] baratrum *1.* [44] saciare *1.* [56] Ludovicus XII. [58] *Hic iura non observantur.* Barthole] cf. vol. I. p. 177. ad v. 6. [60] Verebant *1.* [61] fęteque *1.* [68] Rhadamanto *1.* [70] Herodes Antipas qui Ioannem decollavit Christoque docenti insidiatus est. Caiphas, pontifex Christi mortem falsis testibus provocavit; Annas cum Caipha sacerdotum princeps qui ad hunc Christum ligatum misit; Pontius Pilatus procurator Iudææ qui Christum cruci figendum damnavit.

Turpis et in Venerem gens proiectissima plus quam
Aut Sybaris, Capua aut Pythagoræa Croto;
Deformes iuvenes et cana senecta vacabant
Sardanapalineis solicitudinibus.
Quid referam illicitos cœtus et quæ ipsa trahebat
In noctem longum stella diurna merum,
Cæsareasque dapes, miserorum sanguine partas?
Ad rem damnosos et fera bella canes,
Cætera prætereo: nam cum Vestalibus ipsis
Fas erat in sacro concubuisse thoro.
Italiam, Italiam, Italiam pleno ore salutant
Conservatores: scilicet Italiæ
Immo eversores, ergastula dura, Nerones
Estis, et immanis barbara barbaries.
Est doctus fortisque nihil: si proditor, illi
Præmia magna cito proditionis erant.
Vos linguam horretis Latiam moresque Latinos,
Vestra sonant totam guttura Dalmatiam:
Aequabant tumidi se et præ sua gesta ferebant,
Oh scelus, invictis, Martia Roma, tuis:
Noctua sic aquilam, timidum sic damma leonem
Provocat, et parvus sic elephanta culex.
Bellorum causas, armorum semina docti
Spargere et artifici nigra venena manu,
Ut solet horribilis gaudens spectare ruinas,
Quas prius Alecto texuit arte sua,
Sic isti armabant Reges multoque cruore,
Nostra, triumphabant, si tepuisset humus:
Non maris aut terræ sat erat turbare quietem,
Tentarunt inter ponere bella deos.
Ante triumphantis Genuensia festa Georgi,
Semileo, celebrant te, pie Marce, diem;
Petrus et Ambrosius, clari duo lumina cœli,
A Venetis graviter læsus uterque fuit:
Huic sunt conati trifidum extorquere flagellum
Et Mediolanum dirripere ante oculos:
Illius aggressi laceram expugnare carinam,
Pastorem turbare et pascere gramen oves:
Ter quater omnipotens Venetos iubet ante citari,
Ter quater actores non voluere pati,
Dicentes, Veneti, si scandent culmina cœli,
Cœlicolum inficient angelicosque choros:
Ambibunt superos et erunt etiam altera rursus
Dira cathenati prælia Luciferi.

[72] Pythagorea *1.* i. e. urbs Magnæ Græciæ Croton, in qua urbe Pythagoras docuit. [74] Sardanapali Assyriorum regis nomen in cuiusvis mollioris nomen transiit. [89] Aequebant *1.* [96] Allecto *1.* [100] interponere *1.* [104] Petrus et Ambrosius] Roma et Mediolanum. [108] turbarent: pascere *1.* [110] actores pati] iudicium accipere. [114] cf. Isai. XIV. 2.

Præterea lata est dudum sententia, adestque
Patronus: 'Marcus dicere iussus ait
'Dum Veneti contra Mahumetidas arma gerebant,
'Dumque mali minus, his ipse patronus eram;
'At postquam placuere illis furialia bella,
'Furta, latrocinia, toxica, adulteria,
'Quod nunquam tantumque nefas fecere Gigantes,
'Ista Gigantæa noxa luenda nece est.
'Erubui semper tales habuisse clientes,
'Desero eos semper; quod meruere habeant'.
Talibus æternam pacem rigidumque tribunal
Quærebant placidos sollicitare deos.
Non bellum contra Turcas dominantibus istis,
Spes inter nostros nulla quietis erat:
Omnia turbabant auro, comitante veneno:
Hæc duo cælesti præposuere deo,
Et velut effugiens hosti loligo sequenti
Nubem atramenti proiicit ante oculos,
Sic isti, si forte aliquid fecere timendum,
Ambiguas tenebras regibus iniiciunt.
Non satis a Cypro fuerat quicquid iacet usque
Qua Phaethonteas Abdua rumpit aquas,
Et non contenti totum spoliasse profundum
Duraque captivo subdere vincla mari,
Sacra fames auri et dominandi cæca libido
Per scelus immodicas crescere suasit opes.
Per scelus omne duces raserunt regna, tetrarchas,
Ingressi summi viscera pontificis;
Gaudebant niveas vexilla inferre per Alpes,
Ante oculos ibant Hister, Arar, Rhodanus:
De Roma et tota Italia iam actum esse putabant,
Orbis anhelabant imperium occidui.
Non pudor ullus erat, nec erat reverentia divum,
Prodere, mentiri, polluere, opprimere,
Et se immortales iactabant, deinde timeri,
Non aliterque coli quam, voluere, dei.
Sicut aves alias bubo et cornicula fallax
Ludit regales improba vulturios,
Ridebant ipsos nullo discrimine reges,
Ipsum cum magno Cæsare Pontificem;
Ungare magne, potens, et te, invictissime Cæsar,
Iactabant soldis vos meruisse suis.
Namque minabantur (sunt testes) præsulis almi
Pulsatas mitra cædere velle nates,

---

126 Querebant *1.* 131 loligo, τευθίς, *Tintenfisch.* 133 timendum, i. e. unde sibi timeant. 136 Phaetontæas *1.* i. e. Padum, in quem Phaethon delapsus narratur. 141 duces, *die Dogen.* Thetrarcas *1.* 144 : arat: *1.* 146 anhellabant *1. 2.* 156 soldis] stipendiis, mercede. 158 cedere *1. 2.*

Et te clericulum et parvum ad pia sacra ministrum
Facturos, o lux maxima, sancte pater;
Rupturosque tua invicta, Rex France, corona
Perfractum (oh facinus!) terque quaterque caput.
O fæces hominum, porcorum semina, non vos
Talia de tanto dicere Rege pudet?
Hoc caput est quod Christicolum pius orbis adorat,
Quod Babylon, quod tu, maxime Turca, tremis.
Non tulit arctoi moderator maximus orbis
Cæsar, qui triplici cingit honore caput,
Nec valet ulterius tantas tolerare querelas,
Hortatur proceres, et sua regna, suos
Hortatur socios sceleratam excindere gentem,
Pontificem imprimis, maxima Roma, tuum.
Continuo Reges Gallus, Romanus, Hiberus
Cæsare cum magno fœdera sancta ligant;
Retia rara parant et acuto spicula ferro,
Fertur Marmarica lancea torta manu,
Murorum in stragem atque hominum quæ invenit Erinnys,
Sicut ab irato fulmina missa Iove;
Non desunt laquei, pedica, ancipitesve secures,
Non eques armato conspiciendus equo.
Primus ab Herculeis descendens Alpibus heros
Gallicus: hic centum traxit in arma duces,
Quingentos duxit proceres et mille phalanges,
Innumerabilium milia plura canum,
Rex Lodovicus equo et fulgentibus acer in armis
Suscitat in rabidas arma cruenta feras,
Nec minus expediunt alia se in parte leones:
Prudentes aliquis crederet esse viros:
Unguibus effodiunt terras et castra coronant,
Et tecti ferro pectora fida gerunt;
Signa sequi, parere duci, servare tubarum
Classica, conspiceres ordinè stare suo.
Erumpunt portis rabido fervore duabus,
Partiti in turmas sic abiere suas:
Exacuunt iras, caudaque et dentibus uncis
In ferumque gravi murmure prosiliunt.
Vos, quibus Aonidum est studiumque et spiritus ingens,
Dicite, quot strages ediderint Veneti;
Me leges et cura fori ingratique labores
Impediunt elego carmine tanta loqui.
Id referam, dubio hærebat victoria Marte,
Ni Regis præsens dextra tulisset opem;

---

165 chriſticulū *1.* 168 Cæsar, imperator Romanorum, rex Germanorum, archidux Austriæ. 170 suos. *1. 2.* 176 Marm.] Libyca, Africana. 177 erynnis *1.* Erynnis *2.* 183 Quindecim milia lectissimorum equitum, secundum Bembum. 187 leones] Veneti. 195 Exaciunt *1.* 197 Pugnæ ad Abduam descriptio. Cf. Bemb. lib. VII. i. f. 202 presens *1.*

Ille aciem totam in Venetos direxit et illos
Disgregat et penetrans agmina densa secat.
Virtutis memores illi memoresque salutis
Pulchrius esse putant in fera bella mori:
Ergo inter cædes gaudent et tela virosque
Obicia perfringunt, dilacerant, laniant,
Intrepidique, ubi densa vident venabula, currunt:
Dant alternantes accipiuntque neces:
Pugnavere diu, sed ne morerentur inulti,
Fortia straverunt corpora multa hominum:
Tum vero audires ictus fremitusque cadentum:
Rheticus hinc, valles hinc tremuere Padi,
Donec Celta cohors Italumque exercitus omnis
Undantem hostili strage cruentat humum;
Corpora magna boum veluti prostrata videres,
Totaque insolito prata cruore natant.
Aut capti aut cæsi innumeri periere leones,
Se dedit infami cætera turba fugæ.
O Carmignolæ et clari Coleonis in armis,
Gaudete, o manes, impiger ultor adest.
O Rhagusæi, et Ligures super æquora cæsi
In bellis Venetis, vester hic ultor adest.
O cruce signati, qui sancta videre sepulchra
Vultis, at in Solymas iam patefacta via est:
Hic finis Veneti imperii, cecidere tyranni
Innumeri: nunc est libera terra, mare:
De te, magne leo, Regum Rex maximus albis
Quattuor in lauri fronde triumphat equis.
Nec vero te, sancte pater, te, maxime Iuli,
Altera belli huius gloria, prætercam:
Tu pepulisti armis Venetos ex urbe Ravenna
Atque Faventina Flaminiaque tua;
Tu rem Romanam magnis legionibus auges,
Clavigeri attollis dirruta templa Petri:

---

[203] dirrexit *1. 2.* [208] Obitia *1. 2.* dillacerant *1. 2.* [217] proſtracta *1.* [219] ceſi *1.* [221] Carmign.] Franciscum Bussonem Carmaniolensem ex infimo ordine natum a. 1390., deinde egregiis suis de Vicecomite Mediolanensi atque postquam in huius suspitionem odiumque inciderat, inde ab a. 1425. de Venetis meritis ad summos locos evectum Venetorum dux Franciscus Fuscarius post stipendia in conpluribus Italicis exercitibus merita cum decemviris iuri dicundo misere deceptum capite plectunt d. 5. Maii a. 1432. — Bartholomæus Coleonius Bergomas Venetorum copiis præfectus, quas sæpius, etiam contra Mediolani ducem Vicecomitem, ad victoriam duxit, reipublicæ Venetæ relictis 216000 ducatis decessit a. 1457., veneno extinctus, ut Helianus orat. §. 12. (supra p. 171.) rettulit. Cf. *Le Bret.* II. 2. §. 837. Ipso homine non incelebrior est statua equestris in honorem eius posita. [233] Damna hæc Veneti passi sunt omnia a. 1509. [234] Flamminiaque *1.* [236] De templi ædificatione cf. impr. Pasquill. et Exhort. ad principes, ne in decimæ præstationem consentiant.

Quondam fracta movet sub te tua Roma lacertos
Et veterum meminit fortia facta ducum,
Et stupet insolitos non in Iovis ire triumphos,
Ad Vaticani sed pia templa dei.
Nec vero iam te, Cæsar memorande, silebo,
Qui Rhenum in Venetos Danubiumque trahis,
Cuius in Euganeos Patavina ad mœnia campos
Alpinis fluvitant omnibus arma iugis;
Nec Tartesiacis ducens regnator ab oris
Usque a Cantabrico carbasa mille sinu,
Nec veteres hostes Ligures, nec Gallica vela:
Omnia turritis puppibus alta fremunt.
Sed vos, o proceres, qui iam vicisse putatis,
(Ingentes urit parva favilla domos)
Ite, triumphales infensa ad mœnia Reges:
Vincere laus prima est, altera scire frui:
Si Venetum vultis bellum nescire secundum,
Infestum ex ima vellite stirpe genus:
Distulit, et poterat Capitolia vertere Pœnus,
Et Graias Hector, si voluisset, opes:
Vivere privatus nescit qui publica rexit;
Sæpe rebellabant, sæpeque tela ferent;
Prævalidæ vires, immensa pecunia in urbe est:
Regna subornabunt ambitione, dolis:
Constantinæ urbis, veterum monimenta Quiritum
Hic sunt, et Cypri, fœnora, regis opes:
Dirripuere omnes, nemo illos, hic latet aurum,
Occiduæ hic latitant, hic orientis opes.
Per pontes in equis Venetam si intratis in urbem,
Nullæ iam Baiæ nullaque Abydos erunt:
Plus maris hic quanto est quam Sestus distet Abydo,
Vestra quidem tanto gloria maior erit.
Non tamen, o Veneti, deerunt solatia vobis,
Ne desperetis, gaudia vetra manent:
Sunt casses, hami nassæque tridensque, palustres
Sunt et quas arcu deiiciatis aves:
Non desunt gobi, rumbi, muli cocleæque
Cumque saginatis ostrea mugilibus:
Sunt fora, sunt merces, et avita pecunia terris
Abdita, sunt totidem carbasa, mille rates.
Dedite principibus veniamque oretis ab ipsis:
Prætorem mittent qui fora vestra reget:
Urbanis vacui curis ex æquore toto
Undique contractas puppe vehetis opes.

---

[242] dannubiũq; *1.* Dannubiumque *2.* [243] mẹnia *1.* [245] Tartesus s. Tartessus, extrema Hispaniæ Bæticæ urbs in ora freti Herculis, postea Carteja, nunc Tariffa. [246] Cant. sin.] Sinus Bajonnensis. [247] Lig.] Genuenses s. Ianuenses. [255] Pẹnus: *1.* Hannibal. [262] (fœnora) *2.* [267] Abido *1.2.* [273] Rumbi] rhombi.

Fortunam quicunque nequit tolerare secundam,
Adversam, nolit seu velit, ille feret:
Vos ergo ad proprias artes redeatis avorum,
Armaque et imperium linquite principibus.

AD VNIVERSOS GERMANIÆ PRINCIPES QVOD IVSTISSIMVM ET TOTI GERMANIÆ GLORIOSVM BELLVM CÆSARIS MAXIMILIANI CONTRA VENETOS NON ADIVVENT

QVERELA GERMANIÆ.

BEBELIVS AVCTOR.

O mea progenies dulcissima, Teutona pubes,
Accipias matris tristia verba tuæ:
Illa ego terrarum domitrix legumque verenda
Impositrix olim gentibus innumeris,
Cuius victrices aquilas, victricia signa
Pertulit eous occiduique duces,
Cuius et imperium tremuerunt omnia regna,
Servivit Gallus Romulidæque viri,
Lugeo nunc merito, dura cervice parentem
Quod me nunc, proceres, temnitis, atque duces:
Nam Venetus populus non iure aut fœdere motus
Imperio invasit debita regna meo,
Vulneribus quæsita meis et possidet arva,
Histrorum et segetes demetit Italicas.
Hæc repetens forti nunc Cæsar Maxmilianus
Milite metatur castra per Italiam,
Fœlicique manu summis in montibus arces
Subiugat atque urbes sub ditione tenet;
De Venetisque actum foret, auxiliis modo vestris
Adiutus vester si dominus fuerat,
Quem nunc deseritis, dum commoda, gloriam, honores
Nominis antiqui iura referre licet.
Quis furor, o gnati! quæ vox tam dira, nefanda,
Quæ tantum potuit consuluisse nefas?
Heu mihi, quo patriæ studium, quo decidit ardor?
Nobilibus quantum degeneramus avis!
Classica quin sonitent et adhuc Germania in armis
Fulgeat, imperii quo reparemus opes,
Aut male negligitur quæsitum sanguine multo
Maiorum imperium, gloria, fama, decus.

---

6 æous, *1.* 23 nephanda *2.* 26 Hæc fortasse aliaque Bebeliana non nulla inter causas scribendi carminis de non degeneri statu Germanorum Hutteno fuerunt.

AD VNIVERSOS GERMANIÆ PRINCIPES
ET MAXIME ELECTORES IMPERII
QVOD BELLVM IVSTISSIMVM ATQVE OMNIBVS GERMANIS GLORIOSVM
MAXIMILIANI CESARIS CHRISTIANISSIMI
ADIVVENT CONTRA VENETOS

COHORTATIO IPSIVS GERMANIÆ.

Surgite, vos proceres Germano sanguine nati,
Surgite, vos mater convocat ipsa pios;
Surgite nunc, patriæ fessis succurrite rebus,
Surgite de somno segnitieque, duces,
Sumite magnanimas mentes animosque parentum,
Qui pro me toties non timuere mori,
Et patrum reparate decus! nunc Itala regna
Eripite a Venetis imperiumque meum!
Surgite in imbelles homines, revocate quod olim
Abstulit, heu, Venetus proditione, dolo!
Pontifices primum Rheni, Princepsque Palati,
Surgite, bellaces, Saxoniæque domus:
Imperii nam communis patriæque salutis
Vos cura elegit Cæsari adesse manu:
Vos commune bonum et priscarum gloria rerum
Suscitat a somno, surgite, quæso, duces,
Imperium mundi quæsitum sanguine avorum et
Usque huc servatum si retinere placet,
Si libertatem priscam patriæque salutem,
Denique vel proprium si retinere focum.
Surgite nunc, proceres, propere: nam Teutona late
Nunc buxus resonat, classica arma vocant;
Maxmilianus item vocato ad nobile bellum,
Quo pariter vobis gloria, regna, salus:
Ille etenim Italiæ vobis iam claustra reclusit,
Imperii et veteres iam reparabit opes,
Si modo cum domino vestro mentemque virilem
Sumitis et galeam: surgite, quæso, duces!
Nec, qui perdiderat cum regno, Sardanapalum
Detineat luxus, pestis amara, virum.
Sunt et opes et equi vobis, sunt arma virique,
Tam iustam superi militiamque iuvant.
Quare, magnanimi, consurgite quæso, Alemanni:
Classica iam sonitant, Mars furit arma vocans:
Imperium aut, timeo, maiorum sanguine partum
Libertasque ruet (Dii prohibete nephas),
Ludibrio et prædæ fiet tunc Teutona pubes,
Quæ domitrix olim totius orbis erat.

¶ Ein freüntliche Warnung an die Venediger.

Venedig, ſych dich eben für
　　Dein hochmut würt geſtilt, glaub mir
Dein geyt, vñ üppig eytel eer
　　Mag nit vertragen bliben meer,
Auch ander dein unredlich that,
　　Wiewol die bitzhär gduldet hat
Der gyetig Gott nun lange zyt,
　　Dañocht kein beſſrũg bey dir lyt.
Bapſt, Keyſer darzů achteſt klein,
　　In eygnem gwalt vertréſt allein.
Venedig, ſych dich eben für.
　　Dañ dir die ſtraff ligt voꝛ der thür,
Durch Keyſer Maximilian.
　　Dein Chꝛonick würt dz ſchꝛibẽ an,
Vnd ſpꝛechẽ mancher. Wer hat das
　　Vermeint? etwan Venedig was
Beſitzen land, leüt, waſſers flůt,
　　Nun ligt es nider unbehůt,
Ein fiſcher hüttlin ellendklich.
　　Venedig, des verſych du dich.

Propter argumenti similitudinem præcedentibus poematis subicerem
VLRICHI DE HVTTEN
AD GERMANOS SVOS EXHORTATORIVM
de bello Turcis inferendo a. 1518. scriptum, quod incipit „Dormitum nimio plus est", nisi vol. V. p. 134. sq. legeretur.

AD REVERENDISSIMOS ET ILLVSTRISSIMOS

SACRI ROMANI IMPERII ELECTORES

RELIQVOSQVE INCLITOS

IN CONCILIO AVGVSTENSI

GERMANORVM PRINCIPES

CARMEN EXHORTATORIVM.

Diu est quod mihi persuasi inque dies certius cognovi nihil umquam scriptorum suorum præter epistulas quæ ab ipso inter Obscurorum virorum scriptæ sunt et Triumphum Capnionis qui ad illam contra theologistas expeditionem pertinet, Huttenum publicasse nisi auctoris nomine indicato, speroque tandem fore ut desinant eidem aliena viroque indigna (sunt autem Hutteno indigna etiam ingeniosissima lepidissimave omnia quæ non nisi per mendacium vel benevolenti animo adscriberentur ei) adiudicare, sive laudis viri extollendæ sive conviciandi hominis causa id faciant. Sane mira temeritas est et ἀκρισία, sed in non nullis circulatoria iactantia et ignorantia, qua Hutteno, sicui ali scriptori, ea quoque tribuere adhuc voluerunt quæ qui sani iudicii sint eidem non abiudicare non possunt. Qui quid hæc severa admonitio hic loci sibi velit ex me quærat, veniam dabit respondenti carmen quod sequitur me transcripsisse e libello cui recentior manus inscripsit '*aut. Ul. v. Hutten*'. Benivolentiam a lectoribus inmerito peterem, immo iniuriam eisdem facerem, si rationes, e quibus adnotatio ista falsa dicenda est, pluribus verbis exponerem. hi versus ab Huttenianis longe alienissimi sunt. Nec boni, tamen repetendi visi sunt; non tam ut caveatur ne in neglegentiæ crimen qui quæ recipere debuissem omisissem, apud eos inciderem qui hoc carmen Hutteni esse opinentur, quam quia documentum per se satis memorabile et ad Hutteni carminis exhortatorii interpretationem utile videbatur, præterea adhuc a nemine quem sciam aut repetitum aut ad Maximiliani imp. res gestas enarrandas adhibitum est. Prodiit autem libellus sine loci annive indicatione (Augustæ Vindelicorum, puto, anno 1510.) octo quadratis foliis, quorum altera et ultima paginæ a scriptura vacant, ceteræ singulæ tricenos versus habent, præter primam in qua nihil nisi hæc inscriptio est:

Ad Reuerendissimos et Illustrissimos sacri Romani Imperii Electores: Reliquos q; inclitos in concilio Augustensi Germanorũ Principes: Carmẽ exhortatoriũ:

De hoc conventu Trithemius in chronico Hirsaugiensi (S. Galli 1690. fol. II. p. 650.) „Anno MDX. conventus principum apud Augustam Rhætiorum anno præcedente per Maximilianum regem indictus ad festum Epiphaniæ celebratur: lente cœpit, sed diu duravit, a principio videlicet Ianuarii usque ad finem mensis Maii". Recessus quem vocant subscriptus est d. 22. Maii a. 1510. Extat in Sammlung der Reichsabschiede. Ff. 1747. fol. tom. II. p. 32. sqq. Subsidia ab imperatore contra Venetos officiosius promissa quam religiosius præstita sunt.

AD REVERENDISSIMOS ET ILLVSTRISSIMOS

SACRI ROMANI IMPERII ELECTORES

RELIQVOSQVE INCLITOS

IN CONCILIO AVGVSTENSI

GERMANORVM PRINCIPES

CARMEN EXHORTATORIVM.

Magnanimi proceres, quorum sapientia nostro
Non eget, et claris virtus exercita factis,
Consilio, tamen hæc propenso a corde clientis
Quæ veniunt humilis, quæ dictat opinio recti
Qualiacunque boni mea dicta, fidelia saltem,
Consulite atque imis admittite sensibus oro.
Inclyta præterito Germania tempore in unum
Sæpe super rerum variarum mole coivit:
Nullius ast adeo fuit expectata voluntas.
Huius ut est, quod nunc celebratur, et exitus almi
Concilii, quo nixa salus non unius urbis,
Non populi, at fidei pendet spes maxima nostræ,
Suspensæ quid vestra ferat sententia, nunquid
Publica res Christi revirescere debeat isto
Tempore vel nunquam: facile est emergere quam, si
Stirpe reciduntur quæ obstacula parva resistunt,
Et vos unanimes si sponte capessere tandem
Imperium et curam commissæ impendere moli
Vultis et antiquo maiorum more tueri:
Ad quod erant exempla satis vos prisca movere,
Sed promissa fides et toti debita mundo
Postulat, imperii Germanus origine postquam
Carolus a sacro meruit diadema Leone,
Redditus et sceptris ab Othone Gregorius ex quo
Principibus summus mandavit lege sacerdos

---

[7] preterito germania *1.* [8] Sepe *1.* [18] cõmisse *1.* [23] *Carolus M. a Leone III. die natalicio Christi a. 800. (801.) coronatus.* 24. sqq.] *ab Ottone III. Gregorius V., qui die ascensionis a. 996. illum Romæ coronaverat, mense Febr. a. 998., contra Crescentium consulem devictum sedi apostolicæ restituit, quam non uno anno post tenuit: moritur enim d. 4. Febr. a. 999. A Gregorio V. institutionem Electorum principum factam esse, quod Bellarminus etiam, nulla tamen ne pontificia quidem eiusmodi constitutione prolata contendit, olim credebant. contra quod cf. e. gr. Tractatum de translatione imperii Romani c. 7. ap. Goldast. Politica Imp. Ff. 1614. fol. 523. sqq. Vide etiam Bartholini orat. 1518. scr. §. 30. (vol. V. opp. Hutt. p. 255.) Rem exponit Pütter Spec. iur. publ. med. ævi de instauratione imperii Rom. c. XI.*

Et genti, quæ prompta fuit defendere honorem
Sedis apostolicæ totiensque per arma tueri,
Germanæ arbitrium ventura in secla creandi
Induperatores, ab eadem in fœdere tanto
Accepta iurante fide, fore semper ut illos
Viribus, auxilio atque armis opibusque iuvaret
In decus augusti sed culminis, inque salutem
Humani generis sanctæ et super omnia matris
Ecclesiæ, utque onere haud parvo constaret adeptus
Tantus honor (merito, neque enim sublimior ullus
Posset in orbe dari) tibi sic, Germania, iure
Cessit Roma suo, sic et tibi munere Tibris,
Rhene, datum nunquid retinere negabis honorem
Et regem fulcire tuum? cui quantus habetur
Cultus, adest laus tanta tibi: quantumque verentur
Illum, te metuunt omnes; quantumque favebis
Augustis, et tantus eris. Proh nominis olim
Cæsarei sublime decus, reverentia et ingens
Maiestas, diffusa polum per utrumque! timebat
Quod Scytha, quod Garamas, exhorruit ultima Thyle:
Decolor audito quo nomine palluit Indus:
Talene, bellipotens, sub te, Germania, nomen
Obduci patiere situ, tot regna, tot urbes
Totque duces complexa tuis in finibus? ergo
Par orbi quod Roma tulit cœloque locavit,
Te modo nunc tali tantaque tuente iacebit?
Reddidit et Tiberis quod formidabile mundo,
Innumero adiutus vilescere flumine tantus,
Rhene, feres? proceresne ferent cognomina Mogus
Dat quibus; atque tuis, vicina Colonia, ripis;
Trevir et antiquus; vel origine clarus Othonum
Saxo; Palatinus titulis et habere superbit
Te qui iure suis; Albimque locata Visurgum
Atque inter regio nunc Marchia nomine; cuique

[26] deffendere *1.* [28] Germanę: arbitrium et secla *1.* [29] federe *1.* [32] augusti culminis] *i. e. imperatorii.* [33] hum. gen.] *i. e. papæ. Iis ipsis fere diebus ante quos hoc carmen conpositum esse videtur, exeunte Februario anni 1510. Iulium II. cum Venetis pacem fœdusque contra Gallos fecisse constat.* [35] honor: merito *1.* [36] dari: tibi *1.* [42] eris: proh *1.* 42. sqq.] *Reges Germanorum inde a Cæsare Iulio Augustoque Octaviano deducere recepti moris fuit.* [44] Maiestas: diffusa polum *1.* [54] proceres] *septem electores conpellantur misere contortis transpositisque verbis, ut carmen sit quod carmen non est. Subscripserunt recessui imperii Uriel Erzbisch. zu Mainz, in Germanien Erzkanzler, Iacob Erzb. zu Trier in Gallien und Arelat Erzkanzler, Philipp Erzb. zu Cöln durch Italien Erzkanzler, Ludwig Pfalzgraf bey Rhein Erztruchsess, Friedrich Herzog zu Sachsen Erzmarschall, von wegen Markgraf Ioachim zu Brandenburg Eitelwolf von Stein Ritter, ꝛc. ꝛc.* cogn. dat quibus] *archiepiscopi Moguntini.* [56] *Trevirorum urbem annis 1300. ante Romam conditam fuisse a Trebeto Semiramidis filio somniabant.* [58] *Elector Palatinus est Comes Rheni.* [59] *Brandenburgensis.*

Paret inaccessis vallata Boemia silvis,
Quos penes est totidem Romanum condere regem,
Innumerique alii? quis non modo Teutona tellus
Principibus patriive lares privataque regna,
Sed latum mundi imperium, sed nititur omnis
Publica res Christi; pro quis vel obisse tuendis
Sit vestrum propriumque decus; quibus arma virosque
Nunc et equos, tormenta (data est occasio) et omnes
Promite iam longo non notas tempore vires;
Fundite iam longo cumulatos tempore census,
Et vestrum fulcite caput! reverentia vestri
Sit capitis primum vobis, quos deinde sequentur
Exemplo populi atque urbes imitataque regna
Quod leges, natura, boni moresque requirunt:
Quid foret auxilium, capiti si membra negarent
Dilapsus fuit unde vigor per membra? Quod estis
(Sit venia dictum cum vestra) in culmine tanto,
Quod tot opes, merito, lata ditione tenetis,
Plurima Romulidum num sunt ea munera regum?
Induperatorem qualem voluistis habetis,
Sed qualem nec habere piget, voluisse pigebit
Et nunquam, officio dum sic se ostendit in omni,
Ut magis optari nec quicquam a principe summo
Debeat aut possit; cuius vetor impare musa
Ire per ingentes laudes et origine tanta
Sive illustre genus seu fortia facta parentum
Dicere, et herois cultum virtutibus orbem.
At generi commune suo. privata coruscat
Gloria sed proh quanta, bonis dum fultus utrinque est
Corporis atque animi, neque parca indulserit illi
Se Fortuna: magis modo larga futura velitis:
Cui non divini est humana augustior oris
Maiestas, totoque decens in corpore forma,
Membrorumque vigor, validum patiensque laborum
Corpus et oblatum pro vobis sæpe periclis,
Pro decore imperii. Cui non miranda videtur
Dos animi, quæ sola sua est, prudentia solers
Ingeniumque capax, eventibus æqua secundis
Mens et in adversis eadem, quibus ille probatus
Non minus ut fulvum est fornacis ab igne metallum?
Additur his rerum mira experientia et ingens
Pacis et armorum rigidique peritia belli.
Quid memorem sit quanta viro clementia, qualis
Intemerata fides, servandi et fœdera cura
Quam gravis, et posita cunctis gravitate benignus,

---

60 in accessis *1.* 61 *Cf. Aurea bulla.* 70 caput] *imperatorem Maximilianum.* 75 Quod] ꝗ *1.* 77 Quod] Qđ *1.* 78 num] *an* non? *Cf. supra ad vv. 42. sqq.* 87 privata] *i. e. ipsi propria.* 93 Menbrorumqȝ *1.* 99 ut] *quam.* 103 federa *1.*

Largus et in meritos despecti prodigus auri?
Iustus, amans æqui, vitæ sine labe pudicæ?
Cui tanta in superos pietas tantusque deorum
Cultus, ut exemplo valeat cuicunque severo
Esse sacerdoti? Pro tantis dotibus unde
Nomen ab ingenita proprium bonitate meretur
Quod tenus hac uni Traiano contigit inter
Romulidum tot habere duces. at defuit illi
Relligio: tamen illa suos efferre superbis
Est aliis meritos titulis gavisa vetustas,
Dum Magnos Faustosque vocat Patriæque parentes,
Abque triumphata ponit cognomina terra.
Sed præbet meruisse modum: nam tempore prisco
Aut consulta patrum venerandi et iussa senatus
Imperium, vel castra, dabant, milesque legebat
Dilectos quoscunque sibi, quibus inde favebat,
Resque ministrabat bellorum publica nervos:
Propterea magnis adsciscere nomina factis
Et potuere suas ad sidera tollere gentes.
Non minus hic Patriæ pater est, modo cura parenti
Sit patriæ natisque suo parere; sed idem
Et Fœlix et Magnus erit, si vultis, et idem
Mox Venetus, post Turcus erit, geminoque triumphum
Ducet ab hoste, pari referens par, quando trophæis
Intulit et vestrum Romana potentia nomen,
Cuius atrox parti successit Turcus, et ipsa
Urbs Venetum alterius vult æmula vana videri
Irridetque procax ad te, Germania, tantum
Translatum imperium, cui iugera quatuor agri
Vix subiecta refert, quæ se parere recusat,
Unica Cæsareis terrarum obnoxia nunquam
Legibus, occiduo quæ nec concessit eoo
In partem imperio, nec matris dotibus almæ
Ecclesiæ, quæ stare sua se mole suasque

---

[106] uite *1.* [111] cf. Plin. paneg. 88. Eutrop. VIII. 5. (Dio Cass. LXVIII. 23.) [113] Relligio] *scilicet Christianus non fuit, nec favebat Christianis lex contra hetærias lata.* Plin. Epp. X. 97. sq. Euseb. H. E. IV. 1. sq. ramen *1.* [116] *Africanus, Asiaticus, Germanicus, Francicus et c.* [117] prebet *1.* [121] *Res publica ut pecuniam daret, prima fere ad concilia imperialia rogatio fuit.* [121] hic] *Maximilianus.* [125] parcere *1.* *Cf.vv. 114. sqq.* [128] tropheis *1.* [131] emula *1.* [134] quæ] cui *1.* [136] *Venetias non paruisse imperatoribus orientalibus, cum reliquas fere omnes Italiæ partes ii tenerent, vulgatum magis quam verum est. De gloria Venetorum se semper suæ potestatis fuisse legitur in* Art de vérifier les dates: „Mais cette prétention est réfutée par M. de Saint-Marc, qui prouve, par des exemples multipliés, que Venise à été non seulement soumise aux empereurs grecs, mais qu'elle à été aussi sous la dépendance des rois Goths, et donne même lieu de soupçonner qu'elle ne fut pas absolument étrangère à l'empire d'Occident". *Urbs inde ab exeunte sæc. VII. suos duces habebat.*

Iactat io! terra posuisse in virgine sedes.
Quis ferat hæc? Sed sunt graviora: quis obstitit olim
Semper et huic vestro imperio magis urbe superba
Adriaca? ex illo iam tum quæ invisa Pipino
Et devicta fuit, quamvis neget, et tamen illam
Induperatrici Magnus concessit Ireni
Carolus, Italia divisa, aut pone secuto
Nicephoro; huic Primus toto commertia regno
Interdixit Otho, iusta succensus ab ira;
Nec minus Henrico a quarto diversa notata est,
Atque aliis: odio sed enim patefecit habenas
Ausa palam sese Friderico opponere primo,
Falsaque captivi mentiri vincula Othonis,
Atque ita mentitos æterna in sæcla triumphos
Pingere tam celebri spectandos parte superbæ
Urbis, ab imbelli Germanica rostra leone
Mersa mari fusasque rates, fluitantia signa

---

[139] *i. e. insolenter exclamantes Venetiani gloriosius de se prædicant sedes se posuisse, urbem suam condidisse, in terra virgine, hoc est in solo antea ab hominibus non occupato.* [142. sqq.] *Post varia a Pipino Italiæ rege, Caroli M. filio, cum Venetis Græcisque inde ab anno 809. commissa prælia ille ad unam omnes Venetas insulas cepit a. 810., qui regis supremus fuit. quo mortuo Carolus M. inita cum Nicephoro Patricio imp. CP., non ita longe post a Bulgaris fuso occisoque, pace eidem illas insulas permisit. Ducibus Venetianis Obelerio cum fratribus hæc gesta sunt. Itaque non Irenæ, Constantini Copronymi uxori, imperatorumque Leonis Chazari huiusque successoris Constantini V. matri crudeli, quæ post filium interemptum quinque fere annos sola regnavit, donec a. 802. a Nicephoro illo in Lesbum insulam relegaretur, ubi d. 9. Aug. a. 803. exspiravit, sed huic monstro* pone secuto Nicephoro *Carolus M. Venetos* concessit. *Qui Nicephorus, cum ab anno 802. usque ad medium fere annum 811., vitæ suæ novissimum, imperii orientalis partes magis depavisset quam regnasset, a carminis conpositore aperte confunditur cum Nicephoro Phoca, qui a. 963...369. in partibus Orientis regnavit: nam* huic Otto I. toto regno commercia interdixit: *eius filiam Theophaniam imperator Saxo filio suo Ottoni II. in matrimonium poposcerat, concessam autem cum Græci perfide interemptis Ottonis ad excipiendam nurum missis legatis militibusque Constantinopolim reduxissent, exercitum orientalem in Calabris devicit a. 969.* [148] a. 1091. [149. sqq.] *Hæc referenda esse videntur ad a. 1177. cum Fridericus I. cum Alexandro PP. III. Venetiis, postquam harum dux Sebastianus Zianus navibus imperialibus devictis Ottonem imperatoris filium captivum secum duxisset, pacem iniret; ubi pontificem pedes Cæsaris cervici inposuisse postea narraverunt, cuius superbiæ descriptionem pictam Veneti deinde publice proposuerunt, Romani autem anno 1768. Iosepho II. transcriptum exemplum conspiciendum ostenderunt, ut dolorem ei inurerent; at Cæsar stultum mendacium stultosque mendaces derisit. Cf. Heinrichii Teutsche Reichsgesch. vol. 3. p. 157. Ceterum 'captivi Ottonis (imperatoris filii) vincula' ipsa falsa esse inter recentiores constat. Vide Raumeri Hohenstaufen vol. 2. p. 204.* [152] secla *1.* [154] Germ. rostra] *naves imperatoris.* leone] *s. Marci Venetorum, alato ab eodem duce Ziano in ripa maritima, cui hodieque Piazetta nomen est, erecto.*

Et fractas aquilas, plena æquora transtraque vestri
Sanguinis, et Veneto præbentes terga Suevos,
Captivumque ducem. Tumidæ o iactantia gentis!
Tale nec erexit superato Græcia Xerxe,
Nec totiens victa Carthagine Roma trophæum:
An nisi invidiam Germani culminis, ingens
Dedecus in vestrum quis talia pinxerit? Ite,
Ite, viri, antiquæ si vos virtutis imago
Ulla movet, si tangit honos, si gloria parti
Imperii! non ista gravi vel clade vel armis,
Gentis at extremis inimicæ abolete ruinis,
Cui neque sat vobis se infensam ostendere inani
Ambitione fuit, petulanti et lædere lingua
Sæpeque ceu victos mendacibus addere fastis,
Sed progressa suis paulatim astuta lacunis
Consilio, arte, dolis et proditione vel auro
Dempsit ab imperio loca tot potiora sub ipsis
Alpibus Italiæ, atque adeundi regibus illam
Interclusit iter; sæclumque revolvitur ex quo
Exitiale iugum patiuntur et oppida clamant
Pressa 'Veni, Cæsar, tua iam tibi vendicet ensis!'
Siccine colluvies hominum piperisque redemptor
Sordidus, omnigenæ sic navita mercis, avarus
Institor enormique marinus gutture mergus
Nobilium regnator erit? dominabitur ergo
Degener atque omni solitus servire lucello?
Non bene conveniunt vilis mercator et idem
Nobilis et princeps. Proh lumina cæca potentum!
Nonne vident, animum quo dirigat illa malignum
Callida gens, toti quæ aspirat et imminet orbi,
Concipit atque avido Romanam pectore molem?
Unde est principibus cunctis inimica, tyrannos
Quos vocat, inque suis secura paludibus omnes
Despicit, haud sibi iam mortales, sed neque cælum
Posse nocere putans, congesto fidere in auro
Sueta, manente eodem semperque tenore suorum,
Incrementa quibus discordia regna fuerunt
Alternoque duces exhausti marte Latini;
Reddidit et nisi quos iactura aliena potentes,
Semper in interitu regum est spes maxima quorum
Posse aliquid tuto, dum carpere tempora captant,

[156] aquilas] *imperiales.* [157] prebentes *1.* Suevos] *exercitum navalem imperatoris.* [158] ducem] *Ottonem, imperatoris filium.* [159] grecia Xerfe *1.* [160] tropheum *1.* [161] culmiuis *1. imperatoris.* [162] vestrum] *principum Germaniæ.* [168] ledere *1.* [169] Sepęqȝ *1.* mendacibus fastis] *quibus hoc sæculum* Bulletinorum *nomen adinvenit.* [170] lacunis] *Lagunen.* [173] regibus] *Germanorum Italiam petentibus.* [174] secl. revolv.] *Sub duce Francisco Fuscario Mediolanensibus territoria Bergomense, Cremonense, Brixiense bello ademerunt. Carmaniolæ maxime virtute, a. 1426. sq.* [175] Exitalie *1.* [183] ceca *1.* [187] tirannos *1.*

'Intestina serunt odia et mala prælia reges
Inter alunt ideo: neque enim bella ulla tot annis
Videre Ausonii, Venetis non unde lucrari
Contigerit, solitis nec aperto vincere marte
Raraque collatis audere pericula signis.
'Fulsit ab his quondam fidei tutela sed, almæ
Relligionis erant et propugnacula nostræ'.
Forsitan antiquo fuit hoc, quo ceperat illos
Tempore nondum aliis dominandi effrena libido,
Cum stagnis contenta suis operosa iuventus
Duceret assiduas longinqua per æquora merces,
Utilis et solum sulcaret Nerea classis:
Fœlix si monitis Ioachini intenta prophetæ

---

[197] prelia *1.* [203] nostre *1.* [204] cœperat *1.* [205] nundum *1.* [208] Nerea] *mare.* [209] prophete *1. cf. Hutteni Marcum v.* 104. *Quid diceret si ponte Venetias adhuc Austriacas cum vicina terra iunctas hodie videret? Diceret 'fuit ingens gloria'.* Ioach.] *Huius prophetæ Ioachimi, abbatis de Curatio in Calabria, ordinis Cisterciensis atque fundatoris Florensis monasterii institutorisque congregationis Florensis, cuius librum contra Petrum Lombardum Innocentius III. in concilio Lateranensi a. 1215. habito (cap. 2. Decretalium Gregor. IX. De summa trinitate 1, 1.) reprobavit, cuiusque sectatores, Ioachimitæ, in concilio Arelatensi (a. 1260.) hæreseos damnati sunt, defuncti anno 1201.* (Fabric. *Bibl. Lat. med. avi tom. IV. 8⁰. p. 107...113.*), *inter Bonaventuræ comites mentio facta est in Dantis paradiso (XII. 139. sqq.):*

Raban e quivi e lucemi dal lato
Il Calavrese abate Giovacchino,
Di spirito profetico dotato.

Multa de prophetiis Ioachimi quæ tum in commentariis ipsius ad prophetas et apocalypsin scriptis, tum in Gerardi Introductorio in evangelium æternum continentur, etiam Veneti scriptores passim enarrant. quæ h. l. memoratur repetita est in libello e Gallico Nicolai Mengin Nanceiensis Germanice edito, sic inscripto „Venediger Chronica. | Mit angezöigtē vrsachē des schäd=|lichē Kryegs, do mit sye biß | här vō Römischer Key. | Maiestát so schwär|lich gestrafft seind. (constat foliis 22. in 4⁰.), *ubi pag.* aij *hæc leguntur:* „.. das ist mir kundt, das im jar M.D.vj. in den Pfingstfeyrtagē, als ich zů Venedig was, ward mir gesagt, dz der abt Joachim vß Calabria, des geists vol weyssagung was, vñ im jar M.CC. gezalt gelebt, den Venedigeren jren abfall so wir yetzunt sehen geweyssaget hett, vnd solichs mit zweyen fliegenden lewen figuriert, die sye in jrem wapen fúren. Die selbigenn er jnen in marmelstein im pauiment sanct Marx kirchen daselbst hawen, vnd abcōtrafeyen liessß. Der ein lew was grossß, dick vñ vfferhaben, vnd erscheyn gleichsam er mit dem gantzen leib vff den vnden des mōres wattē oder schwimē wolt, vßgenōmen dz die vorder fůsß vff das erdtrich reychten. Der ander lew lag als lang er was vff der erden gestreckt; allein dz jm die hinderstē fůsß im wasser stůden. der selbig was aber mager vnd gantz vngestalt. Also begerten die Venediger vō gemeltem abt Joachim, die bedeütung vnd vßlegung solicher bildnuß zůwissen. Do saget er jnen, dz sye (als lang sye die herschung des mōres behielten) nit vil kryeg oder widerwillen mitt einichem christlichen fürsten haben, sonder würden zů glückseligem stanndt vffgeen, vnd sich hōchlich an narung vnd reychtumben meren. vnd das wer die bedeütnuß des erstē lewens. Aber alsbald sye die selbig schiffung des mōres verliessen, vnd sich vff das land setzten, eim yeden das sein zů vsurpieren vnd zůnemen,

Nunquam vicinæ tetigisset littora terræ;
Et tamen illorum nimia atque superba simultas
Cum Ligure amissi fuit improba causa sepulcri,
Sæpius et magnos interrupere potentum
Conatus sancta pro relligione, negantes
Auxilium, ingenti nisi conditione redemptum;
Dumque opulenta suo male tutaque littora ductu
Radere maioris malunt dulcedine lucri
Intenduntque magis spoliis et rebus emendis
Direptis precio peregrino a milite parvo
Quam Christi auxiliis, in quem manifesta voluntas
Tunc patuit, sedes a deo quando inclita ab illis
Byzantina capi est permissa volentibus urbis
Præbita ope imperium, sed eorum tanta negaret
Velle subire iugum: cernebant æquora velis
(Proh dolor) Adriacis miseri plena omnia cives
Tendebantque manus ad proxima carbasa; at illi
Stabant immotis ferro retinente carinis,
Cumque obsessa ferus laceraret mœnia Turcus,
Impia spectabat non fanda per ocia classis.
Ex illo solita est plus tempore parta tueri
Proque suis valido contendere finibus hosti
Quam pugnare fide pro Christi. at fœdera inire
Nil et amicitias verita est cum gente nephanda
Communem in regesque inimicum impellere nostros,
Finibus ut Calabris novit memorabilis Idruns.
Tollere sueta mari commertia, et omnibus undis,
Præsertim Adriacis vectigal ponere, quarum
Se quoque naturæ transversa lege maritum
Fert Venetus sponsamque sibi Mare vana quotannis

---

alſdañ ſo würden ſye der allergroßmächtigſtē künig vnd fürſten haſß vnd vnwillen (von welchen ſye gar zů verderben vnd abfalle kämen) vff ſich laden. das jnen alſo bey dem anderē lewen bedeütet wer. Nun iſt menigklichen zůwiſſen, dz jnen die ſchiffung der Specereye vom künig von Portugal entnomen iſt. So habē ſich die ſelbigen Venediger allwegen etwas vff das erdtrich an ſich zůziehen vnd zůüberkūmen befliſſen vnd vnderſtanden. Darumb jnen yetzund die ſelbe offenbarūg gar an das liecht kūmen iſt. Ob aber ſolche ding durch den geiſt der Propheten pronūciert worden ſeyen, oder nit, wil ich nit beſtätigen." [212] Ligure] *Genuensibus. Hæc bella sub duce Rainero Zenone a. 1258. exardere cœperunt.* āmiſſi *1.* [220. sqq.] *Cum Constantinopolim Mahumetus II. a. 1453. caperet, Veneti sub præfecto Iacobo Loredano auxilium Byzantinis laturi post tempus advenerunt. Mahumetus Venetos multos Constantinopoli tum mercaturam agentes in vincula necemque coniecit. cf. etiam Helianum.* [221] adeo *1.* [222] Bizantina *1.* [223] Prebita *1.* [232] federa *1. Ita e. gr. dux Ioannes Mocenicus a. 1479. cum Mahumeto II. et dux Leonardus Lauredanus cum Baiazetho II. a. 1501. pacem inierunt.* [235] Hydrus, *Otranto. Anno 1480. Augusto mense Hydrus a Turcis capta et crudeliter direpta est, cum Rhodum insulam Mahumetus II. expugnaret. Cf. etiam Helian.* [237] Presertim *1.* quarum] *Desponsatio ducis Venetorum cum Hadriatico mari non ex donatione Alexandri PP. III. sed inde a fine sæc. X. sub duce Petro Urseolo II. in usu fuit.*

Annulo et Urbs illud per vincla iugalia nectit,
Quale nec ulla ferunt mendatia Graia, nec ulla
Fabula prodigium: tua sit, Neptune, tridente
Pro sexu certare tuo, pro fœmina haberis
Saltem apud Adriacos. prætextu hoc attamen illa
Usurpat gens sancta sinum, nec parcit amatæ
Sedis apostolicæ ditioni, at plurima ademit
Iam loca pontifici pia filia: forte regendi
Ne senior tantas oneri succumberet urbes:
Ecclesiæ et totiens turbavit amica quietem
Hactenus ob sua ter benefacta anathemate vincta.
At nunc supplicibus pacem illa miserrima votis
Orat, et addictam fore se promittit honori
Post hac Cæsareo, facturam et cuncta libenter
Quæ Cæsar proceresque velint, modo copia fandi
Detur et audiri valeat; dimittitur ulla
Urbs neque iampridem Germanica libera quam non
Ambiat, et vobis, proceres, ingentia de se
Spondet, adulatur, suadet, blanditur et offert,
Edocet a sociisque cavenda pericula vestris
Regibus, et commenta refert miranda Pelasgis
Artibus, inter vos unquam si posset oriri
Seditio, quæ sola via est sibi lecta salutis.
Interea bello se accingit et undique contra
Arma parat (referam neve inveterata sub istis
Blanditiis verbisque bonis speticque futuræ
Pacis, ut Euganeam prius interceperit urbem
Et sic adempta pari Vicentia fraude, tot arcto
Carcere ductores clausi vestrique fideles
Tot crucis infanda Patavini morte necati)
Veronæ insidias iam iam molitur, et instat
Continuo, et miseros populatur classibus Histros
Et ferro flammisque Forum consumit Iuli:
Atque ita nunc etiam simulatrix callida vobis
Verba dabit vulpis? numquam vitare licebit
Sirenum cantus expertaque pocula Circes?
Illane fallaci lociens evadere lingua
Consiliisne suis et nunc quoque abire valebit
Insuperata dolis? Quod si datur, accipe tanquam

---

[215] sinum] *Venetum s. Veneticum.* [246] *Secundum fœdus Cameracense Venetiani cogendi erant ut pontifici max. restituerent Ravennam, Cerviam, Faventiam, Ariminum, et quæ iam sub ditione papali tum fuerunt, Imolam ac Cesenam.* [251] *Cf. Hutteni ad Maxim. exhort. contra Venetos, init. de pace suppliciter Bassani m. Iulio a. 1509. ab imperatore petita.* [260 sq.] Pel. art.] *dolis Græcis.* [266] *Patavium. Cf. Helian. Venetiani sub Grittio Patavium d. 17. Iul. a. 1509. recuperaverunt.* [267] *D. 15. Nov. Vicentiam cepit comes Pitilianus Veronamque obsedit.* [269] in fanda *1.* [270] *Cf. Helian.* [271] *Hieronymus Contarinus classi præfectus erat, Alvianus et Cornarus exercitum ducebant. Cf. v. 319.* [272] cofūmit *1.* [275] Syrenum *1.*

Nostra Sibyllino venientia carmina ab ore,
Illa tibi, oppressa Italia, Germania tandem
Iura dabit, victo et dominabitur Adria Rheno.
Quid foret Adriaco si Nursia forte leoni
Nuper in ancipiti cum Gallo marte potenti
Favisset? tenus hac illi num Insubria dives
Cessisset, Latioque urbes retineret in omni
Tot prius oppressas aliasque recenter adeptas?
At tecum non ille Foro contentus Iuli
Carnorumque iugis et pauperis arce Liburni
Castra Tridentinis posuisset mœnibus ultro
Pictus, et Alpina quacunque in sede maneret,
Ut tibi noluerit fors nunc Augusta timeri
Ob studium simile, et commertia mutua rerum,
Claustra tamen cunctis munisset in Alpibus, unde
Ipsi aditus, vobis ad se via nulla pateret.
Et quid plura feram? quæ non tentastis, ut illum
In rectum traheretis iter? quæ non fuit ingens
Conditio genti per vos oblata superbæ?
Subdola quam longo suspensos tempore verbis
Ambiguis tenuit vos, et quam sæpe paratos
Est frustrata dolis, quibus hactenus illa moratur
Vestrum iter ad tanti capienda insignia regni?
En modo, se se offert dum vestro in fœdera regi,
In Latiumque sagax invitat, et allicit omni
Ingenio, num mox deludit, et additur hosti
Perfida, et iniustis venientem submovet armis
Et vetat Italia Romanum insistere regem?
Quin magis, o facinus (prohibet dolor edere) acerbum!
Effera Teutonico se sanguine proluit alto,
Exsaturatque sitim iuga per Cadubrina cruore
Cæsorum: et tantus remanebit sanguis inultus?
Adde tot incensas arces direptaque vestræ
Oppida ab immani ditionis milite, tanta
Sævitia atque odio Turca nec ab hoste ferendo.
Quid referam (narrare pudet) Germanica quanto
Derisu fuerit populo gens inclita vili,
Quæ voces, quis plausus erat, quæ sibila vulgi,
Si foret aspectus quis tunc Alamanus ab illo,
Cum fuit insana susceptus ab urbe triumphi

---

[279] ſibillino *1.* [282] Nursia] *in Sabinis.* i. e. *pontificis max. exercitus.* Adr. leoni] *Venetis.* [283] in ancip. m.] *i. e. in pugna ad Abduam apud* Agnadello cf. ad v. 331. *Mediolanum.* [285] Ceſiſſet? *1.* [287] *Friaul.* [288] *Karnische Alpen.* arc. Liburni] *Capo d'Istria? an Fiume, an Pola?* [290] Pictus] *Pitilianus?* [302] federa *1.* [306] *Maximilianum cum exercitu transire per Venetorum territorium hi vetabant. Cf. Hutt. exhort. init.* [309] *Cadorische Alpen.* [313] Seuitia *1.* [317] quis] quia *habet 1.* [318] *Triumphus Alviano post devictum imperatorii exercitus ducem Sixtum Trautsonem decretus et multo Germanorum ludibrio m. Iunio a. 1508. actus Maximilianum mire offendit.* Cf. Guicciard. VIII. p. 212.

More velut victis rediens Cornarius Histris
Cum duce Pygmæo? quot secum inversa trahebant
Dedecus in vestrum Germanica signa, quot altis
Turribus avulsas aquilas, quibus ille trophæum est
Erigere in propriis temerarius ædibus ausus?
Edita quæ fuerint et quæ spectacula in illis,
Qui ludi et choreæ, quæ cena infanda? quot illic
Iactata (heu dicam) caput in iocularia vestrum?
An satis hoc? quod, sueta foret si marte virili
Vincere, et insigni venisset gloria facto,
Victrici fuerat forsan tolerabile parti,
Non improviso cum milite pugna fuisset
Tradita cunte fide paulo ante, nec impare tantum
Cum numero, vix mille, decem cum cæsa fuerunt
Millibus et nullo direpta et capta tuente
Tot loca: laus ingens, facinus memorabile! cuius
Iam piget auctores, olim et meminisse dolebit,
Nunc quoque qui (o superi) tot fracti cladibus audent
Pingere mandentes victricia signa leones,
Et laceras aquilas, et amici lilia Galli,
Canticaque impressis mordacia pandere cartis.
Naturæ vitium et Veneti genuina procacis
Est inimicicia hæc tecum, Germania, cui tu
Et regum est despectus honos: sic evomat omne
Virus et effundat per inania verba malignum
In te animum; tu vince manu, tu contude factis
Cervicis duræ populum, tu pelle tyrannos,
Nobilium qui nomen habent, pravumque senatum!
Utque triumphatum pelago mentitur Othonem,
Tu quoque vince mari: neque enim sine puppibus illum
Est superare datum: parvo molimine classis
Corruet, et trepida nascetur in urbe tumultus.
Quæ decora inde tibi, quales orientur honores,
Gloria quanta tuum nomen laudesque manebunt;
Teutona se quantis attollet terra triumphis,
Res quoque quam poterit lætari publica Christi,
Cui domitis aditus ad maxima facta patebunt
Adriacis, toto postquam discordia regno
Christicolum duce te fuerit sublata, fovebant
Quam Veneti! Interea ne sanctæ vincula pacis,
Nexa trium regum cœlesti vincula dextra,
Arte aliqua iniecta vel suspicione vel astu
Dissolvantque dolis neu fœdera tanta caveto:
Nam nisi tale nephas vapido nil pectore versant,

---

319 Cf. v. 271. 320 pigmeo *1.* *Alviano?* cf. supra vv. 271. sq. 322 tropheum *1.* 329 tolerabīle *1.* 331 *De pugna apud* Agnadello *sive* Vaila *sive* Ghiara d'Adda *d. 14. Maii a. 1509. intellego.* 337 uicttricia *1.* 340 Nature *1.* 346 qui *1.* 347 *Cf. supra vv. 146. sq. 151.* 358 pacis] *fœderis Cameracensis.* 359 trium regum] *Maximiliani, Ferdinandi catholici, Ludovici XII.* 360 in iecta *1.*

Nec se aliter norunt evadere posse periclum;
Vel si alius cupiat, quicunque sit ille, trisulco
Fulmine tartareas adigatur iniquus ad umbras.
Qui fidei inter se committere culmina nostræ
Cogitet et plus quam civilia bella movere,
Nec sat Christigenam mutilatam extinguere gentem,
Quam decet in populos post hæc animare nephandos
Turcarum, quæ stante satis sit fœdere Mauros
Vincere et imbellum Sulthanum avertere Memphi,
Almaque ferre crucis totum vexilla per orbem:
Et quando illa fuit, quo tempore talis ab annis
Pluribus armipotens adeo atque opulenta paratis
Classibus et tanto molimine tormentorum,
Et sibi tam unanimis divino et numine concors?
Dividere hanc aliqua ex Erebo fera quæret Erinnys?
Summe deus, propria pereuntis morte redemptor
Humani generis, venerabile fœda sepulcrum
Cuius barbaries horrendi et numinis antrum
Possidet, ut saltem tua gens a faucibus illud
Eripiat nunc apta canum, prohibe, optime, dirum
Hoc scelus, arma tuos inter populosque ducesque
Intestina veta, et concordia fœdera serva:
Nulla Acheronteo perfundere felle Megæra,
Nulla venenata dissolvere vipera lingua,
Nec valeant temerare doli, violare nec artes,
Nec mala consiliis noceant figmenta malignis.
Sint tres unanimes, eademque in corpore terno
Mens, animus, spes, vita, salus, sors, cura, voluntas!

---

366 multilatam *1.* 371 Sultanum] *Aegypti, Kansu algouri, moritur in pugna Aleppensi anno 1516.* 377 erinnis? *1.* 385 megera: *1.* 388 figmęnta *1.* 389 *Cf. v. 359.* 390 uoluntas: *1.*

VLRICHI DE HVTTEN
EQVITIS GERMANI
AD CÆSAREM MAXIMILIANVM
EPIGRAMMATVM
LIBER VNVS.

ADIECIMVS
PRO ARA CORITIANA ET DE STATV ROMANO
ALIAQVE VARIA EPIGRAMMATA.



Hutteni ad epigrammata, qua Cæsari, ut legat, aut non legat etiam, saltem habeat hunc librum, eum conmendat, præfatio videnda est vol. I. p. 234. sq.

De prioribus exemplis maxime videatur Index bibl. Hutt. num. XX. p. 34* sqq. Non nulla epigrammata, i. e. quæ nostro exemplo sunt 18^a, 18^b, 123, 124, 66, 65, 27, 122, 113. cum tribus Aperbachianis ad 124. repetitis alioque 'De Cancro a florentinis picto' ad 113. infra repetito, primum Eobanus Hessus vulgaverat a. 1516. exemplo adcuratius Ind. bibl. Hutt. num. XI. 2. p. 14*. descripto, in cuius fronte hoc epigramma legitur

LECTORIBVS.

Et quæ videtis, ante visa sunt nusquam,
Et quæ legetis, ante lecta sunt nusquam:
Quicunque perlegetis ista, lectores,
Brevi libello scripta quæ damus, passim
Legenda vulgo, perdar et misere vivam,
Si lecta non amabitis. Satis dictum est.

E. H.

Modo enumeratis epigrammatis ipsis hæc præfatus est: „Addidimus hoc loco, „candide lector, quædam Hutteni Epigrammata ad eam rem, de qua nunc scri-„psimus, pertinentia, ut simul appareret, quantum et vir ille Germano nomini „(in quo natus est) tribuat, et nostrum in consequenda tua gratia studium, si „istarum rerum te, quas longe selectissimas habemus, participem faceremus". Tum post illud 'De Cancro a florentinis picto' sequitur 'Eobani Hessi Appendix. Ad Poetas Sui temporis', quod hexastichon dedimus vol. I. p. 123.; novissimum locum Hessus dedit suo

In Barbarum Detractorem.

Iam nunc, Barbare, si libet,
Clames ad populum licet
'Nugas en iterum novas
'Insulsas et inutiles!'
Heus tu! non prius aspicis
Quam sis prorsus inutilis,
Quam damnes ea quæ tibi
Non quisquam nitido pedo
Inculcaverit Hercules:
Sed, quem nos celebravimus,
Cæsar tam prior omnibus
Est et fortibus et bonis,
Quam tu peior es omnibus
Et vecordibus et malis.

De Francofurtensi ab eodem Eobano, ut recte puto fertur, a. 1538. edito Hutteni operum poeticorum exemplo (Ind. bibl. Hutt. num. XX. 2. sive L.) non dicerem quam neglegenter factum est, nisi sequentes editores clausis oculis illud secuti essent vitiaque, ut fit, auxissent. Gruterus (Ind. bibl. Hutt. num. XX. 3.) præterea permulta epigrammata ab Hesso repetita plane omisit, desunt enim 'Delitiis poet. Germ.' ex Huttenianis ad Maximilianum quæ dedimus, hæc quadraginta: 8, 11, 12, 16, 17, 18^a, 22, 26, 32, 33, 44, 46, 55, 63, 78, 81, 82, 86, 88, 89, 90, 91, 94, 96, 101, 102, 105, 118, (123, quod non nisi in exemplo a. 1516. edito extat) 125, 129, 131, 132, 134, 135, 136, 139, 143, 148, 151, desunt item Epitaphium Iulii II., ex Coritianis 2, 4, et de statu Romano 5, 7, 9, 10, 11, 12, 13, 15.

Ordinem epigrammatum eum servavi quem auctor exemplo Augustensi (Ind. bibl. Hutt. XX. 1.) ipse instituerat, adcuratius autem quam Hessus fecerat, immo facere omnino neglexerat, diversas huius collectionis particulas singulis etiam suos numeros adponendo distinxi, ne varia argumenta conpositionisque tempora inconposita perturbatione obscurarentur. nam egregie ad historiam sui temporis, præcipue bellorum contra Venetos gestorum plenius cognoscendam faciunt hæc epigrammata, quamvis ipsa huius historiæ descriptionem minime contineant: carmina scripsit Huttenus, non annales: 'sunt Epigrammata (ipse auctor dicit 'vol. I. p. 234. §. 6.) varie diversis locis ac temporibus in tuas *[Maximiliani Cæsa-'ris]* scilicet victorias, aut ut quodque obiectum est quod vel ipse vidi, quibus-'dam etiam interfui, vel aliorum relatione gestum cognovi'.

AD

CÆSAREM MAXIMILIANVM

EPIGRAMMATVM

LIBER VNVS.

1. AD LIBRVM.

Ne prodi titulo ampliore rebus,
Picta fronte, nitore liminari,
Ut fallas populum, liber, sub auras:
Multos vidi ego sic superbientes
Scombris et piperi togas dedisse:
Exi simpliciter citraque pompam.

2. DE SE.

Francia cui patria est, gelidam porrecta sub arcton,
Hercyniumque nemus, qua vitifer exit in amnem
Mogus, Rhene, tuum, qua Fagina sylva feroces
Francorum populos vicino dirimit Hesso;
Cui pater Huttenus atque ordine mater eodem
Contigit ex Equitum, tractu tentavit in illo
Caesareas pugnas perĕgrino inscribere versu.
Itale, da veniam, si se haud fœliciter infert
Cultibus ille tuis: certe acceptum ipse tulisset
Vatibus Ausoniis, si quem meruisset honorem.

---

1. [1] Trebelii Rhagiique discipulus hendecasyllaba ad frontem calcemve librorum amat. [2] Exempli quod ineunte a. 1519. Augustæ Vind. prodiit, frons s. titulus q. v. xylographicis ornamentis, non nimis nitentibus, circumdatus est. [5] cf. Catull. XCV. 8. Horat. epist. II. 1. i. f. Martial. epigr. IV. 87, 9. („Nec scombris tunicas dabis molestas".) III. 50. Pers. sat. I. 43. („scombros metuentia carmina"). [6] citra p.] Pro symbolo his verbis uti Huttenus postea desiit „Sinceriter citra pompam".

2. [2] Hercyniæ silvæ partes h. l. etiam sunt *Rhön* et *Speßhart*. [3] Fagina] Buchonia. [4] dĭrĭmit] dīvīdit *Christius propos. recte.* [5] Pater Ulrichus Huttenus, mater Ottilia ab Eberstein. [7] peregr.] Latino. [8] feliciter 2. [9] ipse] auctor, si sua carmina laude digna invenientur, Italicis poetis quas ipsis debeat gratias, lubenter referet.



3. DE AQVILA.

Hæc volucris, quæ nunc passis nihil utitur alis
Omniaque aeria despicit e specula,
Si quasquam in terras rostrumque armarit et ungues,
Quas turbas illam posse ciere putem?

4. DE CÆSARE.

Christus habet cœlos, infra regit omnia Cæsar;
Nec nisi cœlestem respicit hic dominum.

5. AD CÆSAREM.

Quæ causa aut quæ res miseris mortalibus olim,
Quos colerent votis, indidit esse deos?
Nempe eadem, quæ te feret hinc super æthera, virtus:
Provehit hæc homines et facit esse deos.

---

3. Hæc Huttenus de imperiali quæ nunc multi de Borussica aquila.

4. Magis fere dictio diplomatica Maximiliani temporis hæc fuit, quam carminis versus. Cf. epigr. 102. v. 4. 103. v. 4. et passim item Exhort. ad Max. Cæs. vv. 317. sqq. 329. sqq.

5. [1] Miseris *omis. 2...4.*

6. DE AQVILA.

Non mirum est si iam cunctatrix spernitur Ales,
Tam lenta multis usa quiete dies:
Nam neque compertum est quid, dum tacet, illa volutet,
Quæ sibi constituat tempora, quidve paret.

7. DE EADEM.

Hanc volucrem, quæ nunc sine bello et sanguinis usu
Pacem habuit multos semisopita dies,
Si quis adortus erit nec siverit esse quietam,
Dispeream, male ni consulet ille sibi:
Non est iste sopor, ex quo non surgere possit;
Sæpe lacessitæ est alta soluta quies,
Atque ubi surgit humo, per apertasque evolat auras,
Heu quantos circum concitat illa metus!

8. AD AQVILAM DE MOTV CÆSARIS.

'Armiger alte Iovis, mundi timor, inclyta virtus,
'Quos ruis in populos?
'Quo se mitis amor, quo se clementia vertit,
'Quæque fuit pietas?
'Arma gerit mundus, pax est turbata per omnes,
'Priscaque rupta quies:
'Movit causa viros, furibundæ in prælia gentes
'Te duce bella gerunt;
'Ira duces et cædis amor, fastidia pacis
'Una iniere tuos.
'Inclyte terrarum ductor, spes summa tuorum,
'Alte amor, alte timor,
'Quos trahis eventus animo? quas concipis iras,
'Cuive nocere paras?
'Quas affligis opes? aut quod, fortissime regum,
'Destruis imperium?
'An mortale tuis peius requiescit in alis
'Te fruiturque genus?'
Hæc quisquam irata nimiumque nocere parante
Quæsiit ex Aquila:

---

6. [3] Desides, inertes, ignavi nihil, dum tacent, volutant, nullum sibi constituunt tempus, nil parant.

8. a. 1513. post Blesense inter Ludovicum Venetosque initum fœdus (ap. Du Mont Recueil des traitez II. p. 38. sq.) *Hoc epigr. omis. 3.*

Rettulit illa viro, "Causam illinc Gallia pugnax
"Præbuit, hinc Veneti;
"Sæpe quidem Venetis, quanquam exagitata, peperci,
"Cum peterent veniam;
"At Gallos etiam meritis et viribus auxi:
"Non retulere vicem".
Vix ea commemorans totas consurgit in alas,
Nunquam ita terribilis;
Cui se tot populi iuxta passimque sequuti
Applicuere duces:
Heu male consultum Venetis Galloque ruenti,
Quos necat iste furor!

9. AD CÆSAREM.

Velle puto superos, ut te tua fata repente
Sublimem priscis adnumerent atavis.
Vota ferunt homines et te superesse precantur:
Infera nam quis te digeret hæc melius?
Ast ego fumosas quoties loco munus ad aras,
Hoc peto et hoc mecum mille petunt alii,
Invideant ne te misero pia numina mundo,
Atque ita dent cœlos ne hinc rapiare cito.

10. DE MAGNITVDINE MAXIMILIANI AD GERMANIAM.

Quid veteres mirare tuos, Germania, reges?
Quid repetis priscos in tua secla duces?
Ne pete Gambrivios natosque Tuisconis omneis
Visaque sub Manno fortia corda deo,
Hermionasve alacreis natosque Ingævones armis,
Cymbrorum proceres Teutonicumque genus,
Quique domi tibi quique foris peperere decorem,
Neve Ariovistos Arminiumque ferum.
Crede mihi, temere præsens revocatur ad ævum
Carolus, ut fortis, magnus ut ille fuit.
Quid septem Henrichos, quid tres miraris Othones,
Non ulli dignos cedere Scipiadi?

---

8. [23] Cf. exhortatorium in Venetos, supra p. 135. [29] secuti *2.4.*

9. [4] quis hæc mundana melius quam tu reget? [5] loco] offero.

10. Repetitum etiam est sed mendose hoc carmen in Gobleri Chronica der Kriegshändel ... Maximiliani .. Franckfort a. M. 1566. fol. fol. 10ª, ubi inscribitur 'de D. Maximiliano primo Imperatore semper Augusto, Déqȝ eius magnanimitate & magnitudine, Vlrici Hutteni Carmen ad Germaniam'. [3] Tac. Germ. 2. cf. infra Panegyr. v. 706. sqq., ubi fusius hæc. [5] Ingeuones *edd.* [12] cędere *1.*

Et Latio horribiles Friderichos, quos ratio egit
Ulcisci infidos sanguine Pontifices?
Ut tunc tempus erat, nemo ornamenta superba
Teutoniæ potuit provehere ulterius;
Nemo istis melius gessit vel pace vel armis
Rem patriæ, nemo fortius arma tulit.
At si quem probitas, si quem omnis criminis expers
Mens dignum patrio fecerit imperio,
Si cupis innocuos mores pacemque fidemque,
Summus et ad votum Maxmilianus erit,
Quem neque mollities possedit quæque voluptas
Terrarum dominis regibus esse solet,
Et cui non placuit luxu indulgere supino;
Si qua fuit, numquam pax odiosa fuit;
Illecebris nullis nullaque libidine fractus
Defuit ille sibi, defuit ille tibi.
Quis vidit madidum myrrha crispare capillum,
Quis vidit casia, quis maduisse croco?
Quando armis requiem, bello quando ocia honesto
Aut trabeam rigido prætulit ille sago?
At contra integritas, contra est clementia virtus,
Quæque artes tantum percoluere animum.
Si petis ingenium, si ne qua industria desit,
Septem uno linguas hic solet ore loqui;
Si petis, ut sumptis bellum experiatur in armis,
Iam ruit in Gallos, iam ruit in Venetos.

DE DIVO MAXIMILIANO IMPERATORE GERMANICO
LVDOVICI REGIS GALLORVM TESTIMONIVM.

Rex invitarat quondam ad convivia Gallus
Insigni quosdam nobilitate viros,
Qui cum de variis loquerentur Regibus, unus
Maxmilianæas extenuavit opes,
Dixit et esse Augustana hunc modo Consulem in urbe,
Nec formidandum Regibus ergo aliis.
Sed cum Cæsareas ita vires extenuari
Audiret, sapiens Rex Ludovicus ait
'Certe ego Consulem eum nolim contemnere, namque is
'Tympana si pulsat, Gallia tota tremit.

---

10. [22] Maximilianus *4.* [23] mollicies *2.3.* [24] cf. Horat. od. I. 1,6. [28] tibi] Germaniæ.

Ex Gobler. l. c. fol. 3[b]. [5] Cons.] *Burgermeister.*

11. IN OBSIDIONE PATAVINA ÆGER.

Euganeas video turreis, Antenoris urbem,
Speratum fractis effugium Venetis.
Telorum volat omne genus, defendere muros
Illi, nos contra tendimus eruere:
Nos cœlum et tellus, illos sua mœnia servant,
Spes nobis, illis propositus timor est;
Reddidit inclusos sua desperatio forteis,
Cumque fuga ulterior nulla sit, arma movent:
Si quis in hoc numero est qui possit plurima, cives,
Hunc ut servemus, me perimant Veneti;
Iam pede pertæsum est claudoque insistere talo;
Qui valet ut vivat, me perimant Veneti.

12. DE MAXIMILIANO CÆSARE.

Ille, viri, Cæsar, pacis studiosus et ævo
Segnitie nimia visus obesse suo,
(Cernere enim factis licet et novitate stupenda)
Maiore est quam tunc corde putatus erat;
Donec facta tulit Veneti opprobriosa senatus,
Non caruit, sed non perfrutus est animo:
Atque igitur reputans quæ nunc, 'sub pectore', dicit
Qui non 'hoc Marii Scipiadæque latent'?
Maxima non laus est confestim effundere vires,
Sed remorari animum temporibusque frui.

13. AD CÆSAREM MAXIMILIANVM.

Si tua corruptum moveat clementia mundum,
Ut constet, rebus non inhietque novis,
Si te propositas, Cæsar, comitemur ad arteis,
Si coeant votis omnia vota tuis,

---

11. Mense Aug. a. 1513. De obsidione cf. *de Roo* Annal. 1592. fol. p. 448. sq. *Fugger* Spiegel der Ehren VI. 16. §. 4. p. 1296. *Guicciardini* lib. XI. vers. fin. ed. Venet. 1738. fol. p. 794. et in primis *Paruta* Hist. Vinetiana ed. 1718. 4°. lib. I. p. 58. sqq. „.. alli 16. Agosto si levò l'essercito nemico *[Germanorum Hispanorumque]* & liberò la città di Padova dall' assedio, essendovisi per spatio di 20 giorni fermato, & havendo recato maggior timore, che pericolo". [11] pertesum *1.* Cf. de Guaiac. cap. 3. §. 3. cap. 25. §§. 6. sqq. et epigramm. Corit. 3.

12. Hoc quoque epigramma cum sequenti legitur in **Gobler Chronica.** [5] a. 1508. Cf. Exhortator. ad Cæs. in Venet. v. 13. adnot. [7] quæ] i. e. ea. puto hoc quoque de consilio Patavii vi expugnandi dictum esse.

'Maior Roma fuit nunquam, contendere possim,
  Si quis ad hanc veteres ducat olympiadas:
Nunc nostris trahimur vitiis nobisque perimus,
  Quos tu quam malles, heu, tua iussa sequi.
Verte animum, Cæsar! non te mitemque bonumque,
  Non te clementem tempora nostra volunt.

14. DE SE IN OBSIDIONE PATAVINA.

Erraram a castris ad clausam Antenoris urbem;
  Continuo flamma missilibusque petor:
Certe equidem, fateor, timui, nec ut ante movebam
  Invidiam lingua, sed bona verba dedi,
'Parcite, qui Patavi muros arcemque tenetis,
  'In me vulnifica mittere tela manu;
'Parcite me, Veneti, ferro disperdere et igni,
  'Ne de tot pessum milibus unus eam:
'Non ea fortuna est, ut nunc ego vique manuque
  'Horrida commoti Cæsaris arma sequar,
'Huc me sola trahit vestri admiratio regni,
  'Noscere vos cupio, perdere non cupio;
'Ut videam, veni, non veni evertere bello
  'Altini sedes Euganeasque domos.
'Alter ab arctoa vobis furor imminet Alpe,
  'Germanum peditem ducit Iberus eques:
'Has ruite in vires: nam quæ tum gloria parta est
  'Si de tot pessum milibus unus eam?'
Nullæ hostem movere preces: mihi terga relapso
  Heu quam difficili consuluere fuga.
'Ut cæso me nullus honor fuit, haud ita vobis
  'Pulchrum est me claudos eripuisse pedes',
Dicebam, et fessus media inter milia cursu
  Tutus in effosso delitui tumulo.

15. DE LEVIVSCVLA QVADAM A VENETIS ACCEPTA CLADE.

Cernis ut Adriacas moveant nova gaudia Ranas,
  In numerum Venetus ut saliatque Leo?

---

14. cf. epigr. 11. [4] Cf. Querelar. I. 2,25. sqq. [8] millibus *2...4. et sic v.* 18. *et* millia *v.* 23. [14] cf. de piscat. Venet. v. 29. sq. [16] Germani Hispanicique milites in obsidione iuncti agebant.

15. [1] cf. infra Marcum Hutteni.

Cernis ut Euganea respiret Marcus in unda
Utque tumens patria vix capiatur aqua?
Causa rei, sumptis non fauste Teutones armis
Mille quod a Venetis procubuere duo.
At postquam ferus arma geret Iove vindice Cæsar,
Quod tutum Venetis tum satis æquor erit?

16. DE VENETIS ET GERMANIS.

Tollere pax Venetos, Germanos arma solebant,
Ingeniumque suum pondus utrisque dabat:
Mutantur mores, neque enim Germania pugnat,
Armaque tu temere conseris, urbs Venetum.
Si licet ire retro, vicibus date mutua versis,
Res tunc Germanis, res erit et Venetis.

17. IN GALLOS CÆSAREM FVGERE COMMENTOS.

Solaris te, Galle miser, tibi gaudia fingis,
Hæc petis in media commoda tristitia:
Fingis enim rebusque tuis lætum instruis omen,
Quo quis te in populo non putet ista pati.
Finge quidem casusque tuos solare premendo,
Interea Cæsar dum gerat ista tamen,
Et quem tu iactas abrupto excedere bello,
Hæreat in tergo cæde manuque tuo.

18ᵃ. PRO PASQVILLO ROMÆ.

Anxia lustrato postquam gens Itala mundo
Consuluit vates consuluitque deos,
Quod male respondent vates, Pasquille, deique,
Te rogat amisso Cæsare 'Cæsar ubi est?'
Certa nec accessi referunt oracula Delphi,
Nec Dodonæi sylva canora Iovis;

---

16. *Epigrr. 16. 17. 18ᵃ. omis. 3.* [1] Tollere] evehere, augere. [3] Rettulerim hæc ad pacem inter Cæsarem Venetosque a. 1513. et ineunte a. 1514. frustra temptatam. [6] Res] suum quisque locum sibi convenientem debitumque uterque habebit.

17. Cf. ad v. 3. superioris epigr. [3] lœtum *1.* [4] pati] expelli ex Italia, quod post pugnam Novariensem magis magisque Gallis acciderat.

18ᵃ. Hæc duo epigrammata inscripta 'Huttenus ad Pasquillum' et 'Pasquillus Romanis' primum prodierant a. 1516. post Epistolam Italiæ indice bibl. Hutt. num. XI. 2. descriptam. [5] Respexit poeta ad Corn. Nep. in Lysandro c. 3. „Primum Delphos corrumpere est conatus. cum id non potuisset, Dodonam adortus est.

Omnia templa silent, nullus canit abdita vates,
Ipse tacet Libyco corniger orbe deus;
Ut tandem inveniat, miro Florentia motu
Visa est iam claro sole tulisse faces,
Atque aliquis, metuens, ne sit sine Cæsare mundus,
Elegit Gallum Cæsaris esse loco.
Maxima res, neque te, Pasquille, peritior alter:
Dic tandem, vates optime, Cæsar ubi est?

18b. PASQVILLVS.

Pone metum, Romane, tuo de Cæsare: vivit,
Ulla fides ex me si tibi, vivit adhuc.
Vis ultra sperare aliquid? venit. hoc ego vates,
Quo ratius loquitur Delphica fama nihil;
Pugnaces revolant Aquilæ; vidi ipse volantes,
Et tota horribiles spargere ab Alpe minas.
Quid gemitis, Veneti, tandem? quid, Galle, tremiscis?
Hæc ego non dixi sæpe futura prius?

19. DE QVODAM IN ITALIA CONVENTV.

Omnia miscentur, confudimus infima summis,
Partitur quisquis non sua regna tenet.
Abstrahitur Latium secluso a Cæsare, donat
Hoc aliquis Venetis, hoc tibi, Galle, aliquis.
Oppositam molem iniectasque ut transeat Alpeis,
Has Aquilæ pennas quis satis esse putet?

---


hinc quoque repulsus dixit se vota suscepisse quæ Iovi Ammoni solveret, existimans se Afros facilius corrupturos ..." Cf. infra Triumph. Reuchl. v. 224. sqq. [6] Dodonæ in Thesprotia quercus silvæ Iovis sacræ responsa dabant, fatidicæ erant. cf. e. gr. Claudian. in III. cons. Honor. vv. 117. sq. „.. rursusque locutæ In te Chaoniæ moverunt carmina quercus". [8] Lybico *edd.* Iupiter Ammon. [9] Hoc de Leonis X. novi pontificis cum Ludovico XII. non longe post defuncto pactionibus tractatis dici videtur. cf. Le Bret II. 2. §. 1145. S. 1016. f. [11] Scilicet exeunte a. 1513. nihil in Italia rex Gallorum quam Genuensem laternam obtinuerat, neque a. 1514. Italicam expeditionem Anglicæ Hispanicæque difficultates eum curare sinebant. Germani autem post Liviani in provinciam Foroiuliensem inreptiones in Italiam reversi sunt.

18b. [5,6] Versus 5. et 6. non habet *prima ed.* [5] Aquilæ] imperiales. [7] Quid g. Veneti? Quid ad hęc leuis Adria palles? *ed. prim.*

19. [1] Hæc item referenda videntur ad pacis inter Cæsarem Venetosque arbitrio Leonis X. contrahendæ condiciones. [6] Aquilæ pennas] i. e. particulas terræ Italicæ Cæsari debitæ, eas quæ Germani Hispanique in Patavino Tarvisinoque agris cepissent, cum urbe Cremonensi pignoris causa Cæsari tradenda.

20. IN VENETOS IAM EXVLTANTES.

Desinite ob casum, Veneti, exultare repente:
    Quæ fortuna bona est, itque reditque cito.
Armiger iste Iovis, qui lumine dormit aperto,
    Sublimi vobis imminet e specula.
Qualis ea est, non est Aquilam contemnere tutum
    Sæpe quid assuetam ferre morasque pati,
Iamque soporatæ similis si moverit alas,
    Quos non continuo conciet illa metus?
Non tutum est Aquilæ, Veneti, contemnere pennas,
    Et valde his potis est et nocuisse cito.



21. DE CÆSARE ET VENETIS.

Rana procax nuper Venetas egressa paludes
    Ausa est, quam tetigit, dicere, 'terra mea est'.

---

20. cf. adn. ad epigr. 18ª. v. 14. Hæc pictura quasi responsum est Liviano missum, qui ad pugnam Cremonensem (cf. epigr. 38.) magnum vexillum sibi præferri iusserat, in quo aureis filis Venetus leo imperialem Aquilam unguibus dilacerans caputque eius depascens acu pictus erat. Quod signum Galli in ecclesia cathedrali Mediolanensi non multo post suspenderunt. cf. Fuggeri Spiegel der Ehren. p. 1258. lib. VI. c. 13. §. 13.

21. Cf. heroica Marc. et De piscat. Venet. Proprie in Livianas devastationes,

Quam procul ut vidit specula Iovis ales ab alta,
Convulsam ad luteas ungue retrusit aquas.

22. DE VENETORVM PETVLANTIA.

‘Bella movent Veneti, poscunt te in prælia, Cæsar:
‘Quæ mora? da bellum, prælia, Cæsar, ini;
‘Excipiunt Rhæti Venetos alacresque Suevi,
‘Germanos gladios Itala parma voret’.
Hæc vix dum ediderat quisquam, cum iam impete facto
In Venetos rueret, consereretque manum:
Cromnia progenies et magnæ filia Troiæ,
Quo fugis? hostili cum pede siste pedem.

23. DE BELLO VENETO.

‘Quid faciunt Veneti?’ pugnant. ‘quo milite?’ Ranis.
‘Quo duce?’ mentitus præcipit arma Leo.
‘Tum quibus auxiliis?’ Gallorum. ‘in quo hoste morantur?’
Cæsare. ‘quid prædæ quæritur?’ Italia.
‘Quid gessere igitur?’ quosdam excivere tumultus,
Quod fortasse duces terruit Italicos.
‘Quid factum interea?’ movet Iovis armiger alas.
‘Quid Veneti?’ rebus consuluere fuga.
‘Quem finem sperare licet?’ regina volucrum
Et rostro et sævis unguibus arma geret;
Desinet esse Leo spolio dux victus adempto
Fractaque in Adriaca Rana latebit aqua.

24. DE ODIOSO VENETORVM IMPERIO.

Quæ vicinia non tulit moleste
Regnantes Venetos? quis anxio non
Commutare volebat hos periclo
Crudeleis dominos, graveis tyrannos,
Sævos δημοβόρους, feros, rapaces,
Gaudentes nece, sanguinariosque,
Cyclopum simileis, acerbiores

---

de quibus ad finem epigr. 18ª. dixi, hi versus scripti videntur. Extat etiam hoc epigr. in Gobler Chronic. ad epigr. 10. cit.

22. *Hoc epigr. om. 3.* ³ Rhœti *edd.* ⁵ quisq.] Frundsbergius? Cf. (Reißner) *Historia* Herrn Georgen ... von Frundsberg. Ff. 1572. fol. 18ᵇ. ⁷ Cromn. prog. fil. Tr.] Veneti. Cf. de pisc. Venet. v. 59. ⁸ Clades Vicentinæ.

23. ¹…³ Frosch, Löwe, Hahn. ² Leo sancti Marci. ⁸ cf. epigr. 22. v. 8.

24. ⁵ δημ.] plebivoros.

Irato Phalari, Syracusana
Plus aula nocuos, cadaveroso
Regno Læstrygonum cruentiores?
Sed me nescio quid magis molestat,
Ut nolim Venetos diu imperare,
Negant a Venetis fidem teneri.

25. VOTVM IN MORBO PEDIS.

Has tibi dona fero, mundi regnator, ad aras,
  Quæ dabo iam salvo prosperiora pede:
Da morbum cessare pedis, da robur ademptum,
  Sic tua nunquam Arabo templa sapore vacent.
Marte rapit Venetos dux Maxmilianus in hostes
  Germanos pedites et Calabros equites:
Non precor, ut morbo vivam tranquillus abacto,
  In bellum ut tanto sed duce miles eam.

26. MORTEM ESSE EXTREMVM OMNIVM MALORVM.

Verbum Cæsaris haud redarguendum,
Dignum hoc pectore talibusque gestis
Et vel Pharsalico amplius triumpho,
Quo mortem statuit malis supremum
Finemque omnibus et modum, dolori
Optatam requiem. Fluunt ter octo
Germani iuvenes recente pugna
In thermis Aponi (nefas!) perempti,
Nec iam crura dolent pedesque, ut ante,
Cur quærant Aponi calens lavacrum.
Quod non unda dedit, nec ars, nec herba,
Ut fiat lacero modus dolori,
His tot mensibus, alteris tot annis,
Mors una tribuit viris in hora.
Quod quisquis videt æstimatque secum,
An quod Iulius haud putabit idem:
'Mors est terminus omnium malorum?'

---

24. [8] Syr. aula] Dionysiis. [10] Lestrigonum *1.* Lestr. *2...4.* anthropophagorum.

25. Cf. epigr. 11. v. 11. ibiq. citt. locc. [5] Maximilianus *4.*

26. *Eqigr. om. 3.* [6] Ἄπονος, Aponus (tollens dolores) hod. *Abano*, fons calidus saluberrimus agri Patavini sub ipsis Euganeis montibus, antiquis etiam celebratus. Inter obsidionem Patavinam tristis casus, quem alibi me legere non memini, evenisse videtur. [16] Iulius II. syphiliticis ipse morbis conrosus expiraverat d. 21. Febr. a. 1513.

27. IN VENETOS.

Haud dum omnes contemptæ Aquilæ, ne, Rana, superbi,
Neu tibi sub Marco semileone place:
Videris Insubres, Gallo licet auspice, turmas
Confringi, Helvetias interimique manus.
Sæpe suus victis rediit deus: aut ego fallor,
Aut tibi Teutonica restat ab Alpe malum.

28. IN BARTHOLOMEVM DE VIANO DVCEM VENETI EXERCITVS.

Prospera si pugna est, iuras; si improspera, iuras;
Ocia nactus idem, Bartholomee, facis;
Si vincis, iuras; iterum si labere, iuras;
In castris iuras, in curia inque foro,
Militiæ iuras, inter convivia iuras,
Iuras in medio naufragus oceano;
Iuras arma ferens, iuras in pace togaque,
Iuras seu tractes seria sive iocos;
Si lux est, iuras, nox te iurante tenebras
Invehit et fuscis Cynthia fertur equis.
Undique cum iures, iurando dic mihi tandem,
Quid non iurando, Bartholomee, facis?

29. IN EVNDEM.

Nulla est relligio, servasti fœdera nunquam,
Contemerasti omnem, Bartholomee, fidem.
Moribus his si te durare impune videbo,
Quos colui, nullos esse putabo deos.

30. ROBERTI SEVERINATIS EPITAPHIVM.

Robertus hac sub mole belliger cubo,
Viator, ille Martius dux Italum,

---

27. Extat hoc epigr. primum (?) editum in Erphurdiano Epistolæ Italiæ exemplo (Ind. bibl. XI. 2.); habent etiam recentiora exempla. [1] Haud d.] Nondum *1.* [2] semil.] alato. [3] Galli cum Venetis Blesensi die 23. Mart. a. 1513. facto, Venetiis d. 23. Apr. ratum habito fœdere pacti erant, ut in recuperandis Ianua Mediolanoque sibi hi auxilio essent. Sequuntur bellum Mediolanense et pugnæ Novariensis ac Vicentina. Cf. epigr. 116.

28. Alvianus s. Livianus. Cf. Orat. I. in duc. Virtenp. §. 79. (*ubi pro* 'apud Codaurum a. 1508.' *in adnot. pone* 'non apud Codaurum a. 1509. sq., sed in Foroiuliensi, vere 1514.') item cf. dialog. Inspicient. §. 3. [2] Bartholomæe *3.4. et sic infrà vv.* 12. etc. *etiam 2.*

30. Cf. Panegyr. in exc. Alberti v. 1050. [2] Italum] Venetorum.

Gerente quo rem fortis Adria stetit,
Peremptus idem patriæ spem sustuli;
Germanus insolenter ausum me dedit
Exempla princeps posteris. cave, nepos!

31. DE PERFIDIA VENETORVM.

Miraris Venetæ, Cæsar, periuria gentis,
Miraris toties fœdera rupta tibi:
Simpliciter nimium: quid enim iurare sinebas?
Quos iurat Venetus, non putat esse, deos.

32. DE GRASSATVRA VENETORVM.

Iam per Osopiacas Venetus leo pascua rupes
Ibat et in Carnis Illyricoque legens,
Ibat Amyclæi quærens in fonte Timavi,
Quis domet immanem raptibus ingluviem;
Præda Tridentino captata est ultima rure
In primo fortis limine Teutoniæ;
Cum populi Italiæ partum satis esse monerent,
Grassandi faceret nec tamen ille modum:
Continuo Boreæ surgens Iovis ales ab axe
Horrenda in Venetas morte repellit aquas.

33. DE VENETIS.

Passa sub Argivo quæcunque Agamemnone Troia est,
Quæ mala Pellæo sub duce Theba tulit,
Quæ Carthago potens, quæ bello pressa Corinthus,
Sævitum in Solymas quo fuit igne domus,
Et qua Alimedæam prostravit clade Damascum
Qui terris Scythico fulmen ab orbe ruit,

---

30. [5] Germ. princ.] Sigismundus Austriæ, Friderici imperatoris frater.

32. *Epigrammata 32. 33. omis. 3.* [1] Osopum, Osopium castellum, Osupium, hodieque *Osopo* ad Tilavemptum fl. in rupe Carnicarum Alpium eminens, quod inter illas a. 1514. incursationes Venetorum in Carniam usque factis Savornianus contra Frangipanium strenue defendit. Venet. leo] duce tum Liviano. [3] Amyclei *1. 2. 4.* Amycl. Timav.] ut Antenoreus, Phrygius, Ledæus, et ut Verg. georg. III. 89. Amyclæum facit Pollucem, cuius equus Cyllarus Timavum bibit. [8] Utinum, Belgradum, Montem falconis, Osopum aliaque loca Veneti recuperarant, neque multum abfuit quin Livianus Goritiam quoque Gradiscamque caperet, cum Patavium sese reciperet, nec longe post Rhodigium caperet.

33. [2] Thebæ Bœoticæ ab Alexandro M. eversæ. [5] Alimedęam *1.* Mimedæam *2. 4.* Damascus ex nonnullorum opinione condita erat a Damasco Mercurii et Halimedæ filio. Steph. Byz. p. 217, 12. Mein. *ὠνομάσθη — ὅτι Δαμασκὸς Ἑρμοῦ παῖς*

Qua rabie Turcus Byzanti perdidit urbem,
Non metuunt Veneti, sed graviora ferent.

34. DE ODIO VENETORVM.

Oderunt populi Venetos, odere tyranni,
Quique procul quique his proximiora tenent,
Excidium cuncti supremaque fata precantur,
Regnantes nemo ferre potest Venetos.
Dispeream, tantæ quæ pondera sustinet urbis
Si sua cum Venetis Doris amica manet.

35. DE PVGNA MEDIOLANENSI IN VENETOS.

Insubriæ cecidere duces, ruit Helveta pubes,
Gaudet et in patria Rana triumphat aqua.
Fer modice, nec te nimium successibus effer:
Perpetuum non est hoc tibi, Rana, bonum;
Optima quæque suum cito perficit hora tenorem,
Nutat in ambiguo sors malefida statu.
Cum videas nihil esse diu, mutanda repente
Omnia, per varias ire redire vices,
Hoc potes eventu celebrem ductare triumphum,
Nescia quæ sequitur quid ferat hora tibi?
Fer modice, nec te nimium successibus effer:
Multa cito veniunt læta abeuntque cito.

36. DE PRODITIONE PER MILITES GERMANOS BRIXIÆ.

Non capta est ferro, verum auro Brixia capta est:
Perdidimus famam perdidimusque fidem.
Hoc de Germanis? aut cui metus ante subisset
Ne quisquam hos populos proditione notet?
Perdidimus famam, cives, et turpiter ausi
Omnibus externis fabula fœda sumus.
Dii perdant facinus quibus hoc autoribus actum est,
Per quos hæc famæ nascitur improbitas!

καὶ νύμφης Ἁλιμήδης ἐξ Ἀρκαδίας εἰς Συρίαν ἦλθε καὶ πόλιν ὁμώνυμον ἔκτισεν. Hpt. [Münch: der Mimidäer Damaskus. (!)] Puto autem h. l. non de Pompeio Damascum expugnante, sed de Tamerlano a. 1401. urbem diripiente dici, ut sequenti v. de Constantinopoli a. 1453. capta. [7] Bizanti *edd.*

34. [6] sua Doris] mare Hadriaticum (cf. Vergil. ecl. 10, 5.) sponsa Veneti ducis.

35. Aestate a. 1512. [1] Ins.] Mediolani. [12] lœta *1.*

36. Etiam Cardonam Gasto de Foisseo auro corrupit, m. Mart. a. 1512. Cf. Le Bret II. 2. p. 988.

Tu dominis Venetis et avaro, Brixia, Marco
Germanorum hominum proditione subi!
Proh facinus! quid enim non dant hæc tempora peius?
Perdidimus famam perdidimusque fidem.

37. DE CLADE A VENETIS ACCEPTA.

Odisse Adriacas sed non contemnere Ranas,
O socii, recte, qui monet, ille monet.
Dixi equidem 'sunt et Venetis sua numina; Sors est
Quæ varias dubio circinat orbe vices'.
Quod dixi, risere viri quidamque bibendo
Clamabant Venetos se iugulare decem.
'Hoc Venetos iugulare fuit? vel ab hoste tueri
'Hoc fuit? O vitam, somnia, vina, dapes!
'Milia cæsa virum sumptis sine turpiter armis
'Quatuor! o vitam, somnia, vina, dapes!'



37. Ad prælia in Carnicis Alpibus deque locis ad Tilavemptum fluvium expugnandis rettulerim. Cf. epigr. 32. [9] Millia 2...4. Cremonensem Huttenus Venetis infaustissimam pugnam adpellat quæ ardentissime d. 14. Maii a. 1509. ad

38. IN PVGNAM CREMONENSEM.

Qui volet attonitæ pugnam inscripsisse Cremonæ,
Ut breviter 'cladi' titulum det 'Venetæ',
Hoc potuit salvo decerpere carmen Homero
"Εκτανε τοὺς βατράχους αἰετὸς ὑψιπέτης.

39. IACOBI DE EMS EQVITIS GERMANI QVI PRÆLIO RAVENNENSI OCCVBVIT EPITAPHIVM.

Hospitis ad tumulum quisquis spaciare Suevi,
Desine propitios esse negare deos.
Postquam omnes Italorum urbes patriæque potentis
Impleret fama nominis, occubuit:
Pugnavit toties, nunquam non vicit in armis;
Hoc quoque, quo cecidit, tempore victor erat.
Ne mortem accusa, neque enim vitam abstulit, auxit:
Quin hæc si moveas, vivere, busta, putes.

40. IN PVGNAM CREMONENSEM.

Bella, trophæa, viros, pugnas, spolia, arma, necesque
Non vacat Ausonidum commemorare patrum.
Cæsa Cremonenses patefecit ut Adria campos,
Persuasum est vinci nil potuisse magis.

41. IN PVGNAM RAVENNENSEM.

Victori victoque dolor, rabida arma quiescunt;
Qui vicit, non sic vincere sæpe volet.

Geraddam *(Ghiara d'Adda)* et apud Vailam et Pandinum et Pontem vicum, Agnadellum et Cascianum in Laudensi, Cremonensi Cremensique pugnata est, ut ad 18000 hominum ab utraque parte cecidisse ferantur. Alvianus eo prælio a Carolo Ambosio fusus, uno oculo amisso vulneribusque acceptis captus est. Venetorum res post eam pugnam desperabantur. cf. infra epigr. 58.

38. Cf. epigr. 40. 45. 52. 55...58. [4] *αἰ. ὑψ.* Il. N. 822. Od. Y. 243. *αἴετος edd.* 'Occidit Ranas Aquila alte volans'. Quasi pentametrum haberet Batrachomyomachia.

39. Cf. epigr. 43. 48. Iac. de Hohenembs, qui etiam sub duce Brunsvicensi in expeditione Foroiuliensi strenue dimicaverat, „ward von Zamudio, einem spanischen Obristen, weil er nicht allein im köstlichen Harnisch daher ritte, sondern auch sich einen dapfern Helden erwiese, aus der Ordnung auf ein Duell gefordert, und mit der Lanze zu todt gerennet. Das Treffen währte 5 Stunden lang, ehe man sehen konde, welcher Theil obligen würde. Endlich aber musten die Bundsverwandten das feld raumen .." Fugger S. 1286. „Cecidere utrumque fortissimi quique ad 10000 quorum trientem ex Gallis, reliquos ex Italis et Hispanis fuisse memorant. Victoria penes Gallos stetit luctuosa .." de Roo p. 459. Cf. etiam *Historia Herrn Georgen ... von Frundsberg. foll.* 11^{b}. 14. et Guicciard. lib. X. occub.] d. 11. April. a. 1512. Etiam Gasto de Foisseio hoc prælio cecidit post partam victoriam.

40. Cf. epigr. 38. et 58. 41. Cf. epigr. 39. 46. 51. 53.

Concurri sumptis quis vidit atrocius armis
Telaque misceri sanguinolenta magis?
Unius haud populi pugna profudit in illa
Roma suas vires Illyriumque suas;
Tum proceres periere Itali, Germana iuventus
Amisit primæ robora militiæ,
Profligata acies Hispana, ignobile vulgus,
Rettulit amissis Gallia nobilibus.
Iulius una mali causa est, respublica Christi
In sua crudeli viscera cæde ruit.

42. AD RAVENNATES.

Perdis opes perdisque viros, dura omnia perfers:
I nunc, Pontifici plaude, Ravenna, tuo.

43. IN MORTEM IACOBI DE EMS.

Quam prius ediderat stragem fortissimus heros,
Hanc super exhaustus sanguine procubuit:
Aspicis exangues iam nunc quoque frendere vultus
Pallentique truces fervere in ore minas?
Sic stratum, ut tulerat, iam nunc etiam arma ferentem
Qui videt, avertens hostis ut ante timet.

44. AD CÆSAREM DE PROFLIGATIS VENETIS.

Debebat tibi nobiles tyrannos,
Debebat tibi Sors viros ducesque,
Invictos animo feroce reges,
Gesta re celebri potentiaque
Sublimes, tibi debuit trimphos
De virtute pari; sed ut ferebat
Fortunæ favor atque iniquus error,
Quanquam est hoc aliquid, tibi relictum est,
Dum punis Venetos superbientes,
A laudum modico decore tolli.

45. IN PVGNAM CREMONENSEM.

Ὧν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει
Et qui non homines, non timuere deos,

41. [6] Illyricumque *4.* [10] Retulit *4.* [11] Iulius II. P. M. contra Gallos Hispanosque Pisani concilii fautores conspiraverat.

43. Cf. epigr. 39. 48. [1] ædiderat *2.* [5] stratam *2...4.*

44. *Hoc epigr. omis. 3.*

45. [1] *Τῶν* Hom. Od. XV. 328. XVII. 565. *ἧκει edd.* *βιήτε 2. 3. de procis* 'Quorum et superbia et violentia ad ferreum cælum pervenit'.

Hac Veneti servare fidem de clade monentur
    Ruptaque profuso sanguine pacta luunt.

46. BOMBARDÆ A GERMANIS PVGNA RAVENNENSI RECEPTÆ.

Gallorum tormenta sumus, Germanus ademit
Quondam hosti victor, nunc reddit victor amico.

47. OBSESSVS A GALLIS CVM SALVTEM DESPERASSET.

Qui misere natus miserabile transiit ævum,
    Sæpe malum terra sæpeque passus aquis,
Hic iacet Huttenus: Galli nil tale merenti
    Insontem gladiis eripuere animam.
Si fuit hoc fatum, vita torquerier omni,
    Censendum est recte procubuisse cito.
Vixi equidem Musis, animum coluique per artes,
    Sed reor irato me studuisse deo.
Mens erat arma sequi et Venetum sub Cæsare bellum;
    Verum alio bello concidi et hoste alio:
Pauperiem, morbos, spolium frigusque famemque
    Vita omni et quæ sunt asperiora tuli.
Recte actum, cecidi iuvenis miser et miser exul,
    Ne maiora feram, ne videarque meis.

Pro decem posterioribus versibus in epistula ad Phachum sunt quattuor hice:

Si fuit ex fato, ut totos male viveret annos,
    Optatum est, quod tam corruit ille cito.
Ipse suas coluit per mille pericula Musas,
    Et quanti potuit, carminis autor erat.

48. TROPHÆVM IACOBI DE EMS.

Mars genitor, votos Iacobus ductor honores
    Hæc tibi de fusis arma locat Venetis.

49. DE VENETIS AD CÆSAREM.

Ferebant Veneti nimis superbe
Fortunas patrias, suique census

---

47. Papiæ, æstate a. 1512. Cf. Hutteni Epist. ad Phachum Bononiæ d. 21. Aug. a. 1512. scriptam Opp. vol. I. p. 26. n⁰. XI. §§. 4. sqq. 3 Galli ab Helvetiis contra se adventantibus obsessi. 5 torquerior *4*.

48. Cf. epigr. 39.

49. Etiam a. 1511. Veneti in Istris clades acceperunt, Germani Gallique in

Non evertibiles maris putabant,
Tanquam illis dea cæca semper aurum,
Semper divitias rota favente
Præsens accumularet et quotannis
Devictis nova regibus tributa
Ultro apponeret. hinc furor minæque,
Hinc insania pertinaxque fastus
Augebant animos ferocientes;
Hinc ille immodicus tumor suasit
Reges spernere despicatuique
Germanum decus et viros habere,
Divos atque homines nihil vereri.
Ah nudum quoties et indigentem
Exhaustumque pecunia vocabant
Ludo te Veneti salaciori;
Te dicteria, te leves cachinni
Et saltatio et insolens theatrum
Notabant, tibi mordicus prehenso
Infames tituli et notæ tributæ.
Versa est tota retro beans virago;
Et quæ iam Venetum ioca impudentum
Hancque in te petulantiam ferebat,
Rursum (o tempora) deiicit premitque
Nudos æris et omnium carentes,
Solos auxilioque destitutos.
It lugens mala civitas facitque,
Quos sprevit, superis suprema vota.

50. DE MVNERIBVS VENETORVM.

Ut pacem obtineant, ut te in sua fœdera ducant,
　　Omne genus, Cæsar, munera dant Veneti.
Hoc dare surripere est: si sumpseris, o decus, o laus,
4　　Quæ tibi divictis integra erant Venetis,
Dant tibi quæ tua sunt, rapiunt tibi maxima. ab hoste
　　Missa vocare igitur quid licet? Insidias.

Carnis prospere egerunt, Veneti cum Urbinate duce e Bononia fugati sunt, Camaracensem ligam Maximilianus Ludovicusque XII. renovaverunt; sed hoc epigramma ad Venetorum angustias respicere videtur, quibus post clades ad Abduam acceptas premebantur, de qua 'Cremonensi pugna' magna horum epigrammatum pars habet. [4] dea c.] Fortuna. Cf. epigr. 58. [13] Germ. dec.] Cæsarem. [20] prehenso *1.* [22] beans v.] Fortuna.

50. [3] Hæc *2...4.*

51. IN PVGNAM RAVENNENSEM.

Fas, socii, male velle malis, odisse superbos
Armaque conari contra inimica manu;
At miserum est sociale nefas civileque bellum
Miscere et sociæ cladis amore trahi.
Vicimus, at nobis perit et de sanguine nostro
Effusum est quicquid perdidit ista dies;
Atque hoc servitum est iterum tibi, Turca, triumpho,
Quod nisi lætaris, non sapis; at sapis hoc.
Te fœlicem igitur, cui quos tu perdere velles,
Ipsi intestino perdimur exitio.
Victor ova, compos voti, suspende trophæum,
Nam sine cæde tua vicimus ista tibi;
Mutuum in interitum pastoris ovilia Christi,
Nedum hæc ille lupus perderet, ipsa cadunt.
Erratum est, socii: tum si quis gaudet ab ista
Cæde, suo lætum se sciat esse malo.

52. AD CÆSAREM.

Senserunt Veneti quæ sint ea somnia, Cæsar,
Quæ modo dicebant perpetua esse tibi.
Tantorum sopor his igitur fuit ille malorum
Causa, quod hanc requiem non voluere pati.
Fallaces oculi et simulantia lumina somnum
Quo (miserum) Venetos perditis exitio!

53. DE PVGNA RAVENNENSI.

Sparsa Ravennates semiobruta membra per agros,
Quæque fit esca avibus quæque fit esca feris,
Diversorum hominum manante cadavera tabo,
Corporis Hispani hoc, corporis hoc Veneti,
Germanorum alibi iuvenum caritura sepulchro
Ossa videt quisquam et temperat a lachrymis?

54. AD CÆSAREM DE VICTORIA CREMONENSI.

Ulte nefas Venetum, scelera ulte insignia, Cæsar,
Confer in accensos thurea dona focos,

---

51. [5] Christiani sanguinis omnis. [9] felicem 2...4. (*ut ubiq.* fel.)
53. Cf. epigr. 39.41.46.51. [2] *αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.* Hom. Il. I. 4.
54. Cf. epigr. 38.40.45.55. sqq.

Gratas redde preces, æquo cadat hostia Christo,
Qui te, qui patriam servat et imperium,
Qui Venetas tibi fregit opes, spem gentis avaræ
Sustulit, in miseros deposuitque metus;
Sacra deo primum fac sospes, deinde triumpha
Lætaque victrici fige trophæa manu.
Tum vos, Cæsareæ quibus est cura ulla salutis,
Hic pia ferte deo munera, ferte preces.

55. DE PRÆLIO CREMONENSI.

Prælia Mantoo dare carmen idonea vati
Materia, insigni iustaque Mæonidi,
Res Venetum, quibus aucta tenus fuit omnipotente
Fortuna gratas usque movente vices,
Heu quantum fregistis opum, quæ copia per vos
Ex illo rerum flore senescit inops!
Nubila fœlici duxistis quanta sereno!
Scilicet hac Venetum res fuit aucta tenus.

56. DE EODEM.

Parte videt Venetos conflictu Crema sinistro
Hac cadere atque illa parte Cremona videt.
Dat specimen Fortuna sui, dant numina signum,
Heu nullam humanis rebus inesse fidem.

57. AD VENETOS DE PVGNA CREMONENSI.


Cæsareos soliti petulanter carpere somnos
Cunctantisque moras vertere in opprobrium
Desidiam nobis, Veneti, obiecistis et illam,
Nobis, haud vobis quæ nocuit, requiem,
Ociaque et lusus, quando inter vina supinos
Dixistis populos degere Teutonicos.
Verba animos movere virum risusque superbi:
Solvimus infamis ocia desidiæ;
Solvimus, o Veneti, somnos, vigilamus abactis
Lusibus, in vestras sed vigilamus opes;
Iamque etiam eventus docuit pugnare supinos
Scire et cunctantes rumpere posse moram.

---

55. *Hoc epigr. omis. 3.* [1] Mant. vat.] Vergilio. [2] Homero.

57. Cf. epigr. 52. [4] haua *2. quod mendum cum inepta incisione* (Nobis hava, vobis q. n.) *recipere non dubitavit 4.*

58. DE FORTVNA VENETORVM.



Qui nuper terris, Veneti, quique omnibus undis
    Imperium et leges imposuere novas,
Qui vicere duces, traxere in vincula reges
    Et freno populos continuere feros,
Quorum opibus nil maius erat, quorum urbe superbum
    Ilion inferius sordidiusque fuit,
Et qui iam secum tumidi caput orbis agebant,
    (Quid non immutant tempora?) sunt miseri.

---

58. Venetus leo in imis hæret, Iulii II. tiara clavesque summam rotam tenent, Maximiliani aquila in adscensione sursum tendit, Ludovici gallus præceps hæret. adparet igitur tempora æstiva a. 1509. indicari, post nocentissima incendia naufragiaque, postquam pontifex Venetos proscripserat (d. 10. Apr. a. 1509.), Ludovicus iis bellum indixerat eosque (Pitilianum et Alvianum) ad Geraddam (cf. supra ad epigr. 38. adn.) (d. 14. Mai. a. 1509.) fuderat fugaratque. „Ubi nuncii literæque (Bemb. lib. VIII. init. verba sunt) de ea re ad senatum venere, tantus repente dolor omnes tenuit, nunquam ut alias patres maiorem animo ægritudinem contraxisse civitas meminerit, fereque omnes tam inexpectatam reip. casum graviter dolebant ... nunc se victos exercitumque reip. fusum et profligatum esse gravissime ferebant ...". Vide etiam quæ ad picturam Venetorum legatorum a Maximiliano pacem suppliciter inplorantium adnotata sunt supra p. 122.
7 Ita Trivultius ante pugnam ad Addam commissam cum sui flumen traicerent,

59. DE ÆRVMNIS MAXIMILIANI.

Quos facit excelsos, cogit prius omnia virtus,
    Quædam etiam, quæ vix sint adeunda, pati;
Quæ si lance suis quicquid dat ponderat æqua,
    Et quantus labor est, præmia tanta refert,
Nemo maior erit, nemo te æquabit honore:
    Nam qui pertulerit tot mala, nemo fuit.

60. DE IMMODESTIA VENETORVM.

Concessit Venetis maxima Iupiter,
Terras et peregre divitias maris,
Europæ in populos perque Asiæ sinus
Ingens imperium regnaque fortia:
Atque hæc si libeat ferre modestius,
Dixisses etiam plus nimio satis;
Sed magnas quia res magna superbia
Tranquilli impatiens desuper abiicit,
Rursum aufert Venetis omnia Iupiter.

61. DE FORTVNA AD CÆSAREM.

Nuper Virtuti Fortuna inimica furebat,
    Quantis ut posset viribus officeret;
Ergo ut te totum pessundaret, ocius illam
    Fronti aptasse ferunt cornua bina suæ:
Tu virtute tua nixus de fronte revellis
    Cornu aliud Gallos, cornu aliud Venetos.

62. DE IMPRVDENTIA VENETORVM.

Quisquis exemplo Veneti senatus
Non feret lætam placide quietem,
Ducat exemplo Veneti senatus
    Tristia fata.

'Video' exclamavit 'hodie Venetos Italiæ dominos nobis imperium tradentibus fore'. Bemb. lib. VII. p. 279.

59. ERVMNIS *1.*

60. [9] Cf. epigr. 58.

61. A. 1513. cum de pace inter Maximilianum ac Venetos Gallosque ineunda frustra actum induciæque cum Venetis in tres menses prorogatæ essent, post Iulii II. obitum Galli Venetique Blesis inter se convenerunt de mutuo auxilio ad recuperandas sibi ablatas ditiones ferendo; Cæsar autem de Venetis depugnandis non abstinebat. Livianus e carcere Parisino liberatus tum Veneto exercitui denuo præfectus est. [3] ocyus *2...4.*

62. Senatus itineris cum exercitu faciendi facultatem Maximiliano qui denegarat (cf. Exhort. ad Maxim. v. 17. sq.) post clades ad Abduam acceptas desperat.

63. DE FATIS VENETORVM.

Fabula mota recens Italas conterruit urbes,
Atque illam Veneti composuere patres:
Scilicet ut si quid foret infœliciter actum,
Hæc mœstum attonita pellet ab urbe metum,
Esse quid in fatis quod Cæsaris arma moretur
Atque illos iubeat orbis habere caput,
Germanas aquilas Veneto succumbere Marco,
Summaque in Adriaco regna futura freto;
Terribiles etiam clades cædemque minantur:
Quæ cum aliquis credat, non eget helleboro?

64. DE FORTVNA VENETORVM.

Regina fluctuantis hæc maris potens,
Modo superbia tumens et ebrio
Sufflata cultu, bella delicataque,
Amabilis, spectanda florido statu,
Huberta cui fuere cuncta, quæ suas
Iactabat immodestius opes, nigro
Sedet paratu lachrymans, nec ut prius
Superbit; ora squallido situ oblita,
Genæ nec ut solent tenellulæ, nec est
Venusta frons; cessit potentiæ suæ
Throno, sedetque languidum nullo caput
Nitore continens manu, solo cubans.
Putavit hanc sibi haud ineptam Sors, iocos
In qua ederet suos et orbi illuderet.
Quid non tibi licere credis, Antias?
Quæ non soles miscere suprema infimis?

65. AD BONONIENSES.

Tu nunc Sequanicos mirata Bononia Francos,
Omnibus acclamas pompa obeunte viis.

---

63. Cf. Carmen exh. ad electores *et c.* in concilio Augustensi v. 209. (supra p. 199.) *Hoc epigr. om. 3.* [4] pellet *cdd.; rectius* pellat. ob *4.*

64. [5] Huberta *edd., et ipse Huttenus adspiratione male onerasse verbum videtur.* [6] nigro p.] lugubri veste. [7] lacrimans *4.* [14] æderet *2.4.* [15] 'O diva, gratum quæ regis Antium'. Hor. od. I. 35,1. [16] cf. epigr. 94. in f. et 74.

65. Hoc epigr. in Epist. Ital. (Ind. bibliogr. n. XI. 2.) inter id quod sequitur hic (66.) et quod supra est 27. legitur, inscriptum 'Ad Bononienses Aliud'. [1] Bononiam xi. kal. Iun. a. 1511. Galli, tum papæ hostes, ab exulibus Bentivolis et ipsorum oppidanorum proditione adiuti, occuparunt. Bemb. lib. XI. p. 412. [2] acclamans *4.*

Plaude quidem pompamque nova victoribus istis,
Et dominos Gallos fer dominosque voca:
Verum alios Francos alio Germania plausu
Heu vereor ne te non cupiente dabit.

66. DE CONVENTV BONONIENSI AD ITALOS.

Quid te adeo, genus acre virum, quid te, Itale pugnax,
Hi passim plausus istaque pompa iuvant?
Non quorum adspirat primo fortuna labori
Continuo invicti roboris esse puta.
Fregerit Helvetias Germano milite vires
Gallus, ab imperio Sfortia deciderit;
Ast ego venturi vates ero, credite vati:
Cum veniet Cæsar, omnia Cæsar erunt.

67. DE FORTVNA.

Huc nunc, huc oculos patentiores
Et mentis grave dirigant acumen
Reges et populi ducesque rerum:
Cum Gallis Venetos superbientes
Contra non nihil insolenter ausos
Oblitosque sui suæque sortis
Vicit Cæsar et ad nihil redegit.
Quis nunc fortuitos opinione
Amplexabitur exitus sequaci,
Aut quod sors dederit ratum putabit?
Quis nunc divitias potentiamque
Ut certum feret, ut suumque ducet?
Fortunæ vagus est levisque nutus,
Incertus favor et rotæ minacis

---

65. [5] alios] non Sequanicos sed orientales e Franconia Germaniæ, Hutteni patria. [6] dabit. *omnes.* cf. epigr. 63. v. 4. (pellet *pro* pellat.)

66. In XI. 2. (cf. ad epigr. 65. adnot.) inscribitur: De Eodem *[Conventu Galli et Leonis]* Ad Italos. [3] aspirat *1.* [6] Cf. epigr. 94. et ad seq. epigr. adnotata.

67. Post fœdus inter Gallos Venetosque de reparandis damnis contractum illi, quorum regem Iulius P. M., non ita longe post decedens, dignitate sua privatum declaraverat, exercitum novum ad recuperandum Insubriæ imperium miserunt. Mediolanum et pleræque ducatus urbes Gallis accedebant, qui tamen die 6. Iunii a. 1513. ad Novariam ab Helvetis Maximiliano Sfortiæ accedentibus victi Mediolanensem ducatum ut relinquerent iterum fuerunt coacti. Continuabatur etiam bellum inter imperatorem et Venetos et Patavio licet frustra temptato hi nonis Octobribus ad Vincentiam cæsi. Struv. in Maxim. I. §. xl.

Incomprensibile et citum volumen.
Huic magnam Veneti fidem dederunt,
Hanc semper solito venire Gallus
Cursu credidit et tenore cœpto:
Verum hæc versa retro fefellit ambos,
Et quos sustulerat favens in altum,
Rursum deprimit invidens ad imum.
Fortunæ instabile est vagumque numen;
Virtus, quos habet, efficit beatos,
Et siquid dederit, vetat revelli:
Cui fidens animo nihil timente,
Votis omnibus, exitus in omnes,
Terrarum caput ad nihil redegit
Cum Gallis Venetos superbientes.

68. DE FORTVNA AD CÆSAREM.

Tarda quidem, sed opima tibi Fortuna resultat:
Quæ veniunt cupidis sera, tamen veniunt:
Iupiter ille tuus tibi dum bona temperat astra,
Quiddam a Saturno, ne cito det, patitur.
Impediat licet ille, tamen melioribus astris
Sunt tibi vel media fausta parata mora.
Sydera promittunt meliora. quid ambigis? an non
Tardior ad votum est optima quæque dies?

69 DE GALLO ET CÆSARE.

Omnia sunt Galli, contra petit omnia Cæsar:
Ille quod est fruitur, hic quod abest inhiat.
Fac ludos, Fortuna, aliquos, mutata repente,
Cæsar ut hæc habeat, Gallus ut hæc cupiat.

70. DE ITALIA.

Victores paulo ante penes sors prospera Gallos
Cum foret, in Latio fabula Cæsar erat:
Vertit se Fortuna retro, Germania vicit,
Confestim Gallus displicet Italiæ.

---

67. [27] Terrarum caput] Cæsar.

68. [3.4] Iovis stellam benignam, Saturni malignam esse putabant astrologi. *Hpt.* [7] Sidera *2.. 4.*

69. Ad statum rerum Italicarum qualis a. 1512. fere fuerat, hæc apte dici videntur.

70. Cf. ad epigr. 67. adnotata.

Nescio quid sperem; certe quid dicere possum?
Mobilis Italia est, nobilis ante fuit.

71. DE FORTVNÆ MVTABILITATE.

Sorte sub ambigua devinctus vertitur orbis
Inque vicem redeunt candida et atra dies;
Imus ad arbitrium Fortunæ luminis orbæ,
Ad ventum exposita vertimur inque rota;
Omnia dant casus adimuntque: ita vertitur ordo,
Si tamen est ordo cuncta regi temere.
Vidi ego regnantes Venetos servireque vidi,
Sublimesque iterum vidi iterumque humiles
Parvum intra spacium nec multos temporis annos:
Usque adeo variat sors variatque cito.

72. QVOD FORTVITA FACILE MVTENTVR.

Æris eget Cæsar, numeratum possidet aurum
Gallus, et est auro florida res Venetum;
Hostibus addit opes motu Fortuna secundo,
Virtutem nobis cædit et arma deus.
Stat quisquam et casu mentem defigit in illo,
Eventum dubiæ nosse cupitque rei,
Et dum Sidonio Gallos miratur in ostro
Et Tyria Venetos murice obire videt,
Paupere continuo spem totam a Cæsare ducens,
Sub dominis Gallo fert Venetisque iugum,
Quos ubi contundi nostris rursum aspicit armis,
Teutonicas iterum pronus adorat opes:
Nimirum sapiens: nam quod Fortuna dat, aufert;
Non hisdem vicibus dat adimitque deus.

73. DE EADEM.

Quem dederat Fortuna apicem, siquando revellit,
Non sibi præstandam commonet esse fidem.
Sunt hæc usque tamen qui demirentur et omnem
In cæca ponant spem variaque dea.

74. DE FORTVNÆ LVDIBRIO.

Erexit Fortuna rotam, (sic perdita mundo
Illudit, quoties hanc iuvat esse levem)

---

70. [6] Rari sunt in Hutteni scriptis frigidi eiusmodi sonorum lusus.

Erexit, circum attoniti regesque ducesque
Ante vagam mœsti stant hilaresque deam;
Illa viros durare iubens spe mulcet inani,
Ambiguum axe movens orbem iterumque movens;
Aeternum facit hoc, nec adhuc tamen implet hiantes,
Dum sæpe a summo mutat ad ima loco,
Dum nunc afflat opes, dum nunc subvertit honores,
Hoc epigramma in 'Pasquillor. tom. II.' p. 82. præmissum est Huttenico 134. et ap. Bulæum l. c. Similiter cum sequenti Ducheriano est in Pasquill. extatic. p. 172. sq. De re ipsa cf. Hutt. or. contra Turcas §. 20. et quæ ad h. l. adnotavimus vol. V. p. 104. Etiam Bulæus l. c. ,,quem [Iulium] aiunt clavibus Petri proiectis in Tiberim, quod excommunicationibus nihil territus fuisset Ludovicus, accepisse gladium Pauli". Dum *Bul.* Tibridis *Bul.*

Gilbertus Ducherius Arvernus Aquis sparsis *(Aigue perse)* circa finem sæc. 15. natus, cuius editio Martialis a. 1526. 8°. rarioribus libris adnumeratur, edidit etiam suorum 'Epigrammatum libros duos' a. 1538. 8°.

'*Quum Petri nihil efficiant ad prœlia claves,*
'*Auxilio Pauli forsitan ensis erit*'.

---

137. DE IVLII PERFIDIA.

Iulius, a Phrygio qui legit nomen Iulo,
Et cui nunc rerum contigit esse caput,
Discite quos tanto dederit cum nomine mores,
Quo iure Assaracis adnumeretur avis:
In dubios casus avidum cum Cæsare Gallum
Abstulit, ablatos deseruitque cito:
Non servasse fidem destructæ infamiæ Troiæ est,
A Troia in nostros hoc trahit ille dies.
Neptuno Phœboque Phryges promissa negarunt:
Exemplo geminos fallit et ille duces.
Perfida bis veteris ceciderunt Pergama Troiæ;
At quando aut quoties perfidus ille cadet?
Una luit, decimum dum bellum ducit in annum,
Laumedontæam Græcia clade fidem:
At feret hunc Gallus, feret hunc Germania pugnax
Callida disposito pacta ferire dolo?

138. AD PRINCIPES CHRISTIANOS.

Sic periit pudor et periit prudentia, reges?
Sic iuvat in. cladem vos sine mente trahi?
Atque ipsos suasore iuvat vos perdere Iulo,
Væcordes monitis in scelera huius agi?
Et cum nondum Asiæ bellum Aegyptusque negarint,
Intestina domi conserere arma iuvat?
Aut quasi pauca fero veniant hæc commoda Turcæ,
Sic propriæ visum est cladis amore trahi.

---

137. [1] a Cæsare Iulio. cf. vol. IIII. p. 429. not. 12. [4] Assaricis *1. 3.* assaricis *2. 4.* Assaracus, Dardani, Iovis filii, ex Erichthonio nepos, Capyn filium, Anchisam nepotem habuit, sive secundum alios Trois filius fuit. Assaraci avi cum 'gente Assarici' (Verg. Aen. IX. 640.) iidem sunt, i. e. Troiani, a quibus Romani (Iulia gens in primis) venit. [7] ,,.. cum vertere ab imo Structa meis manibus periuræ mœnia Troiæ" Verg. Aen. V. 810. sq. [9] Neptunus et Apollo Laomedonti mercede conducti extruxerant Ilii mœnia, hic autem perfecti operis mercedem diis negat. Iliad. XXI. 441. sq. VII. 452. sq. [10] Post ligam Camaracensem Iulius tum a parte Cæsaris contra Gallos, tum a parte Gallorum contra Cæsarem steterat. [11] Vetus Ilium Troiano bello cecidit, novum ab Alexandri M. temporibus per Rom. imperii florem stetit. [15] hunc] Iulium II.

138. [3] Iulo] Iulio II. *ut v. 11.* [4] Vecordes *edd. præter 1.* [5] Selimum I. et Horuc Barbarossam in memoriam revocat poeta.

Inque vicem vos civili consumere bello,
Ut super exhaustos viribus ille ruat?
Ah pudeat Liguremque sequi, dum suadet, Iulum,
Et tandem placeat consulere in medium!

139. DE IVLII INSTITVTO.

Iulius assumptis Petræum clavibus ante
Cœperat ire gregem;
Continuo lupus acer oves invasit et atrox
Miscuit exitium.
Ille, datis Petri diffisus clavibus, actas
Liquit inermis oves;
Nec mora, Paule, tuum, quo se tueatur, ad ensem,
Non propria arma, ruit.
Ecce autem insueto contra sua castra paratu
Dum videt ire lupus,
Indoctum gladii, quæ non bene ceperat, egit
Deserere arma ducem.
Contemptas recipit Petrus sua munera, claves
Qui ferat, alter erit;
Nescius at Paulus, ne quis sua conserat arma,
Privat et ense virum.
Quas nunc ducet oves quæ nunc in pascua, mancus
Clavibus et gladio?

140. IN IVLIVM DE STATV VRBIS BONONIENSIS.

Olim clara viris et splendida vatibus olim,
Fortuna nullis inferiorque locis,
Mœret apud patrium deserta Bononia Rhenum,
Cum res perdiderit perdideritque viros;
Mœret, at interea vastator Iulius audet
Dicere provectam vindice se in melius.
Siccine res hominum tu, siccine provehis urbes,
Pernicies vatum, nobilitatis, opum?

141. DE IVLIO.

Pertæsum est Petri, nunc Iulius esse laborat,
Martia contemptis clavibus arma gerit,

---

139. *Hoc epigr. om. 3.* [4] cf. epigr. 135. sq. Petræum] Petrinum, Christianum. [11] cœperat *edd.*

140. [3] Bononiensem amnem *Reno*, Pado sese miscentem.

141. [1] Iul.] i. e. Cæsar s. bellator. cf. vol. IIII. p. 429.

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν.
Hanc summam laudis prædicat ille suæ.

142. DE IVLIO ALLVSIO.

Iulius est Romæ. quis abest? date, numina, Brutum!
Nam quoties Romæ est Iulius, illa perit.

143. DE GALLO ET CÆSARE IAMIAM PVGNATVRIS.

Arma per Insubres, Gallorum hinc, Cæsaris inde
Mutuum in exitium rapta tenentur, agros;
Utrimque atra viris rabies et sanguinis ardor
Stat ferro et dubia cæde petita sequi.
Non licuit, superi, tantum servare cruoris?
An nisi cruda parant vulnera cuique suum?
Et causam his dederit tuus ille vicarius, armis,
Christe, tuumque omni perdat ovile modo?
Tu casus, Fortuna, regis, te iudice certant
Gallorum inde acies, Cæsaris hinc acies.

144. DESCRIPTIO IVLII.

Qui chalybe et duris amicitur Iulius armis,
Terribilis barba terribilisque coma,
Cui torvos horrore oculos frons occulit atrox,
Tartareæ ignescunt cuius in ore minæ,
Ille, inquam, gladiis atque occidente sagitta,
Et terra populis et metuendus aquis,
Qui trucibus reges terrarum innexuit armis,
Qui tetrum excito sevit in orbe malum,
Ille tot exitiorum et tanti criminis autor,
Quo se cum populis imminuere duces,
Quique manu quique ingenio dira omnia patrat,
Natus in humanum pestis acerba genus,
Cuius opus mors est, turpissimus ocia luxus,
Qui pacem cunctis abstulit, arma dedit,
Ille, inquam, talis cum vita et moribus extet
Dissimilis Christo dissimilisque Petro,
Quid facit aut quid habet quod tandem dicere possis
Dignum Romani nomine Pontificis?

---

[3] Multasque fortes animas in Orcum misit. Hom. Il. I. 3.

143. *Hoc epigr. om. 3.*

144. Extat etiam in Wolfii Lectt. memorabb. II. p. 87. sq. [1] chalibe *1. 2. 3.* [2] barba] cf. epigr. 136. [8] sævit *4.* [10] cf. In temp. Iul. sat. v. 16. sq.

145. DE INDVLGENTIIS IVLII.

Fraude capit totum mercator Iulius orbem,
Vendit enim cœlos; non habet ipse tamen:
Vende mihi quod habes: nam quo (pudor), ut mihi vendas,
Ipsum te, Iuli, cuius egere vides?
Quin fera centimanos emittat terra Gigantes,
Iulius expulso vendat ut astra Iove:
Donec enim cœlos alius regit et tonat inde,
Non ego tam magni muneris emptor ero.

146. DE EISDEM.

Nunc ego terque quater venturæ gaudia vitæ
Et quædam, quæ sum vix habiturus, emi;
Accepi toties tabulas impressaque ceræ
Nomina, sed tantum nomina cum tabulis.
Illud et hoc temere: neque enim sperare quis ausit
Empturum se quæ vendere nemo velit,
Aut si forte velit, quæ nemo vendere possit,
Cum cœlum solus qui bene vivit emat:
Iam vero ut risu hoc dignum, tanquam esse beatum
Testibus his egeat, signa peti et tabulas!

147. IN IVLIVM.

Omnia turbantur, retro omnia versa videntur,
Qui bene non vivat, posse beare alios!
Cum multos ferroque neces atroque veneno,
Cum scelere occiderint milia multa tuo,
Cum tibi funesti sint sola negocia belli,
Ocia monstrosæ conscia luxuriæ,
Cum dicas faciasque nihil nisi turpe malumque,
Interea cœlum expendis, Iule, tamen?
Idque aliquis credat cui mens in corpore sano
Sana sit, et Christum qui putet esse deum?

148. DE IVLIO.

Hunc scelerum autorem tantorum, hunc fraudis amicum,
Cui requies bellum, pax odiosa fuit,

---

146. [3] cæræ *1.* [10] hic *1.* !] ? *edd.*

147. [2] !] ? *edd.* [4] millia *2...4.* [5] negotia *4.* [6] cf. vol. IIII. p. 448. sq. adnot. et infra In tempora Iulii sat. v. 40. sq. [8] cœl. exp.] In temp. Iul. sat. v. 13. [9] Iuven. sat. X. 356.

148. *Hoc epigr. om. 3.*

Omne libidinibus genus usque ad monstra notatum,
    Quo dare quid peius dii tibi, terra, queant?
Non tantum esse malum permisimus, esse beatum
    Credidimus, mundi pertulimusque caput.
Exhaustas igitur divino lumine mentes,
    O, et in errorum rusticitate vagas!

149. AD IVLIVM.

Dic mihi, sancte pater, cœlestis ianitor aulæ,
    Cui geritur summæ relligionis apex,
Qui reges regis atque locas relocasque tyrannos,
    Qui nutu solvis cuncta ligasque tuo,
Qui sanctos facis et cui contigit esse beato
    Ante obitum, qui nos ante obitumque beas,
Quid tibi bombardis opus est, quid equisque virisque
    Quæque armata præit quæ sequiturque manus
Hastarumque ista segete atque horrentibus armis?
    Quid cinctura opus est hac gladiisque tibi?
Omnia quid trahis hæc? aut cur, sanctissime, tanto
    Belli opere expugnas oppida, castra, domus?
Nonne manu poteras, tremulo simul ore, levata
    Hos dare diis subito Manibus hosque deo?
Certe omnes Petri similes aliterve probatis
    Moribus hæc possunt omnia pontifices.
Quid dicam, an quoniam malus es, diffisus et armis
    Pontificum, et præceps Martis in arma ruis?
O, in te erratum mundo, qui, cum ista facessis,
    Non videt a Petri te procul esse via.

150. AD CÆSAREM DE GERMANIÆ STATV.

Quando erit ut lumen Germania capta resumat,
    Hinc Romam ut videat seque suumque trahi?
Quando erit, ut bullas auroque parabile plumbum
    Orbe aliquis vendi cernat emique alio?
Aut tua perpetuo, quod nunc, Germania, Cæsar,
    Ludibrium Romæ diripientis erit?
Quin mundi imperium et caput hoc mundi imperiique
    (Nam possum haud aliud dicere) Roma tua est.

---

[3] libidinis *2.4*. cf. superioris epigr. v. 6.

149. [2] religionis *4*. [5] dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet. Ovid. met. III. 136. sq. notum ex Herodoto Solonis dictum. [19] mundum *2...4*.

150. [1] Volgare paullo post factum est illud 'Germania oculos recepit'.

151. AD CÆSAREM DE BELLO VENETO.

Sanguinis effusum civilis, Cæsar, abunde est,
Iam, credo, hoc ducet Iulius ipse satis:
Accipiant Veneti dominum te, Gallus adoret,
Publica, Christicolæ, fœdera inite, duces;
Te revehat celebri Germania læta triumpho,
Dehinc Asiam Christo cogat habere fidem;
Summa sit hæc rerum, vota hæc communia sunto,
Quod velit ille deum rector habere ratum.

VLRICHI DE HVTTEN EQVITIS GERMANI
AD CÆSAREM IMPERATOREM MAXIMILIANVM
EPIGRAMMATVM LIBRI
FINIS.

---

151. [8] deum rector] deus optimus maximus. [9] *om.* 2. 4. *totam subscriptionem om.* 3. [11] libri *om.* 2. 4.

IN TEMPORA IVLII SATYRA.

Hoc mens illa hominum, partem sortita deorum
Et pars ipsa dei, patitur se errore teneri?
Has ruit in tenebras? adeo sine lumine fertur,
Ut scelere iste latro pollutus Iulius omni
Cui velit occludat cœlum, rursusque recludat
Cui velit, et possit momento quemque beatum
Efficere, aut contra, quantum quiscunque bene egit
Et vixit bene, si lubeat, detrudere possit
Ad Stygias pœnas et Averni Tartara Ditis,
Et, quod non habet ipse, aliis divendere, cœlum?
Usque adeo errori divina obnoxia mens est,
Ut piscatorem posse omnia vertere Iulum
Credat et invito cœlos expendere Christo?
Et nunc ille vagum spargit promissa per orbem,
Qui cædem et furias scelerataque castra sequantur
Se duce, ut his cœlum pateat: qua fraude tot urbes
Et tot perdidit ille duces, tot milia morti
Tradidit, et pulsa induxit bella acria pace,
Tranquillumque diu discordibus induit armis
Et scelere implevit mundum, fasque omne nefasque
Miscuit, inque isto caneret cum classica motu,
Naufraga direpti finxit patrimonia Petri
Vindice se bello asserere atque ulciscier armis.
Quoque minus sibi verba dari quis sentiat, implet
Maiestate nefas, et stipatoribus illis

Hæc satira cum epitaphio ita post epigrammatum ad Maximilianum librum a. 1519. editum (Ind. bibl. XX. 1.) ante heroicum de piscatura Venetorum legitur; recentiora exempla (XX. 2...4.) post epigrammata ex urbe missa satiram exhibent. Extat etiam in Pasquillor. tom. II. p. 89...91. et in Pasquillo extatico p. 184...186.

Hæc quoque satira Lutheri thesium publicatione antiquior est. Cf. supra epigr. 145. sqq. [6] quenqȝ *1.* [7] i. e. quantumcumque quis bene egerit. [13] cf. epigr. 147. v. 8. [17] cf. epigr. 144. v. 10. millia *2...4.* [24] verba d.] illudi.

Grande facit nomen, iamque est Ecclesia Christi
Latronum illa manus. O seclum! o pectora, cæcis
Nubibus et miserando a se immutata stupore,
Lucem ipsam et nudum non agnoscentia verum,
Obductum nebulis vanum admirantia fucum!
Non hominem penes est cœleste expendere donum:
Nedum hoc ille latro sceleratum vendat in usum!
Tum quantum a Christo est alienum, hoc pacis alumno,
Sanguine commaculare manus et cæde nefanda
Perfurere; illa autem divinæ habitatio pacis
Qua sorte hæredes Ecclesia venit ad istos?
Præterea quis recta sequi iustumque tueri
Ulterius sanctum ducet, si præmia vitæ
Ille ferat morum parte inquinatus ab omni?
Ille ferat, non vir, qui quæ patiturque facitque,
Si tribuas aurum, faciasque ipse et patiaris,
Condonat labemque adimit purumque reducit?
Siccine res superum est humano obnoxia ludo?
Quin animum capimus, cives, ad nosque redimus,
Et recte atque pie viventes summa putamus
Regna deum nobis cessura, ipsosque beatos
Et sanctos fieri, quos non sanctissimus ille,
Verum opera ipsa beant; eademque superna recludunt,
Haud claves, nullum quas hic veterator in usum
Ostendit populo iactatque in simplici turba.

FINIS.

IVLII .II. LIGVRIS PONTIFICIS MAXIMI EPITAPHIVM HVTTENO AVTORE.

Hoc tegitur tumulo pastor lupus, ille, solebat
Vendere qui bullas, ipseque bulla fuit.

SYNCERITER, CITRA POMPAM. ZELO PATRIÆ.

Hic memorandum esse videtur, quamvis anno demum 1520. publicatum
EPITAPHIVM BVLLÆ LEONIS X.
quod dialogi Bulla finem facit, vol. IIII. p. 331.

---

[40] cf. epigr. 147. v. 6. et Epigr. ad Crotum 1. v. 7. [45] cf. Iacobi ep. II. 14. sqq.
Hoc epitaphium *om. 2. 3. Münch. dedit vol. III. p. 117. ex Burckhard. III. p. 45.* HVTT. A. *om. 4.* SYNC. *etc.*] *om. 4.*

VLRICHI DE HVTTEN
EQVITIS GERMANI
PRO ARA CORITIANA
QVÆ EST ROMÆ
EPIGRAMMATA.

1.

Propitius quondam Crètæis Iupiter oris,
 Propitius fertur Sol habitasse Rhodi,
Pallas Athenæas præsens respexit ad aras,
 Mænalio statuit Pan sua sacra iugo,
Thura dat æquorea Tænaros gratissima regi,
 Fert Iuno altrici vota precesque Samo,
Dilexere pios Phœbeia numina Delphos,
 Syrtica cornigero fumat arena Iovi,
Præcipue Maia genitum Cyllenia placant
 Templa, Venus Paphia sustinet urbe coli,
Amphitryoniaden proprie colit ultima Gades,
 Vulcanoque magis Lemnia sacra litant:

---

v. 1. VLR. *1.* DE] ab *2. 4.* v. 3. Area *4.* De hac ara et de ipso Coritio quæ scimus in primis ex Corycianis (Ind. bibl. Hutt. XX. I. γ) haurimus, quorum, cum per Germaniam præter Monachiense exemplum vix extet, præfationem cum poetarum indice his Huttenicis epigrammatis subiunximus. præterea Pierii Valeriani lib. II. de litteratorum infelicitate et Pauli Iovii Elogiorum cap. CIII. adeantur, ex quibus et Longolii epistol. lib. II. fol. 183. Bælius Coricii vitam (Dictionar. v. *Coricius*) breviter enarravit. Cf. vol. II. p. 164. v. 23. In his epigrammatis ordinem sequor exemplorum *1...4.* (Ind. bibl. n. XX.), non eum qui in *C.* (= Corycianis) observatus est, ubi hæc 5 epigrammata sic conlocata sunt: 3, 2, 5, 1, 4.

[1] Ab Iove principium! *Κρηταγενής*, *Δικταῖος*, *Ἰδαῖος*, ab Amalthea nutritus; ,,Creta Iovis magni medio iacet insula ponto". Verg. Aen. III. 104. Iuppiter *C.* [2] Sól Rhodius. cf. impr. Pindar. Ol. VII. c. interpp. [3] Pallas Athene. [4] Pan, Mænalius, i. e. Arcadius deus. Ovid. Fast. IV. 650. [5] Tęnaros æquoreo tura acceptissima regi, *C.* Tenaros *edd.* Tænarius (Laconicus) deus Neptunus. Pausan. III. 12. Tænarus, Laconiæ promontorium. [6] Samia Iuno. cf. Varro ap. Lactant. I. 17. [7] Delphicus Apollo. Pausan. X. 5, 3. [8] Iupiter Ammon. Lucan. Phars. X. 38. ,,Syrticus Hammon". harena *C.* [9] Mercurius, ,,quem candida Maia Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit". Verg. Aen. VIII. 138. sq. Cyllenius simpliciter etiam nominatus a patrio Arcadiæ monte. [10] Paphus, Cypri urbs, Veneri dicata. Ovid. met. X. 243. sqq. [11] Hercules, Amphitruonis filius, Gadibus cultus. Sil. Ital. Pun. III. 4. Strab. III. p. 172. colit] mouet *C.* Gadis, *C.* [12] Lemnius.

Falsis ista deis: cultu meliore dicata est
Ara salutifero Coritiana deo;
Hic natum matremque roges aviamque licebit,
Non falsos vera relligione deos.

2. PRO EADEM.

Coritiana pios venerari sacra poetas
Atque ea carminibus semper adire novis,
Urbe aliquis tota defectas vatibus aras
Dum videt, afficitur, in dubiumque vocat:
Qui statuit, vatum pater est, sibi propria vates,
Desine mirari, templa statuta colunt.

3. VOTVM PRO SE IN MORBO PEDIS.

Orbe pererrato terra omnia passus et undis
Nunc etiam raptum peste agitante pedem
Coritii pietate nova devolvor ad aram,
Hac, avia, hac, mater, hac tibi, nate, prece,
'Da morbum cessare pedis, da robur ademptum,
'Sic nunquam his desint ceraque thusque focis'.

4. PRO ARA CORITIANA.

Certum est Coritii patris sacellum,
Quod fecere alii prius poetæ,
Non libo colere aut mola recenti,
Nec cæso bove victima cruenta,
Sed versu ingenioque, qualecumque id.
Da mi, Musa, aliquid novum, dedisti
Quod non his aliis prius poetis.
'Consumpta est', ait 'ut nihil supersit
'Omnis copia tot prius poetis';

Ovid. met. IV. 185. Lemnius pater. Verg. Aen. VIII. 454. κάππεσον ἐν Λήμνῳ. Hom. Il. I. 593. [14] Corytiana *C.* Cf. infra repetitam Blossi Palladi præfationem Corycianorum. [15] Christo, Mariæ, Annæ sacra fuit Ara Coritiana. Cf. epigr. 3. v. 4.

2. Idem *C.* *Epigrr. 2. 4. omis. 3.* [1] Coryciana *C.* [4] in] ni *1.* [5] Quis locat hæc, vatum *C.*

3. Eiusdem Votum. *C.* Cf. supra Epigr. ad Maximil. 11. v. 11. et epigr. 47. [1] perarato *2...4.* [3] Corycii *C.* deuoluar *C.* [4] cf. epigr. 1. v. 15. [6] cæraqȝ *edd.*

4. Huic, in *C.* primo, epigr. inscriptum ibi est: Huldericus Huttenus Eques Germanus. [1] Corycii *C.* [5] qualecunqȝ *C. 2. sqq.* id] est, *C.* [7] Nomina poetarum qui carmina ad aram Coritianam deposuerunt, post Palladii præfationem dabo.

Iuvat me tamen et iuvabit usque,
Quæ sors cumque mihi sit, experiri
Quiddam ad Coritii patris sacellum.

5. PRO EADEM.

Quot se vere novo diffundunt gramina campis
Et quot tunc passim floribus albet humus,
Monte Hybla quot aluntur apes, quot acerba pruinas
Fundit hiems, quot habet sydera uterque polus,
Quot gravis autumnus dulces vindemiat uvas,
Sicca quot e Libycis grana teruntur agris,
Quot foliis vaga sylva viret, quot sydus inundat
Pleiadum guttis, quot fovet Ida feras,
Quotque in Atho lepores, quot in alto gurgite pisces,
Quot patula volucres aura animantur aves,
Non bene quis numerat, sed nec numerare facultas
Coritii versus quot ferat ara patris.

CORYCIANA.

BLOSSIVS PALLADIVS RO.
IANO CORYCIO LVCVMBVRGEN
Á LIBELLIS IVST . V . C
S . P . D

CORYCIVM SENEM *tibi quadantenus cognominem, Iane Coryci P. Vergilius (vt scis) multis versibus* [Georgic. IV. 125. sqq.] *collaudat, facitq́ȝ eum ad Galesum flumen, sub altis Turenti turribus, hortorum cultui hærentem, vitamq́ȝ felicem atqȝ otiosam ruri degentem. Itaqȝ hac vna hortensi industria meruit vetulus cilix diuinis carminibus interseri, et vita longæuus, longæuior fieri carmine, quod illi pro æterno*

---

[11] cunqȝ feretur, experiri *C.* cunqȝ *2. sqq.* [12] Corytij *C.*
5. Idem *C.* [1] Quod *3.*

,,Inde ego pauca canam, frondes ut siquis ab Ide
Aut summam Libyco de mare carpat aquam:
Nam neque quot flores Sicula nascantur in Hybla
Quotve ferat dicam terra Cilissa crocos,
Nec cum tristis hiemps Aquilonis inhorruit alis
Quam multa fiat grandine canus Athos,
Nam mala voce mea possint tua cuncta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi". *Ovid. Ib.* 199. sqq.

[3] 'quot apes Hyble' *Ov. art. am.* III. 150. [4] Spargit *C.* hyems *C. 2. sqq.* sidera *C. 2. sqq.* [5] 'neque numerabis in ilice glandes' *Ov.* l. c. 149. [6] Lybicis *1., cett. edd. præter C.* Libicis *4.* Libycæ areæ, messes *et c.* poetis etiam celebratissimæ. [7] e] in *C.* sidus *C. 2. sqq.* [8] 'quot in Alpe feræ' *Ov.* l. c. Ida, Phrygiæ, non Cretensis h. l. intellegitur. [11] Fuerit facultas sed non ita magnæ utilitatis.cf. seq. pag. 276. [12] Corycij *C.* gerat *C.*

monumento à poëta omnium maximo statutum est. Atqꝫ ille quidem hoc summi poëtę munere æternus iam est, suaśqꝫ arbores et plantas viuacitate vincit, pariqꝫ perennitate huius memoria cum poëtę gloria protenditur, tantum illi felicitatis attulit .P. Vergilium in eius hortos incidisse. Quid autem te Iane Coryci dicam, huius senis cognominem, annis æquæuum, ab hortorum cultu non abhorrentem? Quem omnes nostri temporis vrbani poëtę vno ore concelebrant? Quid hoc? an fatũ aliquod est, Corycios semper poëtis populares. Corycium crocũ atqꝫ adeo aromata omnia, ad æternitatem olentes? Nisi te etiam illo longe præstantiorem, et ex Parnasso monte, ac Corycio specu, Musarum dono nobis datum crediderim, ac (si poëtice magis eloqui licet) ab Corycijs genitum nymphis atqꝫ educatum, Quod omnia huius æui ingenia in vrbe excitaueris, et ad virtutis laudiśqꝫ amorem miro ardore succenderis. Nam tu cum ab hinc fermè decennio pro tua pietate aram cum sacello in æde Diui Augustini, Christo Deo, matriqꝫ et auiæ eius, Marię et Annę statuisses, treiśqꝫ statuas suã cuiqꝫ è Lunensi illas marmore erexisses, ad hęc picturã longe inclytam et priscę æmulam, addidisses, scalptoreḿqꝫ, et pictorem q̃ eximios adhibuisses, præterea sacrificio quotidiano perpetuo, vasa, vestem, pecuniam legasses, Tum poëtę vrbani omnes, velut œstro perciti, tuaḿqꝫ tum pietatem, tum operis ipsius excellentiã admirati, te certatim extulerunt, tuámqꝫ animi magnitudinem, statuarum nitorem, artificum præstantiam, suis carminibus texuerunt. Præclare illi quidem, et vt in diuinis rebus, propè diuine. Qua sanè in re nescio an potius | vbertatem ingenioꝝ, copiámue sententiarũ, an carminum genera et varietates, laudandas putem, cũ in omnibus, quanq̃ inuentione, stylo, metro, diuersis, vnus tamen ac propè idem decor concentúsqꝫ eniteat. Alius elegis, alius heroicis, alius lyricis numeris, aut phalæcijs agit, æque pulchre omnes. Adde rei ipsius ac materię dignitatem, cum nõ vt prisci coaceruatim, in licentiosis Lampsaceni iocularibus, sed in Dei ac diuorũ laudibus canendis, ingenium exercuerint. Ergo vt in plurimis, quoꝝ Pandectę sunt, Iurisconsultis, pręter rei ipsius quam docent, vtilitatem, vnus propè stylus in tot diuersissimis, tum ætate, tum patria, ingenijs elucet, Sic in hoc vno libello, pręter ipsam rem, quę (vt non maius dicam) diuina ẽ, et de Deo ac diuis contexta, etiã styli elegantia, etiã ingenioꝝ vbertas, etiã inuentionis carminumqꝫ varietas, admiranda nobis est. Stupendum est præterea, quosdã in his penè pueros esse, Romanámqꝫ pubeculam tam præcox et frugiferum ingenium diuis suis consecrasse. Felix igitur tu Coryci, nõ vt Tarentinus incola de suis hortis, sed de tuis statuis, de tua pietate, de diuino cultũ, de perpetuo sacrificio, de tot poëtis, de tot carminibus, de tua perenni gloria, mansuráqꝫ | æternitate. Nam quanq̃ tuę laudes longe plures ac potius innumerę sint, tamen sic velim Coryci existimes, tuam felicitatem hoc vno libello contineri. Etenim hę tibi statuę, præterq̃ quod carminibus et monumentis tot poëtarum, perennitatem tibi contulerunt, etiam statuam in cœlo statuerunt, aut certe locum ac sedem pepererunt, in quibus tu resideas sempiternus. Quod si .P. Vergilius in tua, aut tu in illius tempora incidisses, habuisset ille quidem quid de te, præter hortense studium concineret, prædicasset in homine natione externo, Romanum ingenium, vrbanam dexteritatem, litteraria studia, litteratorum comercia, festiuam vrbanitatem, extemporariam dicendi facultatem, antiquitatis et marmorum vetustorum amorem, tum vero rigidam in iustitia et supplicibus libellis, quibus iam sub sex Pontificibus præsides, seueritatem, atqꝫ etiam istam tuam caniciem, corpuśqꝫ teres et viuidum, istaḿqꝫ tunicam tenuem atqꝫ expeditam, in frugi homine, et ab omni ambitione semoto, cum nitens alioquì vestiarium tibi sit, prædicasset. An vero ille illum tuum solennem diem tacere potuisset, quo tu Annę Christi | Auię sacrum, tanto cultu et honore, ad tuas primum statuas stato sacrificio, inde ad hortos, pingui et lauto epulo, atqꝫ adeo omnibus bonis, omnibus doctis, indicto, concelebras? Nam eò bonorum atqꝫ eruditorum virorum ea cohors coit, ac diem celebrat, vt in tuis hortis medias Athenas, emporiuḿqꝫ

doctrinarum possis videri illo die includere, et musas de Helicone et Parnasso deductas, in Tarpeium et Quirinalem tuis hortis imminentes, transferre. Vbi alius ad arbores citrias, alius ad hortenses parietes, alius ad puteos, aut signa, quę illic plurima sunt et speciosa, omnia antiqui operis et glorię plena, hac illac temere et varie, carmina affigunt tuas statuas, tuam pietatem, liberalitatem̃qʒ eius diei, tam in Deos q̃ in homines tantam, vno ore concelebrant. Deniqʒ nullum in orbe terrarum (ausim hoc dicere) consilium aut conuiuium est, illo tuo illius diei, nobilius atqʒ illustrius, quum præeuntibus mane sacrificijs, et re diuina, post vergente vespera, selecta doctissimorum turba, et quasi flores litterarum, in hortos tuos coaceruantur: quos tu quidem pluris q̃ reges, plurísqʒ q̃ Satrapas vniuersos æstimas et iure æstimas. Neqʒ enim philosopho, immo sapienti | tibi, plus animum purpurę ac mitrę, quàm carmina et metra peruadunt, neqʒ pluris eos facis, qui sunt, q̃ qui esse reges merentur. Possem ego istos hic inserere, ac nomina poëtarum tui temporis, posteritati indicare, nisi penè innumerabiles essent, ac bona eorum pars in libello ipso carminum annotaretur. Quare te iterum atqʒ iterum felicem iure appellauerim, cum tu in tanta vbertate ingenio℞, quantam nostra tulit ætas, non solum annumerari, sed ab omnibus vnus celebrari merueris. Eant igitur isti, qui laquearia aurea supini suspiciunt in cameris, suasqʒ opes sibi habent, aut auare occlusas, aut inutiliter profusas, aut indignis erogatas, nec quicq̃ in poëtas et doctos viros largiuntur. Tu enim non vsqʒ adeo diues, sed tamen satis animo diues, ac diuitiarum prudens partitor, nobili hac liberalitate, quam in perpetuum sacrificium et in solenne hoc epulum contulisti, tum alia indesinente et perpeti, quam in omnes assidue bonos per occasionem exerces, factus es sempiternus. Siquidem in diuos, qui supra homines, in homines, qui inter homines doctrina excellerent, ostendisti simul pietatem ac liberalitatẽ. Verum illi cum suis plurimis opibus, quibus vti ne-|sciuerunt, interibunt, nomeńqʒ vnà atqʒ opes in terra condent, tu paucissimis tuis diuitijs perbene vsus, bene ac sempiterne vteris. Etenim in cœlo tibi æternitatem Diui, in terris optimi homines, optimis monumentis, perennitatem rependent. Quo magis miratus aliquando sum, te tam inglorium, atqʒ immortalitatis contemptorem fuisse, vt tuę glorię inuideres, carmináqʒ tot, tòtqʒ ingenia supprimeres, et cum gloriam tam meruisses, meritam tam contemneres, aut certe negligeres. Ecce iam Decennium circumactum est, ex quo ista conflata, emissa, diuisqʒ donata sunt nec dum in lucem à te proferuntur. Inuidisti tibi, immo etiam Diuis, immo et nobis omnibus, qui non sumus tam philosophi quàm tu, qui Gloriam amamus, qui famam non contemnimus. Ergo (dicam enim iam libere) tecum furem esse oportuit, atqʒ istum libellum, quem tu sepultum atqʒ occultum volueras, subfurari tibi, atqʒ in lucem edere opus fuit, vt nobis omnibus aliquam afferret lucem. Scio non esse nos Vergilios, neqʒ tam nos assecutos his plurimis versibus, q̃ illum illis paucissimis: Sed nec vllos alios præter Vergilium fuisse Vergilios, et te illi Corycio ante-|ponendum (vt dixi) non dubito, neqʒ quia nos tibi Vergilij esse non possumus, Ideo tu nobis non eris Corycius. Viues, viues inq̃ nobiscum, et hoc vno remedio mortem vincemus, vt mortui vita, per famam et gloriam viuamus. Quod si altera quoqʒ æternitatis via, quę armis et victorijs quæritur, in precio est, quinimmo preciosior quibusdam habetur, Ego istam mihi amabo, quę prodest scribendo, non obest rapiendo, quę innocentia, humanitate, pietate, non audacia, ira, vi, temeritate contendit, Ita vt longe mihi præoptem (si id assequi possem) poëtam me esse q̃ militem. Verum ad me redeo, quem furem fuisse fateor ne tu esses inuidus, neu forte id nobis quod olim illi eueniret, Cui diuina opici roserunt carmina mures. Librum itaqʒ istum, quem tu capsula occlusum tenebas, in tua cellula, ad lęuam manum, sopito nuper tibi subripui, et quasi à Sileno dormiente Vergiliani pueri, sic ego à Corycio sene, æterna carmina clam extorsi, inuulgandáqʒ typis dedi. Dabis tu veniam, ac mecum redibis in gratiam, vt voles, neqʒ me sic furem oderis, vt non recogites, te

potius odio habendum | fuisse, ut inuidum. Deniq3 alliges me vt vis ad tuam Tarpeiam rupem, me nunq̃ pœnitebit fuisse Prometheum, Qui vt ille de cœlo ignem, sic tibi ardentia et victura carmina, ad perennitatem nostram, sæculiq3 voluptatem, subripuerim.

V A L E.

Nomina poëtarum quorum Epigrammata continentur

CORYCIANORVM LIBRO PRIMO.

Mariangelus Accursius | Ianus Vitalis Panhormitanus | Franciscus Sperulus | Siluius Laurelius | Lucius Gabriel Rubimontius | Faustinus Buturinus Veronen. | Blossius Palladius Romanus | Petrus Cursius | Ioannes Maria Cataneus | Iacobus Sadoletus | Cæsar Saccus | Philippus Beroaldus Iunior | Vincentius Pimpinellus | P. Antonius Cippius | Andreas Fuluius | Corradus de Grassis | Marcus Caballus | Petrasancta | Antonius Lælius | Angelus Colotius | Iulius Agathidius Vigil Spoletinus | Camillus Porcius | Petrus Bembus | Fabius Vigil Spoletinus | Baptista Casalius | Sauoia | Fauonius Vergerius | Aegidius Gallus | Io. Baptista Sanga Romanus | Carolus Mazzeus | Ioannes Muzzarellus Mantuanus | Iulianus Princiuallus Camers | Io. Baptista Cataneus Imolen. | P. Hersilius | Nicolaus Cruciger Patav. | Hieronymus Laurelius | Io. Antonius Areas | Capella | Io. Benedictus Annius Viterb. | M. Ant. Pisaurius Venetus | Hector Fliscus | Philippus Antonius | Aeschines Hispellas | Felix Hispellas | Faustus Capiferreus Ro. | Io. Bap. Lutius Ro. | Io. Iacobus Cipellus Cremonen. | P. Paulus Thebaldus Ro. | Stephanus Iuliarius | Io. Andreas Saurius Amerinus | Curtius Phrygepanis | Seuerus Monachus | Cæcius | M. Antonius Casanova | Io. Franciscus Anysius | Scipio Carteromachus | Ioannes Macerata | M. Hieronymus Vida | Paulus Iouius | Caluus Minacianus | Antonius Amiternus | Donatus Polius | Christophorus Suchtenius Germanus | Io. Franciscus Philomusus | M. Angelus Ruspinus | Gaspar Ursinus Germanus | P. Delius | Hieremias Cusatrus | Io. Stephanus Cotta | Balthassar Tacco | Galeatius Capella | P. Dardanus Parmensis | Paulus Bombacius | Pierius Valerianus Belluniensis | Grapaldus | Sebastianus Sperantius | Nicolaus Mandosius Amerinus | P. Franciscus Modestus | Albertus Cistarellus | Hieronymus Pacinas | Marcellus Palonius Ro. | Nicolaus Liburnus | Aloysius Vopiscus | Aurelius Fossa | Io. Capito Arretinus | Michael Nardinus | Delius Hieronymus Alexandrinus | Michael Venetus Fulginas | Cæsar Steccatis Ro. | Paulus Cerratus | Laurentius Vallatus Ro. | A. Orpheus Pellatus | Petrus Mellinus Ro. | Petrus Aperbachius Germanus | Caius Siluanus Germanicus | Balthassar Castillionus Comes | Ludouicus Faber Phanen. | Andreas Maro | Baptista Pius Bononiensis | Io. Franciscus Binus | Antonius Bizar Senensis | Franciscus Arsillus Senogalliensis | Horatius Coelius Otriculanus | Barptolemæus Simonetta | Vitalis | Facius Polydorus Panonius | Antonius Nerlius | Hulldericus Huttenus Eques Germanicus | Ianus Damianus Senensis | Hieronymus Ferrarius Senianus | Gregorius Angelus Germanus | Lucius Salimbenus | Petrus Andreas Sanstuccius Fidentiolanus | Franciscus Coptius Narniensis | P. Ianus Hadelius Saxo |

CORYCIANORVM LIB. II. HYMNI.

Lilii Gregorii Gyraldi | Iani Vitalis Panhormitani | Francisci Centelles | Leonardi Tostæ | Delii Hieronymi Alexandrini Ro. | Hieronymi Corfini Veronen. | Laomedontis Tardoli Camertis | C. Siluani Germanici | Io. Baptistæ Almadiani |

CORYCIANORVM LIB. III. ANNALES DIES.

Fabii Vigilis Spoletini | Siluii Laurelii | Hieronymi Vidæ | C. Siluani Germanici | Iani Corycii Lucumburgen. | Francisci Arsillii Senogallien. de Poëtis Vrbanis, Ad Paulum Iouium LIBELLVS. [in quo Germanicorum poetarum mentio nulla fit.]

5 Singula nomina semel tantum ponam etiamsi sæpius in libro redeant, omissis carminibus quibus 'Adelon' inscriptum est.

EIVSDEM
AD COLVMNENSES ROMANOS
EPIGRAMMA.

Dii medio in Latio solidam posuere columnam,
Qua Iovis interdum fessa quiescat avis.
Bellum erat, exierant Galli exierantque Leones,
Thuscus, in Euganea quique palude regit;
Fessus ibi quoties requiem sibi posceret Ales,
Fulcivit gratas illa columna vices.
Si numeres annos, medio si in marte labores,
Hanc molem belli sustinuisse putes.
Vive, Columna, diu nulloque intercide lapsu,
Quæ colis Imperium sola, tenesque fidem!

Falso hoc epigramma Coritianis adnumerant 2. *sqq.* neque extat inter Coryciana Romæ a. 1524. 4⁰. publicata. Poterat hoc epigr. inter ea quæ Cæsari adscripta sunt, recipi; sed cum ipse Huttenus non fecerit, neque mihi licere volui. [1] Est etiam in insignibus Columnensium in rubro fundo columna argentea cum corona aurea in aureo pede stans. [2] Iovis avis] i. e. Aquila imper. [3] Leones] Thuscus = Leo X. Florentinus, *et* in Eug. qui pal. regit] Venetus Leo S. Marci. [9] Columnenses] vetus a Columna in agro Rom. sito vico, quem antiquum Labicum esse ferunt, nomen gerens nobilissimum genus. Prosper Columna in pugna Vicentina Livianum vicit a. 1513., Fabricius C. item sub Ferdinando Catholico militans a. 1507. magnus regi conostabulus factus post ligam Camaracensem contractam Venetis possessiones suas Neapolitanas ad oras Hadriatici maris eripuit; deinde Iuli II. exercitui præfectus in prælio Ravennensi (pasch. a. 1512.) ab Alphonso Atestensi Ferrariæ duce captus et libertate donatus huic contra pontificis Ferrariam invadentis dolos, ut in ducatum suum restitueretur auxilio fuit: nisi Iulius II. a. 1513. exspirasset, Fabricium ad a. 1520. usque non vixisse credendum est. Præcipue denique huius epigrammatis laudes tribuuntur Marco Antonio C., Petri Antonii, fratris Prosperi, filio nat. a. 1478., qui celeberrimus militum dux Iulium II. a. 1510. e Bononia obsessa liberavit, Ravennam contra Gallos strenue defendit et Maximiliani I. exercitui præfectus Venetos cum Gallis coniunctos Veronam fortissime optinuit sequenti anno. Pace Noviodunensi a. 1517. inter Cæsarem Venetosque inita M. Antonius Francisci I. exercitui præesse cœpit, in quo munere a. 1522. bombardæ Mediolanensis ictu, quem ut fertur ipse avunculus Prosper fratris filio a se non adgnito destinaverat, percussus obiit.

VLRICHI DE HVTTEN
AD CROTVM RVBIANVM
DE STATV ROMANO
EPIGRAMMATA EX VRBE MISSA.

1.

Vidimus Ausoniæ semieruta mœnia Romæ,
Hic, ubi cum sacris venditur ipse deus,
Ingentem, Crote, pontificem sacrumque senatum
Et longo proceres ordine Cardineos,
Tot scribas vulgusque hominum nihil utile rebus,
Quos vaga contecto purpura vestit equo;
Tot, Crote, qui faciunt, tot qui patiuntur, et illos,
Orgia qui vivunt, cum simulent Curios;
Rursum illos, qui nec simulant bona nec bene vivunt,
Qui rident mores exibilantque bonos,
Quos iuvat esse malos, quibus et licet, in iuga quorum
Consensit miseris Teutona terra modis;
Qui dant quique vetant, qui quos clausere recludunt
Arbitrio cœlos distribuuntque suo,
Romanas, neque enim Romanos: omnia luxu
Omniaque obscœnis plena libidinibus:
Atque hæc post Curios, Pompeios atque Metellos
(O mores atque o tempora!) Roma tulit.
Desine velle sacram imprimis, Crote, visere Romam:
Romanum invenies hic, ubi Roma, nihil.

2. DE EODEM.

Vendit Roma deum, vendit sacra, vendit honores,
Ipsaque, quod mirum est dicere, Roma venit:

1. *Cf. Ind. bibl. n. XXI. 1.* 𝔖 *et 2...4.* ab *2. 4. nomen om. 3.* MISSA] a. 1516. cf. vol. I. p. 105. n. XXXV. [7] Cf. In temp. Iul. sat. v. 40. sqq. [8] „Curios qui simulant et Bacchanalia vivunt". Iuvenal. sat. II. 3. [13] dant] licentias.

2. [2] vĕnit] *voluit* vēnit, venditur. Similiter IN ROMAM scripserat Baptista Mantuanus:

Si quid Roma dabit, nugas dabit, accipit aurum,
Verba dat; heu, Romæ nunc sola pecunia regnat.

Usque adeo nihil est quod non ibi comparet aurum,
Scilicet, ut fiat aurea Roma iterum.

3. DE ROMANIS VT NVNC.

Dicunt sancta patres, operantur pessima Romæ,
Quidam etiam dicunt nec bene nec faciunt,
Relligio tamen et Christus iactantur ab illis,
Tollitur et passim prostat imago crucis,
Et piscatoris gliscunt patrimonia Petri,
Vibrantur magni fulmina pontificis;
Vestit summa pedes a vertice purpura longum
Pone sequens: dicas vivere simpliciter;
At nisi me fallat, sed nunquam adeo omnia fallunt,
Ista ovium miros vestit imago lupos.

4. OMNIA ROMÆ PECVNIA REDIMI.

Ite, viri, conferte manus et vivite rapto,
Cædite, de sacro vellite, obite nefas,
Ite, profana sacris miscete, assuescite luxu,
Omne voluptatum per genus ite, viri,
Dicite et ex ipso facite omnia pessima dicto,
Scilicet et nullos esse putate deos.
Vidimus hæc Romæ fieri (quid sanctius illa?)
Et tamen ad cœlos non minus esse viam.
Aurum quisque ferat Romam, virtutis abunde est;
Summa furit Romæ, qui bona nescit emi;
Quinetiam, ut facias, emis auro turpia Romæ.
Quæ cum ita sint, dico quod prius, este mali!

5. DE STATV ROMANO.

Liquit Aventinas arces Tarpeiaque saxa
Et debellata cætera in urbe Petrus,
Proque Petro subit ille Symon regnatque per aras
Et debellata regnat in urbe Symon.
Nescio quo captiva ratis, ecclesia quo se
Proripuit: Romæ est tale videre nihil.
Vendit sacra Symon venditque profana perinde,
Atque, ita me Christus, omnia vendit, amet.

---

[4] Auream Romam nescio quis dicat, nisi de nummo aureo Romæ nomine signato.

5. *Hoc epigr. om. 3.* [3] A quo Simonia. — *et ita in sqq.* Simon *2. 4. et* 661. (cf. Ind. bibliogr. p. 36*. v. 5. sqq.) [5] quo navis captiva, eccl. *ed. a.* 1664. [7] prophana *2. 4. et ed. a.* 1664.

Non tutum est emere ista tamen: licet emeris auro,
  Redditur a plumbi stemmate bulla gravis.
O bullas atque o Romam regemque Symonem!
  Sacra emere et Romæ vendere sacra licet?

6. DE EODEM AD GERMANOS.

Quis modus, o cives, quo se hæc patientia tandem
  Proferet? hæc Romæ quærimus atque emimus?
Sic nos bulla capit, sic se Germania nescit,
  Ut petat hæc? sic nos ista sigilla iuvant?
Χρύσεα χαλκείων, et adhuc mutatio peior,
  Tantum auri, ut redeant plumbea signa, dari.

7. DE EODEM AD EOSDEM.

Cæca magis cuiquam mens est, magis indiga lucis
  Quam cœlum Romæ qui sibi credit emi?
Aut qui quantum âuri est quemquam putat esse beatum,
  Quando illic auro vita beata venit?
Qui Stygias contemnit aquas, neque triste veretur
  Supplicium, Romæ cœlica fretus emi?
Aut non ipse Petrus summa excandescat ab ira
  Esse aliquem cœlum qui locet, ipse malus?
Proinde nefas, cives, fugite atque inquirite rectum:
  Hąc vobis cœlum merce licebit emi.

8. QVODAM MORTVO EPISCOPO. AD GERMANOS.

Occidit antistes, petite altera pallia, cives,
  Quæ dabit accepto Romulus ære Symon.
At tu, donec habet cerebrum Germania nullum
  Et nullos oculos, pallia vende, Symon.

---

9. QVINQVE GALLIS SE INVADENTIBVS.

Desinite irasci sine causa et crimine, Galli:
  Quæ meruit Cæsar, non ea culpa mea est.
Ille apud Insubrem bellorum ambagibus urbem
  Districtus casu volvitur ancipiti.

---

6. cf. Cic. Cat. I. 1. [2] Profert? *2...4.* [5] Hom. Il. VI. 236. Aurea pro aheneis.

7. *Hoc epigr. om. 3.* [3] quenquam *2.4.* [6] frętus *1.*

8. De quodam *2...4.* Simon *2...4.* Rom. Pontifex.

9. Cf. vol. I. p. 105. §. 4. p. 146. §. 3. p. 104. §. 1. vol. II. p. 361. vol. V. p. 48. §. 38. *Epigrammata 9...13. omisit 3.* [3] Mediolani.

Quam licet expugnet, licet his pervincat in armis,
    Aut quidvis faciat, non ea culpa mea est.

10. AD EOSDEM.

Oravi pacem, Galli, oravique salutem,
    'Ne solum' dixi, 'perdite, quinque viri!
Quinetiam, offendi quia nil vos, parcite, Galli,
    Cæde fera innocui sanguinis esse rei!'
Nec multæ valuere preces, promissa salutis
    Innocui mores nec peperere mihi;
Quin 'morere!' unus ait, 'Cæsar te hoc vulnere, Cæsar
    'Immolat et morti tradit amore sui'.

11. AD EOSDEM.

Invitus, Galli, vobiscum hanc consero pugnam;
    Si libet, expertes cædis habete manus,
Cædis habete manus, nec me facite esse nocentem,
    Dum capio vestro forsitan arma malo.
Sin est illa mei sitis importuna cruoris,
    Ut tangant nullæ pectora vestra preces,
Iam quiddam ipse manu audebo contraque resistam,
    Indecorem ne quis dicat obisse necem;
Audebo, et quoniam iustum ante æquumque poposci,
    Non flectam post hac ulteriore prece:
Este autem memores quid possint fasque nefasque,
    Atque hominum curam credite habere deos,
Tum vero immenso vires gliscere periclo
    Et desperatis sæpe redire deum!

12. AD SE IPSVM EODEM IN PERICVLO.

Usque adeone mori miserum est? timor omnis abesto
    Forte aliquid secum nostra ruina trahet.
Me patiar Gallos terrere his vocibus ultra,
    Convelli ignavis ipse puterque minis?
Aut ubi proposita est mors et fuga mortis adempta,
    Armorum miserum vi cecidisse putem?
Quin hæc una mihi potius solatia mortis,
    Et iuvat has igitur præcipitare moras.
Vos testes prius este, dei, ferre arma coactum,
    Multa adeo Gallos præmonuisse diu,

---

11. [13] gliscēre *male pro* gliscĕre. *possis* crevisse.

Tum iactasse preces, voluisse occidere Gallos,
Insontis flecti non voluisse prece:
Iam certum est tumidis vitam hanc effundere Gallis;
Dii faxint, horum concidat illa malo!

13. GALLO AB SE CÆSO.

I morere et Stygias tecum hoc, Galle, affer ad umbras,
Esse aliquem Gallos qui neget esse deos.
Qui vici tamen et quem tu æquo haud marte petisti,
Ossibus ipse tuis molle cubare precor.
In me quinque virum tua proxima dextera visa est,
Testis ero et vulnus, quod tuli ab ense tuo, est.

14. IN QVINQVE GALLOS AB SE PROFLIGATOS.

Non pudor est, Galli, non est scelus? ense petistis
Unius Hutteni corpora quinque caput.
Fert fortuna nefas, non fert deus; hoc ego dicam
Aut aliquis dicto possit habere fidem,
Quinque dedisse fugam, atque uni dare terga coactos,
Hos pauloante minis verberibusque feros?
Ne tamen ulla meo scribatur gloria facto,
Vicit enim Gallos, non ego, quinque deus;
Vicit et insontem tulit ægre invadier armis
Et, nihil, in mortem, qui meruisset, agi.
Gloria prima deo, qui me servavit, ut illos
Perderet, et vicit, non ego, quinque viros.

---

15. AD QVENDAM ROMÆ EPISCOPVM INSIGNEM MEDICVM.

Urbe frequens tota te prodit, episcope, rumor
Posse pudendagræ pestis obesse malo:
Audivi, exilui, dubiam spes ardua mentem
Erexit, trepidos deposuique metus.
Ne contemne tamen siquid Germania sperat:
Cum Rheno Tagus est iunctus amicitia,
Regnorum est idem dominus rectorque duorum,
In bellum gentes causa agit una duas,
Miscentur castris socio Germanus Ibero,
Hinc habet atque illinc Carolus imperium.

---

13. [6] discissa bucca. cf. vol. V. l. c.

15. Hispanum episcopum fuisse ex ipso epigrammate adparet, ceterum non novi hominem. *Hoc quoque epigr. om. 3.* [10] Carolus V. post avi materni Ferdinandi Catholici mortem (d. 23. Ian. a. 1516.) regnorum eius heres factus tum

Fœdus habet populos, amor atque unita voluntas
    Imperio Gallos exuere et Venetos.
Per patriæ gentis, sociæ per gentis amorem,
    Perque, quod utrique est, fœdus amicitiæ
Communesque deos oro et socialia iura,
    Hospitis Hutteni commiserare vicem:
Deseruit reliquum morbi contagio corpus,
    Mansit in extrema calce relicta lues:
Tu potes effreni medicinam opponere morbo,
    Tu potes hærentes pellere relliquias;
Ne sine te frustra iuvenis Germanus adoret,
    Sed quoniam potes, his artibus affer opem.

AD MAXIMILIANVM CÆSAREM ACCEPTA LAVREA.

Dedimus hoc epigramma vol. I. p. 145. n. 3., nam cum Huttenum d. 12. Iul. a. 1517. lauream a Cæsare accepisse constet, illud 'ex urbe Roma' anno ante ab auctore relicta 'ad Crotum missum' esse non potest, cui errori priorum editorum (etiam a. 1519. editi exempli) incuria facile occasionem præbere possit, cum novissimum ei locum inter epigrammata ex urbe missa dedissent.

Germanicum quidem imperium nondum habebat, sed iam diu amisso patre etiam avi Maximiliani regna expectabat, quæ tribus annis post adquisivit. Hæc adnotavi, ne quis me repræhendat quod hoc epigramma inter ea quæ Huttenus 'ex urbe' misit, cum ceteris editoribus conlocavi, cum Romam ante exitum mensis Iulii a. 1516. reliquisset auctor.

DE FRIDERICO SECVNDO IMPERATORE
IACOBVS MICYLLVS.

Principe in hoc patuit Romani iniuria Papæ,
Et quantum sceleris Curia tota fovet;
Qui nisi erat cœptis toties retractus ab armis,
Unus nunc toto Cæsar in orbe foret.

DE EODEM
VRSINVS VELIVS.

Hic quoque Pontifices vexans, ad cætera summus,
In Siculis vafri concidit arte nothi.

PRO EODEM FRIDERICO SECVNDO IMPERATORE
IPSO LOQVENTE.

Astra docent, et fata monent, aviumque volatus,
Quod Fridericus ego Malleus orbis ero;
Roma diu titubans variis erroribus acta
Decidet et mundi desinet esse caput.

INNOCENTIVS PONTIFEX MAXIMVS RESPONDET.

Astra silent, nil fata monent aviumque volatus,
Solius est proprium nosse futura Dei:
Niteris incassum Petri subvertere classem;
Fluctuat, at nunquam desinet esse caput.

AD HÆC VLRICHVS HVTTENVS POETA.

Ut sileat cœlum, moneant nec fata, nec ales,
Solius et maneat nosse futura Dei:
Certe humana docet ratio quandoque futurum,
Ut cadat hoc orbis exitiale caput.

ECCLESIA CHRISTO DE MAXIMILIANO CÆSARE.

Nobilitas prisco nimium discessit ab ortu,
Unus adhuc nobis Maxmilianus adest:
Hunc serva et miseræ mihi longos differ in annos,
Ne nova sublato Cæsare damna fleam!
Vix ita consisto, quodsi mihi Cæsar abibit,
Nascentur tantis mox graviora malis.

Hæc epigrammata dedimus ex Gobleri chronicis ad epigramm. ad Maximil. 10. supra p. 210. citatis, quæ unde Huttenicum habeant, nondum exploravi.

[8] Vesinus Velius. *Gobler.*
[17] Innocentius III. a. 1198...1216.

[EPIGRAMMA
QVOD]
VLRICHVS · DE · HVTTEN · EQ · GERM ·
[IMAGINI SVÆ INSCRIPSIT.]

Desine fortunam miseris inimicaque fata
 Obiicere et casus velle putare deos:
Iactatur pius Aeneas, iactatur Ulysses
 Per mare, per terras, hic bonus, ille pius.
Crede mihi, non sunt meritis sua præmia, casu
 Volvimur: haud malus est cui mala proveniunt;
Sis miser et nulli miserabilis, omnia quisquis
 A diis pro merito cuique venire putas.

Indic. bibliogr. n. XXIIII. 1. 𝔥. — Münchius omisit.

Huc referrem, si poetica scripta Hutteni in hoc unum volumen redigenda essent omnia, odam „Huc, huc, Musa, meis lassa doloribus" *etc.*, Moguntiæ a. 1518. conpositam, quam ex Camerarianis libellis vol. I. p. 239. num. CIIII. repetii, sic inscriptam

HVLDERICVS DE HVTEN EQV.
CHRISTOPHORO HACO S.

EPIGRAMMA
ULRICHI VEL HULDARICI AB HUTTEN EQ. FRANC.
IN HONOREM BRETTÆ
PHILIPPI MELANCHTHONIS PATRIÆ.

Fortibus ampla viris, speciosoque aucta triumpho,
 Salve, Bretta, tuo fida reperta duci:
In te nil tumidi potuerunt cornua cervi,
 Sueva Palatinus contudit arma leo;

Vide Indic. bibliograph. Hutten. num. XLVIIII. p. 96*.

[7] Verg. Aen. I. 3. IV. 14. Homer. Od. I. 4.

[20] Script. a. 1519.? [21] Cf. Ioa. Naucleri Memorabb. (Tub. 1516. fol.) II. p. CCCVII^a. *Hæusser* Gesch. der rhein. Pfalz. I. p. 473. [25] duci] Palatino contra Ulrichum Wirtenbergensem. [26] timidi *Zeiller*. Cf. vol. IIII. p. 18. not. 6. [27] in bello Bavarorum Palatinorumque de successione in bona Georgii divitis.

His nova doctiloqui iunxit se fama Philippi;
Primus erit vates mœnibus ille tuis.

[1] iungit *Zeiller*. In MS. meo hæc adscripta sunt: „Victoriam Bretta obtinuit adversus Würtenburg. ducem [d. 28. Iun.] An. Chī. 1504. In memoriam Ph. Melanchthonis foribus ædium, quibus in lucem adspexit vitalem, sequentia verba sunt adscripta

'DEI PIETATE natus in hac domo doctissimus Phil. Melanchthon, XVI. Febr. An. 1497. obiit an. 1560.

Turri quoque templi huius imago est appicta subiunctis his versibus:

O cives Patriæ, moniti, confidite sancto
Corde deo, cuius nos pia dextra tegit.
Vivite concordes, defendite rura paterna,
Concors sit veræ relligionis amor.

Michael Heberer Brettensis in servitute Aegyptia IICI p. 5. 6.' Inscriptionem illam quæ *'in dem Thorgestell des Hauses, darinn er in diese Welt kam, so am eck des Markts stehet, eingehauen worden'*, dedit etiam Zeillerus.

Cole deum, exin publica ama iustumque tuere. M.D.XVIII.



Huius aurei nummi, qui in memoriam reconciliationis Francisci de Sickingen, post debellatos Vormatienses d. 15. Mai a. 1515. imperatoris mandato [*Münch, Sickingen* II. 32. sqq.] proscripti, Oenoponti m. Aprili a. 1518. cum Cæsare Maximiliano factæ cum simili minoris formæ prodiit, cum versus ab Hutteno conpositi ferantur (cf. vol. IIII. p. 373. adnot. et Münchii *Sickingen* vol. I. cap. 8. et pagg. 332. sq.), figuram ad exemplar regii musei nummarii Berolinensis, accuratiorem eam quam in Münchii libro de Sickingensi scripto (*Stuttg. u. Tüb.* 1827. sqq. III. 8^{0}.) extat, rogatu meo redemptores huius editionis transcribi curaverunt.

Armis
Mercurium si non præponas, maxime Cæsar,
Semper eris victor faustaque regna tenens.



VLRICHI DE HVTTEN

EQVITIS GERMANI

DE PISCATVRA VENETORVM

HEROICVM

M A R C V S

HEROICVM

QVIBVS ACCESSERVNT

MARCI ANTONI SABELLICI

RERVM VENETARVM PANEGYRICVS PRIMVS

CVI GENETHLIACON INSCRIBITVR

ET

DE VENETÆ VRBIS APPARATV

PANEGYRICVM CARMEN

QVOD ORGANON INSCRIBITVR

QVOD GERMANIA NEC VIRTVTIBVS NEC DVCIBVS AB PRIMORIBVS DEGENERAVERIT

VLRICHI DE HVTTEN

HEROICVM



VLR. DE HVTTEN
EQVITIS
DE PISCATVRA VENETORVM
HEROICVM.

Exierant Veneti piscatum, ita fata ferebant,
Non uni Veneti, toto genus orbe coactum,
Et feces populorum et magni opprobria mundi
Inter se iunxere manus et pacta vicissim
Constituere: humileis primum tulit Adria euntes,
Retia panduntur, curvis contenditur hamis:
Fervet opus, cadit omne genus quod vivit in undis;
Ipsi agili cymba et curva rate fluctibus errant
Et non lata vagis audent petere æquora lembis.
Dumque ita dissimulant, vicinis montibus ortas
Dicuntur secuisse trabes magnasque repente
Extruxisse fretis puppes et fluctibus aptas
Armaque convexisse viri, murisque sub alto
Fundamenta mari sub iniquo aptasse profundo,
Aequoris in medio cincti nutricibus undis,
Fœnore iam dites et adactis mercibus aucti,
Quas Arabum populi, dives quas miserat Indus
Finibus eois et de Gangetide cœlo.
Cœpta est interea Veneti captura senatus
Suspiciosa animos regum passimque petitos
Irritare duces: coeunt ex urbibus omnes
Italiæ proceres, tentant divellere: servat

1. = Ind. bibl. Hutt. n^0. XX. 1. C. *2.* = Ind. bibl. Hutt. n^0. L. pagg. G 7^a... H 1^b. *3.* = Delit. poet. Germ. (Ind. bibl. Hutt. n^0. 61. part. III. p. 698...702. *4.* = Münch. (Ind. bibl. Hutt. n^0. 78. tom. I. p. 231...234.

Bononiæ scriptum puto a. 1516. Cf. Cochlæi epist. ad Pirckheimerum Bononiæ d. 9. Sept. a. 1516. scriptam, quam vol. I. p. 126. n. XXXVIIII. dedimus. Quod Münchius suæ huius heroici, item Marci versioni annum 1514. adscripsit, fecit pro suo more temere. Ceterum vix opus erit adnotare Heroici nomen non sine scommate his Gibellinicis (sit venia verbo) carminibus addi. [5] Cassiodorum (Variar. XII. 24.) non legerat Huttenus, sed commode ad hanc descriptionem ille conferetur. [20] Suspitiosa *2...4.*

Casibus in mediis tutos Fortuna marisque
Esse iubet dominos. ita qui paulo ante parabant
E tenui victum quæstu, tunc retibus actis
Humanas piscantur opes, cumque urbibus ipsos
Subiiciunt homines; ibi siquis forte comesto
Excitus est hamo ceciditque in retia princeps,
Imperium cessit victori: Antenoris urbem
Altinasque domus et terras quæ inter amœnum
Contingunt Athesim celerisque fluenta Timavi
Iuxta Opiterginos scopulos Aquileiaque arva
Euganeas sedes et qua tenus urget Iader
Adriacos fluctus patriumque Limenis ad amnem
Et quæ se Eridanus perdit prope littora primum
Imperii statuere modum; nondum aurea tecta
Auratasque trabes Phrygiæ erexere columnæ.
Itur in Oenotrios fines et Gallica rura
Italiæ per utrumque latus; tunc Roma supremum
Post Gothicas clades et magni bella Suevi
Excidium timuit; compressæ fraude dolisque
Quædam urbes, aliæ tolerant iuga viribus actæ.
Tunc Itali servire duces et ferre tributum
Victori Veneto iussi; tunc Istria paret
Dalmataque et iuncto Slavorum regna Liburno.
Per mare grassatum est; das magnam, Græcia, pœnam
Victa moræ, vexata Rhodus Thracesque petiti,
Capta Iovis Crete, facta est provincia Cyprus;
Divitiæ ingentes cumulatæ omnesque subactæ
Insulæ Ionio in magno, quas dicere longum est
Et numerare pudor. fortis sese impete primo
Ianua in occursum Venetis grassantibus offert,

[29] Ant. urb.] Patavium. cf. Verg. Aen. I. 242. sqq. c. Serv. item Liv. I. 1. [30] *Altino* ad Silis ostium. [32] Opitergium = *Oderzo.* Aquileia = *Aglar.* [33] Eugan. sed.] cf. Liv. l. c. Iader = *Salone.* [34] Limenis amn. = *Lemene*, cuius ostium supra *Caorle* est. [35] qua *2...4.* Eridanus = Padus, *Po.* littera *3.* [38] Oenotr.] In Calabriam itum est contra Sarracenos a. 1005., in Gallica rura i. e. in Transpadanam Galliam sæpe. [39] vtrunqꝫ *1.* [40] Friderici I. imp. [44] Istrianos Dalmatasque primus oppressit dux XXV. Petrus Urseolus II. a. 997. [45] Cum Tergestinis iam ante medium idem sæculum pugnatum erat, cum Iadertinis a. 1043., Croatia a. 1117. subiecta. [47] Rhod.] a. 1098. 1125. Tracesq; *1.* [48] Creta a. 1206. 1208. 1213. 1227. 1330. Cyprum (captam a. 1473.) Cornara regina a. 1487. Venetis attulit. [52] *Genua.* „Veneti Ligusticas vires penitus fregerunt: centum et amplius annos paribus odiis, sæpe etiam viribus, inde bellatum, hinc quoque tam diuturni et aliquanto longiores fuerunt labores: ut ab illis, ita quoque ab his arma

Et recte audaces Ligures, si casibus æquis
Dispenset fortuna vices: ultroque citroque
Vincendo victi Ligures, aliquotque per annos
Successu vario pugnatum et viribus æquis,
Donec ad eventum quo iam inclinaverat exit
Alea bellorum. quid iam, Sors, addere posses,
Cromnia quid velles quo nata superbiat ultra?
Addis adhuc aliquid, sed quo nil maius habebis:
Prædones regnare iubes, tunc quisquis ad undas
Venerat Euganeas curva vix integer aluo,
Pisce onerans scabra limosam ærugine cymbam,
Hunc regem facis et populos quibus imperet addis.
Das etiam cultum et speciem concedis honori:
Continuo argentum mensis solidoque ex auro
Pocula et artifici lances nidore supinas
Exponunt Veneti et cocco sublimibus ornant
Aurea fulcra toris, atque hoc torpore quietis
Bætica lana viris Canusinaque fit toga vestis;
Callaicum solis aurum solisque revectæ
Littore Erythræo et rubeo de gurgite gemmæ;
Assyriæ iactantur opes et purpura solis;
Prædia sunt solis omnem excedentia luxum;
Quicquid Hymettus habet, quicquid lapidosa Carystos

---

quandoque posita, odia vero nunquam ... superba Genua abiectis armis, quia plus non potuit, victoribus Venetis perpetuo [?] cessit". *Sabellic.* dec. II. lib. I. Usque ad a. 1403. novem bella cum Genuensibus gesta Veneti historici numerant. [58] iam *feci ex* cum *edd.* [59] Crōnia *2.* Cronnia *3.* Cronia *4.* Cromnia nata, i. e. Cromniæ filia Venetia h. l. adpellatur a Cromna Paphlagoniæ oppido (*Κρῶμνα* Hom. Il. II. 855. Apollon. Rhod. Argon. II. 942. Plin. H. N. VI. 2. IX. 83. all.), quoniam ab Henetis Paphlagonicis Antenore duce in Italiam venientibus Venetos originem ducere creditum est, ut a Strabone, Plinio (VI. 2, 2.) et Solino (c. 44.) aliisque et Curtio (III. 1, 22.) quem Huttenus sedulo legebat, relatum legimus. ceterum præcesserat Sabellicus genethl. v. 53. 121. Idem hist. rer. Venetar. I. 1. „Cornelius Nepos et ipse ex Henetis qui Cromnam Henetis oppidum circa Paphlagoniam tenuerunt, Venetos eorum cognomines in Italia ortos existimavit". Cf. Corn. Nep. ed. Staveren, fragm. VII. 5. [63] erugine *edd.* [69] corpore *3.* [70] Bethica *edd.* Bætica lana *(andalusische Wolle)* a rutilo colore nativo magni æstimata. *Plin.* H. N. VIII. 48, 73. *Martial.* XII. 66. XIV. 133. *Iuven.* sat. XII. 40. Item Canusina. *Plin.* l. c. *Martial.* XIV. 127. — Alia fuit Canusina toga Henrici IIII. imp. [71] Callai cum *4.* De Callaicis aurifodinis cf. Plin. H. N. XXXIII. 4, 21. [72] Erithręo *1.* Erythreo *4.* De margaritis smaragdisque Erythræi s. rubri maris (gurgitis) cf. *Martial.* V. 37. X. 16. *Stat.* silv. IV. 6, 18. *Claudian.* IIII. cons. Honor. 563. c. interpp. [73] Assyriæ opes: purpura, ebur, aurum, aromata, balsama, suci, cortices, fructus. [74] Prædita *2...4.* [75] Hymettus] Imetus *edd.* Atticæ mons thymo floribusque et apibus

Et venosa Thasus vel quo se marmore iactat
Taygetum, Altinæ poscit structura paludis;
Fertur pinguis onyx et fertur pinguis ophites;
Ipsos grata tenet suffartis culcitra plumis,
Fragrantes unguenta et quos phœnicis odores
Lectus habet; signant sua tempora Mausolæis
Sydereis, Venetique vocant monimenta trophæi.
Insula, fundus, aquæ, pecudes, portoria, villæ
Cui desunt Veneto? cultique rosaria Pæsti,
Alcinoique horti, et vigili mandata draconi
Hesperidum prata? Stant ductæ ad sydera turres,
Atria longa patent, ab aprico porticus æstu
Quæ defendat adest; intus conclave superbum
Ornant Phidiaci preciosa toreumata cœli
Mentoreæque artes et adhuc in honore vetusti
Praxitelis statuæ, sunt certatoris Apellæ

---

ac melle dulcissimo celebratus. Caristos *edd.* Eubœæ oppidum *(hod. Castel rosso)* marmore clarum. *Plin.* H. N. IV. 12,21. c. interpp. „ferax varii lapidis Carystos" *Senec.* Troad. 836. [76] Venosa *2...4. ac si de oppido sermo esset.* Thasus s. Thassus Aegæi maris insula, item marmoris feracissima, hodieque *Taso.* Et Venosa Thasus *2...4.* [77] Thaigetum *edd.* Taygetus s. Taygeta (plural.) mons ad Eurotam Spartamque 'viride marmor cunctisque hilarius' habebat. Plin. H. N. XXXVI. 7,11. cum *Martial.* VI. 42,11. Altinæ structura paludis] Venetorum urbs. [78] ping. onyx] *Martial.* VI. 42,14. sq. „Siccos pinguis onyx anhelat æstus Et flamma tenui calent Ophitæ". [80] Fraglantes *1.* phœnicis lectus] nidus suave olens. Phœnicius odor, ut *Senec.* Hippol. 393. Assyrius odor, ut Lucan. VIII. 730. odores Eoi, *Lamprid.* Heliog. 31. odores Indicos. [81] signant *etc.*] i. e. ædificiis sumptuosissimis et ad sidera usque erectis signant sua tempora sive rerum a se memorabilium gestarum monumenta condunt. [82] Sidereis *2.* [84] Pesti *1.* pesti *2...4.* ('und Rosenau'n der Verführung' *Münch.*) rosaria Pæsti *Verg.* georg. IV. 119. *Ovid.* met. XV. 708. Propert. V. 5,59. 'Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti'. cf. *Plin.* H. N. III. 5,10.; 'vernantia Pæsti litora' *Sabellic.* genethl. 295. Pæstum s. Posidonia, Lucaniæ, hodieque vilis vicus nomen *Pesti* s. *Pesto* retinet et templum miræ pulchritudinis, sed pro rosis paludosa solitudo angues gignit. [85] Alc. horti] 'pomaque et Alcinoi silvæ' *Verg.* georg. II. 87. c. interpp. [86] Hesp. pr.] cf. *Verg.* Aen. IV. 484. sq. c. Servio. *Plin.* H. N. V. 1,1. *Solin.* 24. sidera *2.* [89] 'Quis te Phidiaco formatam, Iulia, cælo' *Martial.* VI. 13,1. Phidias celeberrimus omnium qui umquam vixerunt sculptorum Iovem Olympium, Minervas multas, Venerem Uraniam, unam ex ebore et auro, alteram e Pario marmore, Matrem deorum aliaque opera toreutica et statuas et signa ac simulacra permulta reliquit. cf. in primis *Plin.* H. N. XXXIIII. 8,19. cæli *2.* [90] Mentoreos labores *Martial.* IV. 39. Mentorea pocula *Id.* IX. De Mentore celeberrimo cælandi artifice cf. *Plin.* H. N. XXXIII. 11,53. 12,55. VII. 38,39. [91] Praxit.] statuarius et sculptor Olymp. CIIII. ex marmore et ære pulcherrima opera fecit. cf. *Plin.* H. N. XXXIIII. 8,19. num. 10. Apellæ] Apelles cur 'certator' cognominetur h. l. (Münchius 'creato-

Viventes tabulæ. sola ipsis balnea curæ
Et ductæ choreæ numeris et molle theatrum
Scænaque nocturnæque epulæ; sibi balsama inungunt,
Inque luto gemmas et coccina syrmata verrunt.
Sunt nardo, sunt strata croco subsellia, nec iam
Transtra forique animos terrent malique vagæque
Cornibus antemnæ et nautis metuenda Charybdis
Scyllæique canes atque elatrantia saxis
Monstra Notique leves cursu Boreæque volucres:
Iam desueta opera atque usu damnata recenti.
Moribus his cum iam centum durasset in annos
Atque alios centum Venetæ piscatio gentis,
Iratæ fremuere Alpes, ruit excita celsis
E speculis regina avium cursuque librato
In Venetas armatur opes, non ipsa nefandam
Affectans prædam, sed captum ut liberet orbem,
Ut spoliatorum misere patrimonia regum
Restituatque loco donetque heredibus æquis.
Teutona, quid faciat, fertur quæsisse iuventus,
Tempus id, ex Aquila, quid agat conamine tanto,
Et quo tela ferat, quem se sic armet in hostem.

---

rem' eum fecit, „*des Schöpfers Apelles Gemälde*"), ex hoc Plinii (H. N. XXXV. 10,36. num. 11.) loco mihi explicandum esse videtur: „Scitum est inter Protogenem [pictorem nobilissimum et statuarium] et eum [Apellem, qui, ut idem Plinius ait, et omnes prius genitos futurosque postea superavit] quod accidit. Ille Rhodo vivebat, quo cum Apelles navigavisset, avidus cognoscendi opera eius fama tantum sibi cogniti continuo officinam petiit. aberat ipse, sed tabulam amplæ magnitudinis in machina aptatam una custodiebat anus. hæc foris esse Protogenem respondit interrogavitque a quo quæsitum diceret. 'Ab hoc', inquit Apelles, arreptoque penicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reverso Protogene quæ gesta erant anus indicavit. ferunt artificem protinus contemplata suptilitate dixisse 'Apellem venisse, non cadere in alium tam absolutum opus', ipsumque alio colore tenuiorem lineam penicillo in illa ipsa duxisse abeuntemque præcepisse, si redisset ille, ostenderet adiceretque 'hunc esse quem quæreret'. atque ita evenit: revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius suptilitati locum. At Protogenes victum se confessus in portum devolavit hospitem quærens; placuitque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo". [93] coreæ *1.* [94] Scœnáqȝ, *2.* [97] fori h. l. significant loca ubi nautæ sedentes remigant, non *Spalten des Schiffs.* [98. sq.] Cf. *Verg.* ecl. VI. 74. sqq. Aen. III. 420. sqq. c. Servio. *Hygin.* fab. 199. alios. [99] Scilleiqȝ *edd.* elatr.] *i.e.* e saxis latr. [100] *Verg.* Aen. V. 242. „.. noto citius volucrique sagitta Ad terram fugit .." VI. 355, sq. „notus violentus". notus præceps *Ovid.* epist. 10.30. Bor.] Sil. Ital. X. 10. sq. „Velocius inde Hæmonio Borea pennaque citatior ibat". [105] reg. avium] Aquila i. e. imperialis. [108] repum *2.* [109] hæredibus *2.*

'Regali a cultu' respondit 'et urbe relego
'Piscatum Venetos; miserorum vincula regum
'Et diras solvo manicas: per me omnia priscæ
'Libertatis erunt; faciam discrimine iusto
'Ut populi sint utque duces, civilia iura
'Urbibus imponam, reges amissa tenebunt
'Qui per me cupient; studium est aperire revinctam
'A Venetis pacem et tota tellure receptam
'Afflictæ Italiæ pressæque ostendere Romæ.
'Arcebo excursus et sumpta latronibus arma
'Infringam, legesque dabo ereptamque tuebor
'Iustitiam. post qui fictis piscatibus orbis
'Regna affectarunt et se penes omne subacti
'Sperarunt mundi caput imperiumque futurum,
'Quique mihi bello et contractis viribus ausi
'Et terra et certare mari, quod origine constant,
'In piscatores redigam priscasque per artes
'Scrutari vada et ærumnoso vivere quæstu
'Exutos rapto cogam, laceraque carina
'Nautica sulcato cantare celeumata ponto'.
Hæc dicentem Aquilam molitamque omnia factis
Plausu exceperunt reges læteque refecti
Optarunt cœptum votis succedere bellum.
Quodsi tu casu Venetos servabis in isto
Cæsare ab irato, diis ulteriora potentem
Te dicam, Fortuna, deam templisque sacrabo.

FINIS.

---

[125] Non sic, Maximiliane Huttenice, non sic; nam et populi mori quidem possunt, sed in uterum unde exorti sunt recogi non possunt. Ceterum hodie nec Huttenus si viveret Aquilæ partes contra Ranam defenderet. [129] Cf. supra pagg. 162. sqq. Maximiliani imp. responsum Venetis oratoribus datum. [130] erumnoso *1...3.* [132] Celeuma, κέλευμα, κέλευσμα, clamor, sonitus s. canticum, quo nautæ incitantur regunturve. Huttenum etiam ipsum naviculariis Venetis, quorum cantica vociferationesque adhuc audiri possunt ex oribus ab Aquila dilaceratorum hominum, olim usum esse constat. [136. sqq.] Huttenus Fortunam ipsam vix salvos Venetos facere posse, at non sese optare ut fierent salvi, significare voluit, ut ex novissimo versu videri possit, qui aptior ad Venetorum hostis mentem sic scriberetur: Te dicent, Fortuna, deam templisque sacrabunt. [139] FINIS. *om. 2..,4.*

VLR. DE HVTTEN

EQ. GERMANI

MARCVS

HEROICVM.



Ruperat Adriaci stagnantia claustra profundi
Βάτραχος ὑψώσας ὠχρὸν δέμας ὕδατι λευκῷ,

1. = Ind. bibl. Hutt. n⁰. XX. l. D. *2.* = Ind. bibl. Hutt. n⁰. L. p. H 1b...H 4a *3.* = Münch (Ind. bibl. Hutt. n⁰. 78.) tom. I. p. 237...240. — In Delitiis poetarum Germanorum hoc heroicum receptum non est, propter Græcas forte ex Batrachomyomachia desumptas particulas, quibus exprimendis typi defuerint.

Hoc carmen aperte recens compositum Cochlæus Pirckheimero d. 9. Sept. a. 1516. e Bononia misit. cf. vol. I. p. 126. num. XXXIX. S. Marcus, Venetiarum patronus, pro ipsis Venetis sæpe positus. Cf. ad seq. Sabellici genethliac. v. 19. adnotationem. [2] 81. Rana elevans pallidum corpus ex aqua alba. *ὀψώσας 2.* *ὑψώσας*] *ἀμπετάσας B.* (= i. e. Batrachom. ed. Baumeister. 1852.) expandens.

Improvisum orbi monstrum illud, *δεινὸν ὅραμα*,
Nec soliti generis, vel qualem sæpe videmus
Σκιρτῆσαι κατὰ γῆν, καὶ ἐφ' ὕδασι σῶμα καλύψαι.
Vastum corpus erat, quædamque in corpore vires,
Et non contemnenda animi vis, infima temnens,
Alta petens, longeque sua se a sorte movebat,
Audebatque loquens ingentia, *πολλὰ δ' ἐβόα*,
Vicinosque ad se populos regesque vocabat
Magna locutura et grave de communibus actis
Consultura viris; Rana os humerosque pedesque,
Omnia Rana, sed Euganei regina profundi
Quæ titulum adseruit, iam non contenta paludes
Et luteas habitare casas cœnumque relictum,
Aptum humeris, aptum cervici immane Leonis
Induerat tergus villosque aptarat et ungues:
Tunc Venetos inter populos, Athesina fluenta
Altinique arces iuxta atque Antenoris urbem
Sedit, et induta voluit Leo pelle videri,
In medioque virum, quanquam *εἰς φύσιν οὐδὲν ὁμοῖον*
Ἀνθρώποις τε θεοῖς τε καὶ οὐρανίοις πετεηνοῖς
Aut illi foret aut se dissimulare quid esset
Ipsa satis posset, tamen hæc aggressa loquendo est,
Καὶ τοῖον φάτο μῦθον, ἀπὸ στόματος δ' ἀγόρευεν·
'Res, Itali, vestræ, vestra et fortuna coegit,
'Cum possem Adriacas moderari tutius undas,
'Regnis usa meis, animum ad maiora referre:
'Namque ut bellorum transmissa ex Alpe procellas
'Teutona terra diu ferali effuderit ira,
'In vos arma movens nostras accessit ad aures;
'Utque erat ingenio et rebus communibus æquum,
'Indolui facto remque indignata peregi
'Mecum ægras noctes gemituque urgebar anhelo,

---

3 32. *δ. ὅρ.*] horrendum spectaculum. cf. Verg. Aen. I. 379. „Inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit". 5 60. Exsultare per terram et in aquis corpus condere. *Σκερτῆσαι 4.* 6 cf. Verg. Aen. V. 396. „effetæ in corpore vires". 9 76. *π. δ' ἐβ.*] multumque clamabat. *ἐβόα*] *ἐβώστρει*, *W.* [i. e. Wolfii ed. Batrachom.] *ἐβῶσεν· B.* 12 Ut ap. Verg. Aen. I. 589. Aeneas „os umerosque deo similis". 13 Euganei] Adriatici, Veneti. 15 c. rel.] a mari; lagunas nunc dicunt. 19 Ant. urb.] Patavium. cf. De pisc. Venetor. v. 29. 20 volvit *4.* 21 32. quoad naturam omnino non simile. *ἐς φ. W. B.* 22 26. Hominibusque deisque et cælestibus volatilibus. 23 illi] Leoni. 25 77. Et talem dixit sermonem et ab ore locuta est. *δ' ἀγόρευσεν· W. τ' ἀγόρευσεν· B.* 29 Nanq; *1.* 31 In nos *2.*

'Cum vacuæ curis placidoque sopore quietæ
'Sors Romana mihi, fugiens a sede Quirini
'Tarpeias arces, miserando squallida luctu,
'Ederet has voces: "Tu nunc tranquilla superbos
"Imperio Venetos premis et tuto æquore regnas,
"Romani secura mali, secura cadentis
"Italiæ, divesque tuæ gratare quieti,
"Non equidem immerito; at si quid nova gloria tangit
"Ociaque ob solidam potes interrumpere laudem,
"Ut facias, modus est: ego te caput orbe subacto
"Efficiam rerum, per me Europæa subibunt
"Regna tibi facientque Asiæ tua iussa tyranni
"Pœnorumque urbes Afrique a sole perusti;
"His ego relliquias Troum Phrygiosque penates
"Aeneadasque deos maiestatemque sepultæ
"Adiicio Romæ Vestamque ex urbe potentem,
"Imperii excubias, vigilemque huc transfero flammam;
"Tantum hortare viros libertatemque ruenti
"Fortiter Italiæ refer et moto adsere bello.
"Regnatum Latio satis est, honor immutati
"Te penes imperii est". Ea fata simillima vento
'Et levibus boreis in mollem evanuit auram;
'Me sopor et domitrix curarum diva reliquit;
'At superum monitus tantique oracula fati,
'Oenotrii cives, non est contemnere tutum.
'*Εἰμὶ δ' ἐγὼ βασιλεὺς Φυσίγναθος, ὃς κατὰ λίμνην*
'*Τιμῶμαι βατράχων ἡγούμενος ἤματα πάντα·*
'*Καί με πατὴρ Πηλεύς ποτε γείνατο, Ὑδρομεδούσῃ*
'*Μιχθεὶς ἐν φιλότητι παρ' ὄχθας Ἠριδανοῖο,*
'*Σκηπτροῦχον βασιλῆα καὶ ἐν πολέμοισι μαχητήν·*
'*Οὐδέποτ' ἐκ πολέμοιο κακὴν ἀπέφυγον ἀϋτήν,*
'*Ἀλλ' εὐθὺς μετὰ μῶλον ἰὼν προμάχοισιν ἐμίχθην,*

---

[35] cf. Verg. Aen. IV. 522. [38] Æderet *2*. [46] faciuntque *4*. [48] cf. Verg. Aen. V. 787. reliquias *4*. [59] cf. Verg. Aen. I. 530. sqq. III. 163. sqq. [60] 17. Sum enim ego rex Buccinflans *(Pausback)*. qui per paludem. [61] 18. Honoror Ranarum dux dies omnes. [62] 19. Et me pater Cœninus *(Kothmann)* quondam genuit Aquæreginæ. *ποτὲ 2*. *Πυλεὺς ποτὲ 4*. *ποτε γειν.*] *ἀνεθρέψατο B*. [63] 20. Mixtus in amore conubiali in litoribus Padi. [64] 22. Sceptriferum regem et in bellis pugnacem. *Σκυπτροῦχον 1. 2*. *μαχήτην. 2*. [65] 42. Numquam ex pugna malum effugi clamorem. *οὐδέ ποτε πτολέμοιο κακὴν ἀπέφευγον ἀϋτήν W*. *ἀπέφευγον etiam B*. [66] 43. Sed statim in pugnæ labores ruens propugnatoribus me inmiscui. *εὐθὺς*] *ἰθὺς W. B*. *ἰὼν 1. 2*. *ἐμήχθην 2*.

'Οὐ δέδι' ἄνθρωπον, καίπερ μέγα σῶμα φοροῦντα,
'Ἀλλὰ δύω μάλα πάντα τὰ δείδια πᾶσαν ἐπ' αἶαν.
'Erigite infractos animos lassataque corda,
'Inque vicem audentes fessis succurrite rebus;
'Quoscunque in populos emittite me duce bellum.
'At grandi eloquio et verbis acuentibus iras
'Nemo fortis eget'. Postquam est ea fata, silentes
Obstupuere animi, digna admiratio factis
Iussit inaudita populos novitate pavere.
Confestim adcurrunt Veneti regemque salutant,
Quoque aliquid posset quæsitæ accedere famæ,
Dant alas 'Marcum'que vocant. illa accipit omen
Acceptoque animis pro condicione superbit
Et Venetis Ranis et adhuc stipata novorum
Accessu procerum; tunc regna invasit et urbes
Perdomuitque duces regesque eiecit opesque
Condidit immodicas: toto stupor unus in orbe
Λιμνοχαρὴς πολύφημος erat; timuere tyranni
Et victas tribuere manus; regna omnia Marco
Territa sunt Veneto, sola huic Germania monstro
Indignum duxit famulum summittere collum.
Illa Tridentinos tamen est invadere montes
Herciniumque nemus, qua parte obnubilat Istrum,
Ausa, sub hac specie simulatique ore Leonis;
Per fas perque nefas recta et prava omnia miscens
Extollensque malos meritosque in Tartara mergens
Quos potuit quorumque fides sibi credita, sontes
Hæc eadem sibi coniunxit sociisque sub omnes
Usa est eventus; tum quos non vincere bello
Aut virtute sua potuit, miscente veneno
Cunctantes vicit; sacra omnia et omnia iura
Polluit egrediens, vis atque iniuria belli

---

67 44. Nec timui virum quamvis ingens corpus habentem. *Ουδὲ δι' ἄ. 2. φεροῦντα 1.2.* 68 48. *Sic 1.2. et Frobeniana a. 1518.* ('Sed duo valde omnia timeo omnem per terram') *Versus rectius ab Hutteni carmine abesset, vel si emendemus cum W. ἀλλὰ δύω πάντων περιδείδια π. ε. αἶαν., aut cum B. ἀλλὰ δ. π. μάλα δείδια π. ε. αἶαν.* nam in vetere carmine Rana *κίρκον καὶ γαλέην* (accipitrem et felem) se timere adicit, cum in Hutteni carmine nihil eius modi sequatur. 70 rebus succurrite fessis. Verg. Aen. XI. 335. 76 Hanc metamorphosin describit pictura. accurrunt *2.3.* 79 conditione *2.* 84 12. Paludegaudentius multiiactans. *Λυμνόχαρις 1...3. Πολύφημος 4.* 89 obnubilat] Hercynium nemus = silva *nigra.* 93 quorunq3 *1.*

Omnis causa fuit, pacem bellumque perinde
Duxit, amare fidem et iuratum nescia pactum,
Armata insidiis semper. Qua cum arte parasset
Πολλὰ μαλ' ἐν λίμνῃ καὶ ἐπὶ χθονὶ θαύματ' ἰδέσθαι,
Conata est levibus cœlum contingere pennis,
Cum quidam eventu gaudentem et nomine Marci
Fertur præmonuisse feram 'Ne, Rana, superbi,
'Neu caput hoc istosve oculos sublimius effer
'Quam tua sors permittit: *ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα*,
'*Ποινὴν σὺ τίσεις*, ne cœlum insurgere contra
'More gigantæo maioraque viribus aude:
'*Οὐ λήσεις τε θεούς, Φυσίγναθε, ταῦτα ποιήσας*'.
Sprevit eos monitus, nec adhuc temerario cœpto
Abstinuit vetito, *καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν*·
Tum vero iratus postquam tot viderat annos
Crimina Ranarum et Venetæ incrementa paludis
Iupiter, hac Aquilam, qua despicit omnia ab arce
Demittit Ranisque super non mollia iussa
Imperat, ut ficto sacra deroget omnia Marco,
Et doceat non esse deum, raptoque ferocem
Exuat et spoliis, palantesque æquore Ranas
Arceat Adriaco pelagoque remergat avito.
Huic dicto concessit, *ἐπεὶ μέγα οἱ σθένος ἦεν*,
Et rostrum et laceros acuens Iovis armiger ungueis
Στεῦτο δὲ πορθήσειν βατράχων γένος αἰχμητάων·
Utque in vindictam disparsum colligat hostem,
Fertur ab Alpino *ἐνναίρειν βατράχους βλεμεαίνων*
In Venetos speculata iugo. quo vix bene viso
Rana fugax *ὄχθαισι βαθείαις ἔμπεσε φεύγων*,
Abiiciens sceptrum et torvi simulacra Leonis,
Regnorumque omnes curas, veniamque precando

[101] infidiis *4.* [102] 58. Permulta in palude et in terra mirabilia visu. *λύμνῃ 2.* [103] cælum *2.* [104] quidam] Calaber abbas Ioachinus, puto, de quo vide supra p. 199. exhortatorium carmen a. 1510. ad electores scriptum, v. 269. [107] 97. habet deus iuste iudicantem oculum. [108] 98. Pœnam tu solves. *σὺ 1. 2.* *αὖ τ. σὺ W.* *ἦ ποινὴν τ. σὺ B.* cælum *2.* [109] Giganteo *4.* [110] 93. Non latebis deos, Buccinflans, talia faciens. *λήσειςε 1. 2.* *τε θεοὺς*] *δολίως W. B.* dolose, astutiis. [112] 86. et evitavit fatum nigrum. [115] Cf. picturam. Iuppiter *2.* Aquilam] imperialem. [121] 269. quoniam magnum ei robur erat. [122] ungues *2.* [123] Adserebat autem se excisurum Ranarum genus pugnacium. *Versum reiecit B.* [124] dispersum *2. 3.* [125] 275. neci dare Ranas fremens. *Aliter rec. B.* [127] 221. ripis profundis inmisit se fugax. *ὄχθησι βαθείης W. Aliter rec. B.* *φεύγων*] i. e. Ran*a* profug*us*.

Adflexa est Aquilæ genibus, quam cum illa negaret,
Ἄχρηστον μετάνοιαν ἐμέμφετο, πολλὰ δακρύων
Diffidensque sibi auxilioque exuta suorum
Δεινὰ δ' ἐπεστονάχιζε, φόβου κρυόεντος ἀνάγκῃ
Extremum turbata, *μόρον δ' οὐκ ἦν ὑπαλύξαι.*

FINIS.

---

[130] Id est Venetorum legati supplices ante Maximiliani pedes. cf. supra p. 123. [131] 70. Inutilem pænitentiam accusabat, (69) multa lacrimatus *[lacrimata]*. *δακρόων* 2. [133] 73. Vehementer autem ingemiscebat timoris tremefacientis necessitate. *ἐπεστενάχιζε* W. *ὑπεστονάχιζε* B. *ἀνάγκη* 2. 4. [134] 90. fatum autem non erat evitandum.

MARCI ANTONII SABELLICI
RERVM VENETARVM PANEGYRICVS PRIMVS
QVOD
GENETHLIACON
INSCRIBITVR.

Quis superum mihi plectra dabit, quis certa roganti
Ocia pandet iter Cirrhæaque in antra receptum
Instruet Aonio cantu? videt Adria mater
Pulchra diem, flavi quo Tybridis æmula tandem
Abluit æquoreis nascentem fluctibus urbem,
Urbem terrarum imperio pelagique potentem,
Quam gremio complexa fovet: non Phœbus et Euan,
Non mihi Pegasides dederint in carmina vires

Recte quidem monuit Cochlæus (vol. I. p. 126.) ,,eius [Hutteni] Marcum [cum heroico de piscatura Venetorum] tunc recte accipies, quum prius legeris Sabellici carmen de Venetorum ortu et fato [i. e. hæc quæ 'Genethliacon' et 'Oraculum' inscribuntur], sed non nisi una ex parte verum est quod ille adicit, ,,nil enim quærit iste Marcus nisi irrisionem eorum iactantiæ": nam Huttenus, ut fuit patriæ amantissimus homo, quo amore Cochlæus parum movebatur, in id quoque cummaxime animum intenderat, ut Germanos suos ad bellum contra hostes Venetos strenue prosequendum exhortaretur. Cochlæi adnotatio Fœrstemannum in eum errorem induxit, ut opinaretur Marcum dici hoc carmen a Sabellici nomine, cum a sancto Marco Venetiarum patrono adpellatum esse manifestum sit. — Sabellici carmina, quæ Huttenici egregia quasi supplementa commentariaque sunt, quamvis Fortunæ triste iter circa omnem Italiam aliaque non nulla, ædium imprimis molesta fere recensio, longiora videantur, ita recognovi, ut menda inpedimentaque quæ scribendi et interpungendi parum rectus editionis eius, qua utor, mos lectoribus obiceret (utor autem exemplo quod sine officinæ, anni, loci indicatione [Venet.? a. 1502.?] in fol. sic inscriptum prodiit POEMA .M. ANTONII SABELLICI. | Genethliacum Venetæ urbis: ad Georgium Cornelium Equitem. | De apparatu Venetæ urbis. Poema unum. | *etc.* nam Herm. Torrentini recensionem cum comm. a. 1498. 4⁰. editam [*Hain.* n. 14060.] ad manus non est.), quantum possem tollerem, adnotarem autem pauca quæ legendi commoditatem augerent, neque indicatis veterum poetarum locis quæ Sabellicus conpilavit, neque variantibus q. v. scripturis adscriptis nisi ubi quædam necessitas cogeret. Ipsius auctoris Historiæ rerum Venetarum ab urbe condita libri XXXIII. et in primis Franc. Sansovini *Venetia città nobilissima et singolare* (In Venet. 1604. 4⁰.) pro commentario ad hoc carmen scripto esse possunt.

QVOD] *i. e.* cui. 2 Cirrh. a.] *locus oraculi Delphici.* 7 euam *l. Bacchus.*

Ex Helicone deæ: Tu, qui super æthera magnum
Præpetibus volitas pennis quique ardua cœli
Scrutatus miranda canis, pater urbis aquosæ,
Dexter ades cœptis: neque enim nunc horrida bella
Condere fert animus vanasque Cupidinis artes,
Sed gentis, dux alme, tuæ primordia et urbis
Dulcia nascentis sunt incunabula curæ.
Tu genus antiquum causasque et tempora rerum
Da vatem memorare tuum, si grata vetustas
His tibi, dive, locis Pario de marmore templa
Quæsitumque procul Phario de littore corpus,
Aeternum imperii pignus, sacravit honore:
Denique cœlicolum si nulla frequentius ara
Humana pietate calet, terraque marique
Supplicibus votis Veneto tibi, Marce, litatur:
Da faciles cursus (sunt nam tua cærula et undæ
Quicquid ubique iacet), da tuto insistere portu.
Sparserat antiquæ fatum lacrimabile Troiæ
Dardaniam sobolem miseranda sorte per orbem:
Hinc alias alii divum responsa secuti
Sortiti terras: gelido pars una sub axe
Constitit, hi Libyen profugi videre calentem,
Hesperias illi gentes maioribus acti
Auspiciis: sedit Laurenti littore victor
Dux Anchisiades, Romani sanguinis auctor.
Hinc Vesta illa potens arcanaque sacra, Penates,
Silvia progenies Albanaque purpura patrum
Hinc gemini fratres, proles Mavortia, et ingens
Roma fuit, Roma, imperio quæ insignis et alta
Fruge virum sese sublimibus intulit astris.
Undivagum sed qua vetus excipit Adria Tethym,
Quaque latus lævum vicinæ nubibus Alpes
Squalentisque humeros pæne alto in gurgite tingunt:
His medius terris, quas flumine sulcat amœno
Hinc Silis, inde rapax Athesis, post Pergama bello
Evicta Antenor, per ferrum lapsus et ignes
Argolicos, fatis concessa sede quievit.
Ocior hic cursus: nec enim tam grandia rerum
Pondera moliri fatorum immobilis ordo,
Sed melior fortuna fuit, quæ certa trahebat
Imperia et nullos unquam frustrata nepotes:
Venerat Antenor, sed non Sigeia tantum
Dardanii sunt signa viri regemque secuti,
Ipsa viæ comites dederat sociosque laborum
Eventus Fortuna parens, quos Cromnia mater

9 *S. Marcum invocat.* 19 *Anno 828. sancti Marci evangelistæ corpus furto ablatum Alexandria Venetias in ædem ei dicatam translatum est.* 23 *Aeneas.* 35 Silv. prog.] *Gemini fratres, Martis filii, Romulus et Remus duplici nomine hic veniunt.* Alb. p. p.] *Senatus.* 39 thethym *1.* 44 anthenor *1. fere ubiq.* 53 Cromn.] *cf.* p. 291. *adn. ad v. 59.*

Miserat ad Troiam Venetos, quum Phocidos Aulis
Tot Danaas classes ultriciaque arma teneret.
His circum Iliacas arces dum sæva cieret
Prœlia, magnanimum regem furialis Enyo
Abstulit et Stygiis undis damnavit et Orco.
Morte ducis perculsa falanx Antenoris armis
Hæserat; at postquam Priami domus excidit ingens,
Exilii comites facti, per tela, per hostes
Perque novos casus et mille pericula rerum
Euganea potiuntur humo: tum Troius heros,
Virtutesne virum an divum responsa secutus
Incertum est, quoscunque sacra deduxerat Ida
Quosque dedit Scythicis undis obiecta Carambis,
Nomen ferre iubet Venetum, Venetamque vocari
Quæsitam bello terram populumque laremque.
Quis, proh fata deum, et tu, sors ignara futuri,
Crediderit gentem extorrem tam magna daturam
Momenta Hesperiis rebus totque urbibus olim,
Tot populis mite imperium regimenque futuram!
Sed sic Byrsa potens, parvis sic Martia Roma
Exortam auspiciis paulatim scandere cœlo
Progeniem meminere suam: primordia cunctis
Esse dedit Natura parens non grandia rebus.
Nec lætis mora longa fuit successibus inde:
Condidit Antenor spatiosis mœnibus urbem,
Euganeumque simul dudum fera bella moventem
Haud semel evictum patriis procul expulit oris;
His magni Alcidæ comites post Martis Hiberi
Prœlia et infames superatas cursibus Alpes
Consedere locis, alto cognomine fassi
Sanguine se claro genitos. Tum maior haberi
Res Venetum cœpitque novis se gloria rebus
Tollere et Oenotrios longe trascendere fines:
Quantum flava Ceres Cererique inmixtus Iacchi
Cultus habet terrisque vagus discurrit amœnis,
Hinc qua frugiferos ambit celer Abdua campos,
Littus in Adriacum septenaque ad usque Timavi
Flumina, ab arctoa rursus cœloque nivali
Præcingunt Alpes tepidoque infusus ab austro
Heridanus, Venetis tantum concesserat armis,
Victricisque tulit gentis terra Itala nomen.
Tantarum sed tristis opum mox cura laborque
Per dubios rerum motus perque horrida bella
Successus fregere novos: hinc Gallia fractis

---

57 enio *1.* 66 Caramb.] *promontorium Paphlagoniæ, ubi Henetos Troianos expositos scribit Sabellicus.* cf. *Plin.* H. N. VI. 2, 2. 67 Venet.] *rectius* Henetum Henetamque. 71 Hesperiis] experiis *1.* 73 Byrsa] *Carthago.* 78 *Patavium.* 81 Cf. *Plin.* H. N. III. 20, 24. 89 *Adda.* 93 *Po.* 95 'Tantis parta malis cura metuque maiori servantur' *vetus manus exemplo quo utor adscripsit.*

Alpibus, inde ferox surgens Germania, et omnis
Arctoi rabies cœli, læta ocia terræ
Motibus assiduis subitoque evertere bello.
Nec meminisse iuvat quotiens ab origine prima
Fluxerit huc Rhenus Rhenoque nocentior Ister,
Aut quas hic rerum clades quas vexerit ille
Nec quam præcipites post Gallica damna procellas
Sparserit hic terris Geticis furor excitus oris.
Sed quid nunc Scythicas clades, quidve Hunnia dicam
Tempora? In Hesperium nomen tum protinus omnem
Europam iurasse putes, proh fata dolorque!
Cardine ab extremo devexerat ultima Tethys
Infandas armorum acies infandaque bello
Pectora, non ullam nisi quam fecere ruina
Contenta ire viam, diros arcere furores:
Non potuit vis ulla patrum, non ipsa nivosis
Occurrens natura iugis, non flumina sævis
Cursibus: Oenotrias subito gens dira tumultu
Fregit opes; sparsum vidit miserabile vulgus
Adria mœsta suum, pulsumque a sede vetusta
Aequoreis trepidare vadis medioque profundo
Casibus infractum terramque et summa paventem
Sidera. Parce novo nimium indulgere dolori,
Cromnia progenies, et tu precor, Adria mater,
Præsentes cognosce deos, hisque annue fatis:
Si domus Assaraci Phœbeaque mœnia nunquam
Versa forent flammis, non inclyta Roma fuisset:
Carthago non illa potens, ni morte Sichæi
Fraternisque eiecta dolis Sidonia Dido
Exul in ignotis sedisset fœmina terris.
Quid vehat, ignoras, seges hæc immensa laborum
Exiliumque frequens disiectaque fata tuorum:
Quid si res Venetas tot sævis casibus actas
His sistat Fortuna locis medioque profundo
Destinet imperium mansuraque limina genti?
Haud aliter quam quum saxo concussa vetusto
Pars montis divulsa ruit subitoque fragore
Concidit in pelagus, tum quanquam vertice multo
Emineat, pateatque recens licet area ponto,
Huc tamen instabilem fluctus propellit et illuc,
Nec certo sinit esse loco; si cœperit unquam
Inniti illa vadis fundoque cohæserit imo,
Inconcussa manet longoque immobilis ævo,

---

105 *Iam ineunte sæc. Gotthi in Italiam inruperunt.* 106 unnia *1. Attila Aquileiam cepit a. 451.* 121 cf. v. 53. 123 Hectora quis nosset, si felix Troia fuisset?' *Ovid.* Trist. IV. 3, 75. ,,Ilus Assaracusque et Troiæ Dardanus auctor". *Verg.* Aen. VI. 650. *cum Servio.* 125. sqq. cf. *Verg.* Aen. I. 338. sqq. Cartago *1.* 126 Fratern.] *Pygmalionis.* 133...142 *Hanc imaginem in aversam partem nummi in honorem Francisci Guicciardini facti posteriores receperunt.*

Ventorum ridet rabiem pelagique furentis
Aspernata minas, statio est tutissima nautis.
Nunc tibi cuncta labant tristique impulsa ruina
Fata premunt; verum fœda hæc et dira remittet
Tempestas aderuntque tui sine turbine soles.
Sunt mundi rerumque vices, has terra fretumque
Alternis agitant, alternant ignis et aer,
Usque adeo summis una minimisque negatum
Certo stare loco stabilique insistere cursu:
Hoc quoque triste nefas et ineluctabile fatum
Excutiet ventura dies: iam candida Parcæ
Incipient lætis tibi currere stamina fusis,
Immensum succedet opus Venetisque sorores
Fatorum adiicient miranda volumina rebus.
Sed quid ego hæc tanquam venturis obruta sæclis
Nec dudum vulgata cano? nil maxima tellus
Quod maius miretur habet, nil denique pontus,
Quum Venetas respexit opes famamque decusque,
Imperium et mediis surgentem fluctibus urbem;
Quin potius sacros quando hæc sibi vendicat ortus
Aeternum memoranda dies, huc sedulus ultro
Pieriam contendo chelym: sed læta paranti
Dicere adhuc superant quæ candida plectra morentur.
Vix etenim sævi iam vulneris alta cicatrix
Cœperat exactis sensim se obducere lustris,
Cœruleosque abscissa sinus disiecta capillos
Hadria adhuc nitidos lachrimis tergebat ocellos
Invidiam factura deis, quum tristis ab arcto
Riphæisque excussa iugis vis Hunnia flammis
Obruit incautam nec iam graviora timentem
Quam dudum perpessa foret: tum denique fatis
Littus et eiectæ cesserunt mœnibus urbes;
Ac velut æstivis subito quum mensibus anni
Induit obscuram faciem sub nubibus æther,
Fulgurat et toto crebrescunt murmura cœlo,
Tum si forte ruat rutilum per inania fulmen
Disiiciatque cadens veteris fastigia templi
Excultumve caput surrectæ ad nubila turris,
Cœlestis dum flamma micat, dum cuncta fragore
Dissiliunt, gremio complexæ pignora matres
Attonitæ sine voce sedent, nec cura futuri
Ulla metus mentes tremefactare corda recursat,
Interea si flamma recens maiorque ruina
Concidat, irato terris Iove, tum pavor amens

---

160 *Scilicet Sabellicus (hist. rer. Venet. I. 1.) sibi persuaserat VII. kal. Apriles (a. 421.) primordia urbis Venetorum cœpisse, quo „eodem die ipsum humani generis parentem a deo optimo formatum, ipsum quoque dei filium in virginis utero conceptum" divinæ litteræ testarentur.* 164 vulneris] *Gotthorum inruptione inflicti.* 167 occellos *1.* 172 urbes] *Aquileia, Concordia, Altinum omnisque fere Veneta ora.*

Omnia præcipitat, iam sese et cuncta perisse
Mens humana putat: talis fuit Adria, tales
Supremis evicta malis sub pectore curas
Versabat, quum iam ferus omnia perderet Hunnus;
Iamque Aquileia potens placidasque Limenis ad undas
Exciderat Scythicis pinguis Concordia flammis
Altinumque vetus doctæque Antenoris arces;
Iam vicina freto tellus et nobile littus
Ter face barbarica mersum tristique favilla
Sparserat antiquos prætenta in stagna colonos,
Flebat Amyclæi cultu spoliata Timavi
Nympha vetus patrisque moras damnabat inertes,
Quod non, septenis Dryadas quum forte videret
Attonitosque malis Faunos incumbere ripis,
Assurgens venisset aquis cladenque levasset:
Flebat et innisos quærebat condere fluctus
Damnatis Celina vadis, his questibus ire
Mœsta per arva Silis viduisque Liquentia campis;
Has alii centum iactatis fontibus amnes
Exequias patrio lachrimasque infundere busto:
Paulatim sed tristis hyems sese illa remisit;
Cessit et ipsa maris genio fatisque futuris
Per tot lustra tenens series immensa malorum.
Tum nitidi venere dies vultuque sereno
Fulsit uterque polus: mediis tum blanda sedentem
Fluctibus extorrem gentem complexa benigno
Excepit Fortuna sinu: decesserat olim
Invita Ausoniis terris atque urbe Quirini,
Imperii quum pompa vetus nomenque decusque
Bistonias Latio presserunt pondere terras,
Optaruntque locum regno sceptrisque futurum
Hic qua cyaneis agitatas cautibus undas
Transmittunt tenui Neptunia claustra meatu,
Quaque freto Inachiæ vestigia pressa iuvencæ
Tristia dant rapidos testantia nomina cursus:
Illa quidem lachrimis vultumque obducta per omnem
Oenotriam fasces Romanaque signa secuta est,

---

[190] *Concordienses vastato oppido suo ab Hunnis a. 453. Caprulas (Caorte) condidere.* [191] doctæ] *Patavinum gymnasium Sabellici tempore celebre fuit.* [192] Iam] I iam *1.* [193] Ter] *Primum a. 407. Radagaisi, deinde a. 413. Alarici exercitum fugientes Patavinos, tertium Attilam fugientes Aquileienses a. 453. Venetianas lacunas inhabitasse scriptores narrant.* [195] Amyclæi] *Amyclis Laconiæ Leda, Castoris Pollucisque mater, ab Iove conpressa ferebatur; inde Timavus ut Antenoreus, ita etiam Ledæus a poetis Latinis adpellatus est.* [197] sept. rip.] *Modo septem modo novem ora tribuuntur Timavo, modo uno ostio emitti dicitur.* [199] venisset] uiuisset *1.* [201] Celina] clima *1.* Celina *s.* Cælina *s.* Cilina *fl. per Medunam in Liquentiam defertur.* [210] extorrem] *ex locis Hunnis expositis profugum populum.* [214] Bist.] *Thracias.* [215] *Situm Constantinopolis describit.* [217] Nept. cl.] *freta.* [218] *Bosporus Thracius.* [220] Illa] *Fortuna.*

Mox ubi dilectæ superis confinia terræ
Attigit, hic hærens lachrimis sic creditur orsa:
'Tene ego terrarum specimen, Saturnia tellus,
'Cuius dextra potens rerum moderatur habenis,
'Dum sequor, incertas fatorum conscia curas
'Destituam? tune immodicis assueta triumphis,
'Quæ virtute virum rebusque innixa secundis
'Sub pedibus domitum terrarum despicis orbem,
'Præsidio spoliata deum veterique favore
'Mox ruere incipies retroque abiecta referri?
'Non erit hinc cultrix Tarpeiæ rupis, ut olim,
'Imperii Fortuna comes? vix excidet omni,
'Ut reor, Hesperia, nec si iam littore toto
'Submoveor primaque vetor consistere terra,
'Fluctibus in mediis sedes optare recuso'.
Dixit et Oenotriis egressum finibus agmen
Fulgentisque aquilas, tot iam quibus illa per annos
Fida comes fuerat, lachrimis spectabat obortis;
Tum fletu perfusa genas miserabilis uno
Obtutu defixa sedet mœretque tuendo,
Dum procul ire videt totisque excedere campis
Signa mari terrisque olim gratissima, nunquam
Ad visus reditura suos. tum denique ab imo
Pectore dat gemitus, postquam vanescere contra
Omnia prospexit, sensimque affecta retorsit
Lumina in Ausonias terras qua Martia septem
Roma sedet tumulis lachrimansque hæc ore locuta est:
'Fœlices' inquit 'sedes, fœlicia templa,
'Romuleique lares, quos demum invita reliqui,
'Accipite, extrema namque hæc vos alloquor hora,
'Ilicet æternum iam me deus avocat ille,
'Ille deus qui cuncta regit, qui cuncta gubernat,
'Cuius iussa sequor: neque enim mihi certa potestas,
'Qualem, Roma, putas finxitque indocta vetustas:
'Illius immensis alienas quærere sedes
'Cogimur imperiis; sed tu mortalia tantum
'Desine mirari: non arx eris orbis, ut ante,
'At pietatis eris'. Dixitque et iussa sedere
Finibus Hesperiis immensas suspicit Alpes,
Suspicit et cœlo surrecta cacumina damnat
Perpetuasque nives, liquidumque per aera lapsa
Præpetibus pennis varioque insignis amictu
Perstringit gelidum talaribus Apenninum;
Hinc vada prospexit Vari scopulosque Monœchi
Devexumque latus quod Gallica verberat unda,
Quoque Ligur succinctus arat, mox littore lævo
Accelerat limosque oculos huc flectit et illuc.
Protinus occurrunt iniectæ fluctibus arces:

239 ab ortis *I.* 264 Monœcus, *Monaco.*

Incubat et vacuum præscribit flexibus orbem
Ingeminatque instans plausus, geniumque locumque
Pœne probat, sed fata vetant similemque volenti
Sidere convellunt, Ligurum confinia Macran
Tuscorumque avulsa videt, iamque Herculis ara
Offert sese oculis, iam iam se lucidus Arnus
Tyrrhenas placido qui gurgite verberat undas.
Huc quoque deflexit volucris Fortuna parumper
Lumina, et avertens liquidas agitata per auras
Præpes iter celerat. nec te, Populonia mater,
Respicit, aut Pyrgos veteres pinguesve Graviscas.
Hinc procul inspecta flaventis Tybridis unda
Ingemuit mæstosque oculos detorsit in austrum,
Ac velut orba parens natum quum luget ademptum,
Ne totiens doleat lachrimasque effundat inanes,
Proxima busta fugit cineresque videre sepultos
Mens affecta nequit, Romam sic illa propinquam
Non potuit spectare suam, sed concita cursu
Inde procul fugiens Laurentia præterit arva:
Nec Circeia iuvant Ithacis immitia regna,
Dirave Læstrygonum sedes, non Dardana nutrix,
Non littus Phrygio quod quondam insigne sepulchro
Aemulus effecit Triton, non nobilis urna,
Aula nec Ismario periit quæ Acheloia cantu;
Præterit inde tuos tumulos, Palinure, nec ultra
Respicit, æquorei refugit vernantia Pæsti
Littora; non Siculam patitur spectare Charybdim
Scyllæosque audire canes, latrantia saxa.
Inde aversa ruit, nec te, Lacinia, plausu
Herculeive probat littus geniale Tarenti:
Linquitur Ioniis obnoxia fluctibus Hydrus,
Quodque satis fida potuit statione placere
Brundusium, fugit illa tuos, Gargane, recessus,
Quæque inculta secat Latio fatalibus undis
Aufidus. et Venerem quam Dorica perdidit Anchon.
Hic, quamvis late circumsonet Adria fluctu,

---

[274] Herc. ara, *Liburni portus, Livorno.* [275] lucidus] *verius* luridus *s.* luteus. [279] Pop. mat.] *Verg.* Aen. X. 172. [280] pygros *1.* Pyrgi veteres *Verg.* l. c. 184. grauistas *1.* pingues, *alias* graves *a gravitate soli sive aeris.* [284] lachrimas quæ *1.* [289] cf. *Homer.* Od. XII. 144. sqq. [290] Lestrigonum *1.* Caieta, *Gaeta.* Dardana nutr.] Cumæ. cf. *Verg.* Aen. VI. 2. [291. sq.] Misenum. cf. *Verg.* Aen. VI. 160. sqq. [292] nobilis Urna *Neapolis est, prope quam Vergili ossa a Brundusio translata sepulta sunt.* [293] *Prope Surrentum templum (aula) Minervæ ac Sirenum (Acheloi filiarum) fanum fuit.* Palinuri 'gaudet cognomine' (*Verg.* l. c. 383.) promontorium, portus, oppidum. [295] pesti *1.* [297] Scilleos quæ *1.* [298] *Croto, ad Lacinium promontorium (capo delle colonne) sita. Sed* Lacinia *designatur etiam Iuno, cuius celebre templum ibi conditum fuit.* [300] *Otranto.* [303] Garganus *hodie monte di s. Angelo.* [303] *Ad* Aufidum (*Ofanto*) Cannæ *fuerunt.* [304] *Ancona.* Græce Ἀγκών. cf. *Iuvenal.* sat IV. 40.

Non Senonum placet ora ferox, non proximus illi
Multifido qui se traducit in æquora lapsu
Heridanus, nec quæ pelago dedit Adria nomen,
Alludit sed læta locis: sentire putasses
Iam fatale solum terrasque astare repostas:
It procul ac celeres cursus librare per auras
Incipit et læto sese demittere plausu.
Spargitur Adriaco passim non una recessu
Insula, qua Dorim infusam lateque vagantem
Littus ab insano fluctu defendit et austro:
Huc, simul iratum præsensit Nerea Tethys,
Natarum comitata manu se proripit alto
Glaucaque furtivo complectens flumina nexu
Aequoreas undas undis fluvialibus ultro
Miscet et ignoto geminat nova pignora furto.
His fortunatis nullus tunc incola terris,
Aut si fama vetus vera est, perrarus agebat;
Lascivis sed sparsa choris per densa vagari
Agmina Nympharum, lentaque sub arboris umbra
Naidibus mixtæ Nereides alta fovere
Ocia, et aprici vernantia littora circum
Spargere fatidicos cantus ad sydera cygni:
Substitit et mentem Oebalio demulta canore
Terque quaterque vagos repetitis plausibus orbes
Explicat et cœlo sensim demissa sereno
Fata secuta deum fœlicibus incubat oris.
Sic ubi in eoo reparavit sæcula busto,
Sensit et invisa se exutum membra senecta,
Lætus ad Aethiopas remeat terrasque beatus
Aspiciens læto phœnix clangore salutat:
Tum vero insontes populi, quos pallidus auri
Nil movet aspectus, visa procul alite currunt
Allapsamque polo excipiunt votisque receptæ
Mille optant annos melioraque tempora vitæ.
Tam placido Fortuna gradu præpesque volatu
Affuit et superum fatis allapsa per auras
Desilit æthereas, lætos sentire putasses
Accessus toto plaudentes æquore Nymphas
Prostratumque fretum ripisque inflexa canoris
Flumina et hæc circum meditantis carmen olores.
Illa autem cœlo libratis molliter alis
Labitur et stabiles dextro sibi numine terras
Deligit atque omen secum fert læta futuri
Imperii, cui terra olim serviret et æquor.

---

306 *Inter Anconam Ravennamque.* 308 *Po.* 310 repostās *1.* Cf. *Verg.* Aen. III. 364. 314 dorim *1. i. e. Duriam s. Doriam maiorem, Dora baltea.* 316 tethys *1.* Cæli Tellurisque filia, Oceani uxor. cf. Ovid. fast. V. 81. sqq. 320 *Lagunarum descriptio.* 328 Sustitit *1.* *Oebalius i. e.* Spartanus. adluditur ad cygnum qui cum Spartana Leda rem habuit. 332. sqq. *Cf. in primis Plin.* H. N. X. 2, 2. *c. interpp.*

Tempore iam ex illo pallam succincta sedebat
Exceptura suos fœlix Fortuna colonos,
Quos ubi deiectos vidit iam sede vetusta
Infractosque malis medio sibi quærere fluctu
Effugia, arridens sese venientibus offert
Pronaque in amplexus duplices simul explicat ulnas;
Suscipit et trepidos pergit complexa fovere:
Non secus ac visis subito per compita larvis,
Non secus ac viso personæ horrentis hiatu
Quum natum trepidare videt matremque vocare
Præcipitante metu fit nutrix obvia et illum
Excipit ac fotum gremio iam vana timere
Blanda vetat secumque novos miserata pavores
Abstergit lachrimas mulcentiaque oscula figit.
At non admotos tunc respicit Hadria vultus,
Non blandos irata sinus: quin plorat et odit
Infandas tot passa vices: iam sederat alto
Septa mari miseranda manus iuvenesque senesque
Consortes thori, traductaque pignora, nati,
Ipsaque nobilitas, præsagia certa futuri
Imperii, hortatur sparsum per cærula vulgus
Damnatas totiens bellorum casibus urbes
Linquere et undoso circumdare limina ponto
Mansurosque optare focos, pro mœnibus unda
Stet quibus, adverso quæque exeat obvia bello:
Hic mansura domus, fas hic servare Penates,
Cladibus innocuos fas libera iura tueri.
Extulit his animum dictis generosa iuventus
Consiliumque probat; iam iam mens omnibus una
Deserere infaustas terras altumque tenere:
Iam tegetes humilesque casæ iamque alta palustri
Culmina consurgunt calamo; pro dulcibus arvis
Littus et unda placet, proque ipsis mœnibus alta
Aequora, multivago sese cingentia fluctu.
Bis ter dena vago distinguitur insula Nereo,
Quas rerum Natura parens collegit in orbem;
Omnia cernere erat has intercrescere cultu,
Quotque salo steterant numero, tot castra putasses
Disponi et vastis simul oppida surgere campis.
Urbs erat una tamen, sed qua stetit alta profundis
Insula septa vadis, hinc atque hinc ardua ripis,
Res dedit ipsa loco nomen nil cedere: turbæ
Sedula nobilitas urbique intenta futuræ
Hortatrix operum stabat, pariterque movere
Consilia, ut cultus genti utque immota maneret
Relligio, qua parte forum, qua prima senatus
Limina et his cultrix superum consurgeret ara.
Et iam tempus erat, quo aversi cornua tauri

391 cædere *1.* 397 tempus] *vernum.*

Auratumque caput radiorum verbere pulsat
Phœbus et a tergo vectorem respicit Helles;
Vernabat stratum zephyris mulcentibus æquor,
Sidereique poli sese iam mollibus horis
Induerat varios tellus adoperta colores;
Certabant passim scopulis et littore curvo
Aequoreæ volucres alterno ad sidera cantu:
Ibat in amplexus sublimis et oscula natæ
Iuppiter et læto radians Cyllenius astro
Infernum fugiebat avum mersumque profundo
Aethere et antipodum meditantem prælia Martem.
Hæc erat astrorum fœlix concordia et anni
Temperies, quando vulgi claudente corona
Nobilium stetit ille palam venerabilis ordo,
Hic urbis quæ prima piæ fundamina genti
Ponere et extructo placuit nova limina saxo:
Non augur lituo innixus de more vetusto
Inspecturus aves, extisve admotus aruspex,
Sed pius in nivea productus veste sacerdos
Constitit ante aras supplexque hæc ore locutus:
'O mundi supreme parens, o rector Olympi,
'Qui super æthereas nubes et sidera trina
'Maiestate sedes, profugis da, conditor orbis,
'Nam tua turba sumus, mansuram sedibus urbem
'Condere, quam tumidæ amplexam pro mœnibus undæ
'Perpetuo servent pergantque augere nepotes.
'Si iussu, pater alme, tuo vultuque potenti
'Aethere se medio tellus libravit et æquor,
'Si volucer discretus aquis sublimius ignis
'Constitit, obliquo septenaque sidera lapsu
'Contendunt adversa polo, totque ardua secum
'Lumina perpetuo raptat vertigine mundus:
'Si cœli rerumque vices, si mensis et anni,
'Quæque inferna tegunt, tua grandia iussa sequuntur,
'Da stabilem sedem mansuraque mœnia dextra
'Hunc populum fundare pia; da fluctibus altis
'Crescere nascentem lætis successibus urbem.
'Per te antiqua ratis, quum cuncta immersa iacerent
'Diluvio, incolumis per cærula vasta cucurrit,
'Rectoremque suum servataque semina rerum
'Restituit terris qua primum illæsa resedit.
'Ter tua, dum Iudam servas, Nilumque Pharonque
'Dextera percussit tumidamque refregit Erythren,
'Cui per lustra vago rigidis e cautibus undam
'Elicis et largo immensis erroribus actum
'Rore levas (tantum pietas vetus illa movebat)
'Tu genus humanum et sortem miseratus iniquam

---

406 *Mercurius.* 435 *arca Noë.* 439 Iudam] *Israelitas.* 440 erithen *1. Rubrum mare.* 441 cantibus *1. Moysi s. Israelitis.* 443 *manna.*

'Antiqui sceleris, quum cœlum et cuncta teneres
'Ingenti complexa manu, te virginis alvo
'Includi atque humili cingi dignatus amictu,
'Passus et exiguis quæ sunt immensa coire,
'Non ortus latuere tui procul astra secuti,
'Grandia ab eois portarunt munera reges,
'Tus simul et mirram mirraque potentius aurum;
'Obstupuit latices versos in pocula Bacchi
'Mundus, et admissa multos iam morte receptos,
'Terga insueta potens glauci tua planta cucurrit
'Nereos, et vacui tibi ianua cessit Averni;
'Te Stygii tremuere lacus, te pallidus Orcus
'Fugit et admissam tenebrosa in Tartara lucem:
'Tum vero illa vetus numerosaque turba piorum
'Postibus eversis Erebi fractisque cathenis
'Vindice te superas victrix emersit ad auras.
'Denique si cœlum, si te ipsa elementa sequuntur,
'Observantque tuos labentia tempora nutus,
'Dexter ades votisque piis, pater, annue, et aram
'Hanc tibi perpetuam præsenti numine firma:
'Da populum antiqua se relligione tueri
'Successusque augere suos, da grandibus ausis
'Digna eventa, precor: stabit sine divite cultu
'Nunc hæc parva, tuo quæ nomine tollitur, ara;
'Nuda colet pietas, ac si non irrita vota
'Hæc fuerint, centum his terris tibi grandia templa
'Cœlitibusque tuis radiabunt marmore et auro'.
Dixit, et intonuit læva de parte serenum,
Iuveruntque preces populi non improba vota
Et favor et tacitis conceptum mentibus omen:
Iam deus et lætis labentia cursibus astra
Signa dabant manifesta polo; iam mollior annus
Et formosa dies aderat, si vera vetustas.
Hæc lux illa fuit, mundo quæ prima recenti
Fulsit, et e summo missam quæ sensit Olympo
Prima dei sobolem. plaudebant omnia cœptis,
Sydera, terra, fretum fervensque accentibus æther.
Iam vero superum monitus et læta secutæ
Omina mille manus operosaque bracchia mille
Sese operi expediunt, pars hæc fundamina sacris
Prima locant aris, instant pars claudere sulco
Et qua tecta fori nec adhuc miranda sederet
Curia, sed qualem rerum fortuna sinebat:
Sic fervebat opus passimque antiqua locorum
Mutari facies, pro culmo ulvaque palustri
Consurgunt fragili postes et limina texta:

---

450 tres reges. 452 *aquam in vinum inmutatam.* 453 *mortuorum resuscitationes.* 454 *super mareingressus.* 475 *Cf. supra ad v.* 160.

Materies hæc prima fuit; nam marmor et aurum
Et quibus ipsa recens urbis nunc forma coruscat,
Illa vetus meruit pietas, pepercre nepotes.

FINIS.

M. ANTONII SABELLICI
DE VENETÆ VRBIS APPARATV
PANEGYRICVM CARMEN
QVOD ORACVLVM INSCRIBITVR.

Hic ubi in alterno Fortuna immobilis æstu
Accubat et rebus non impacata secundis
Dat pelago variare vices, tibi, maxime rector
Undarum, cui glauca cohors deservit et omnis
Thetyos aula vagæ, si vera est fama, per umbram
Reddita vox cœlo tua grandia fata retexit.
Illa per obscuram noctem dum sponte per artus
Insinuat se grata quies allapsa iacentem
Terque quaterque ciens ultro hæc tibi fatur ad aures:
'Hic ubi sacratos actus et grandia regis
'Monstratis monumenta tui, magne aliger, orbi,
' Undosis qua septa vadis nunc hospita tellus
'Te tenet, æternum tua molliter ossa quiescent'.
Annueras fatis, sed quæ tam certa futuri
Tunc mens ausa foret clara hæc penetralia cultu,
Hoc rerum sperare decus? quis limina divum
Tercentumque aras posse hoc consurgere fluctu
Crediderit vates? sed sic, cui summa potestas,
Iusserat immotas deducere stamina Parcas.
Nuda erat hæc terræ facies, quam stagna refusi
Nereos et placido sulcabant flumina cursu;
Nondum cœlicolum sedes hominumve superbi
Fluctibus extabant postes, non littora circum
Aurea sublimes feriebant sydera turres;
Stagnanti non ulla freto navalia, nulli
Remorum pulsus, non lenta celeumata nautum,
Sed pelagi planctus audiri et questus ad auras
Nocturnus volucrum.
At quamvis hominum cultu deserta iacerent
Omnia, credibile est (nam mens afflata propinquo
Numine fata videt, fati nec cæca futuri
Ulla obstat caligo piis) tibi nocte silenti
Hanc, quæ sparsa iacet spaciosa per æquora, molem | **Urbis circuitus.**
Obversatum animis curvisque hunc flexibus orbem.
Scilicet arcana suspensus luce per umbram

PANAGIRICVM *1.* [1] *in ora maris accessu recessuque varia.* [5] *cf. p.* 309. *ad v.* 316. [7] obscurum *1.* [20] *Lagunæ.*

Iam mediam tacito quærebas pectore, qualis
Illa recens templi facies, cui Palladis arbor
Proxima forte fuit, nascenti occurrere Phœbo
Pergeret, et festa cervice efflarier euro
Clavigeramque senis dextram nomenque magistri — Divi Petr aedes.
Miratus servare tui. mox læva per undam
Lumina laxabant longe pomœria ductu,
Extremumque latus, gelidam quod suspicit arcton,
Illa vetus pietas baculo subnixa tenebat, — Iob templum
Quam non mille olim clades, non morbus et atra
Funera natorum subita fregere ruina.
Humidus hinc limes, fluctu tibi visus aperto
Currere ad Hesperios fluctus, qua Martha sedebat, — Marthae fanum.
Virgineo stipata choro. dehinc curva per austrum
Perque sacras divum sedes arasque madentes
Rursus ad eoas currebat semita metas.
Hic subito, miranda fides, per littora et altos
Fluctibus extantes scopulos, quos cærula curvis
Area discurrens spaciis complexa tenebat,
Culmina divorum surgunt clarique Penates
Perpetuique Lares hominum, suprema relictis
Nubibus aeriæ tolluntur ad æthera turres.
'Unde hoc, quod passim tectis et postibus aurum — Simulacrum Venetae urbis.
'Fulget', ais, 'pelago quisve huc quis Hymettia saxa
'Taygetumque tulit viridem niveamque Caryston?
'Quid sibi vult hic æquoream concursus ad urbem?
'Quid Tyriæ Phariæque rates hæc stagna frequentant?
'Divitias huc ferre suas quid Vesper et Arctos
'Sic properant, densæque premunt hæc littora puppes?
'Unde frequens statio hæc stipataque puppibus ora,
'Quidve secant passim fluctus tot millia cymbæ?
'Quid non Chalcidicis obnoxia fluctibus Aulis
'Iactat mille rates Danaum? quid flebilis Helle
'Se sub Achæmenia queritur iacuisse carina?'
Maiores oriuntur opes, sed marmore et auro
Hæc quæ templa micant, Petreia nomina servant: — Aedes divi Petri.
Nimirum manet hoc, postquam terrena relinquet
Clavigerum penetrale senem limenque vetustum,
Hæc quæ sudificum consurgit ad æthera turris,
Herbidus et tota campus deserviet ora.
Fallimur an contra respondet Virginis ara, — Vergineum fanum.
Ara puellari cœtu venerabilis? heu heu,
Nocturnas cohibete faces et dira ministræ
Semina flammarum! Sed longe cautius ornat

---

37 Pall. arb.] *oliva.* 40 *Cathedralis ecclesia.* 44 *S. Giobbe. Franciscanorum minorum observantium, dictorum* Zoccolanti. 49 Virg.] *nonnarum Augustinianarum.* 59 imetia *1.* 66 sub Ach. car.] *sub Persarum classe.* 71 *Cathedralis ecclesia.* 73 *Roma.* 76 *S. Maria maggiore, reparata a. 1497.* 77 puell.] *Franciscanarum.*

Vicinus sua sacra chorus, defendit et ignes *Danielis aedes et virginium.*
Fatidicus nil damna timens tam tristia vates,
Nec qui terribiles vati parsere, leones.
Quæ moles hinc dextra sedet, quæve urbis imago *Publicum navale.*
Cæruleis proiecta vadis? navalia mirum
Ni hæc sint: ecce rudes longo nunc ordine sidunt
Pontibus æquata ter centum fronte carinæ.
Ecquæ congeries sparti, quæ immensa rudentum
Materies vasta iacet hæc contortilis aula?
Aut quos remorum cerno confusus acervos
Velaque Threicium Boream fractura Notumque,
Structilibus congesta tholis, uncosque tenaces?
Vel quæ vulnificis telis stipata recumbunt
Tecta adoperta procul? ni olim mentita vetustas
Esset vana deo, sævi hæc sacraria Martis
Credere et æquorei poteram penetralia regis:
Tot galeæ clipeique cavi, tot protinus enses
Argolicas potuere manus armare Phrygasque
Inter Pergameus arces ripasque sonantes,
Fatalis Scamandre, tuas; te, in Bactra moventem,
Nine, et Abydenis metantem Persida campis. *Campus tanaicus.*
Mœnibus hic vero campus navalibus hærens, *Hospitalis apostolorum domus.*
Herbida quem vestit facies, succincta pharetris
Agmina quis labor exercet? quid figere metas
Usque procul tendunt? vel quæ se in nostra retorquet
Lumina tercentum stratis domus ardua fulcris?
Suprema pietate patet sanctissima partu *Annae fanum et virginium.*
Virginis alma parens, sed filia sanctior una est.
Læva suburbanis incumbit fluctibus hancque
Undique circumstant vittata fronte ministræ.
Hunc propiore tholo tam tetrica tecta tenentem *Dominici aedes.*
Haud equidem agnosco, cælesti lumine quamvis
Os radiat: quid pulla toga est tunicæque nivales?
Cælitis ante pedes quid tam numerosa recumbit
Calva cohors? stantem cuncti mirantur et orant.
Ignota illa etiam facies extrema prementis *Antonii aedes.*
Stagna senis, madidos qui longius exit in austros:
Canicies veneranda genis prolixaque barba
Mortales oculos humanaque pectora tangunt.
O pelagi ventura dies, o tempora rerum!
Quos ego suspicio Pario de marmore postes,
Aut quos sub nivea famulantis veste ministros?
Sed quo iam retro capimur? quæ obliqua sacrorum *Blasii aedes Graeco cultu celebrata*

---

[80] *S. Daniello.* virg.] *Cisterciensium.* [83] *Arsenale.* [84] præta *1. feci* piecta. [90] thraiicium *1.* [92] *Armamentarium.* [95] æq. reg.] *Neptuni.* [100] met. Persida] *Xerxem.* tanaicus *sic 1.* [109] ministræ] *ordinis s. Benedicti.* [110] *S. Domenico. Dominicanorum monachorum.* [115] *S. Antonio di castello. Canonicorum regularium s. salvatoris.* [122] *S. Biagio. Græcorum, usque dum sibi hi sæculo XVI. conderent S. Giorgio de' Greci.*

Hanc geminos inter fluctus sibi vendicat aram
Relligio? aut quales surgunt a fronte Penates
Cœlicolum regi? sed cur altaria cultu,
Dei fanum.
Cur auro gemmisque vacant, ingrata vetustas,
Cur non Dalmatico splendent hæc templa metallo?
Quem magis altus honos decuit? sed nuda Tonantem,
Nuda iuvat pietas: litat hæc non cultus et ara:
Sed mihi quis fletus infantum perculit aures?
Publica pietas.
Quæ miseranda manus puerorum hæc curva recursat
Atria? scire vetor rapiorque per acta viarum,
Nec satis agnosco campo qui cultus aperto
Io. Bragolani aedes.
Cominus assedit Thrax lingua hic, Graius amictu.
Nec propiore tholo multo mihi notior ore est
Martini aedes.
Ille, acri qui vectus equo, pietatis amore
Ignarusque doli sua pallia dividit Orco.
Provehor in boream gelidamque Lycaonis arcton:
Ecce iterum immensi genitrix veneranda Tonantis
Cœlestinae virginis aedes.
Sese offert gremio centum complexa ministras.
Glauca sub extremis qua mœnibus æquora rauco
Murmure dissiliunt contra lux trina coruscat
Trinitatis aedes.
Ulteriore solo. Nativa veste quis ille est
Stigmata grata gerens, cui circumfusa ministrat
Francisci fanum.
Turba frequens, exuta pedes et fune recincta?
Quot simul Oebaliis terris quum bruma cohercet,
Perque Numæ silvas densæ coiere palumbes,
Aut quum sævit hyems, passim per stagna lacusque
Aequoreæ glomerantur aves, lentaque sub umbra
Accubat æstivis ovium grex Appulus horis,
Tam numerosa manus pergrata silentia servat,
Pastoris decreta sui, cultumque propagat.
Hæc quæ virgineo frontem vittata decore
Iustinae aedes et virginum.
Inde aversa sedet, stadio submota virenti,
Nota mihi facies, sacris operata sacerdos
Plurima perque vices solennibus incubat aris?
Vel quæ hæc ante oculos dextra lævaque reclusis
Vicus tabularius.
Porticibus piceæ dissectaque robora passim
Materies proiecta iacet? quæ turba pharetris
Stadium sagittarium.
Certat Ituræas sumptis imitarier artes?
Est domus an potius sunt hæc penetralia divum
Ioannis et Pauli aedes.
Porro æquata polo? gemini fastigia fratres
Alta tenent, sed ferri acies intenditur illis:
Infandas inhibete manus, neu perdite, sævi,
Insontem sobolem! iam iam pietatis amore

---

125 *S. Salvatore?* 129 *La Pietà. Infantium expositorum domus.* 133 *S. Giovanni Battista in Bragola.* 135 *S. Martino, paroch.* 139 *S. Maria Celestia s. Celestria.* 140 ministras] *ord. Cisterciens.* 142 *S. Trinità* s. *Ternità. paroch. eccl.* cf. infra v. 641. 144 *S. Francesco della vigna.* 145 turba] *Zoccolanti.* 146 Oebal.] *Sabinis, qui a Lacedæmoniis originem ducunt.* 153 virg.] *Augustiniani ordinis.* 159 *Bersaglio.* 161 *Giovanni e Paolo. regularium Dominicanorum.*

Optat uterque mori cœloque admota rependunt
Supplicia: alternum sydus fulgebit uterque.
O merito proles cœlo spectanda! quid ultra
Vana Therapnæos miratur Græcia fratres?
Martigenas quid Roma suos? Acheronta reclusit
His sua cuique dies: at vos convexa tenetis
Sydera, vos pedibus lunam calcatis et astra.
Sed cui Chalcidico late hæc pendentia saxo
Petri Mocenici sepulchrum.
Mausolea vacant? quando huc aut unde relatæ
Exuviæ? Phrygios arcus Scythicasque secures
Aspicio. sed scire nefas, quo ex hoste trophæa
Hæc sint aut quales passim pendentibus umbræ
Claudantur tumulis. Quis plenis calvus inerrat
Collegium Marceanum et eius incendium.
Porticibus cœtus nigranti cultus amictu?
Heu quæ flamma nocens hæc aurea tecta profanis
Postibus invasit! nocturnæ occurrite pesti!
Ferte citi lymphas iactatis ordine saccis!
Invaluit sed dira lues: heu, damna meorum!
Artis Apelleæ quantum nox abstulit una!
At meliora adsunt: late tenet improbus ignis
Omnia, nec deest in medium qui conferat aurum,
Quique trabes et saxa ferant: en altera rursus
Mœnia, et aurato surgunt fastigia saxo.
Nec procul hinc geminæ consurgunt virginis aræ,
Aedes virginis cognomento novae.
Quarum dextra situ saxoque exesa vetusto
Stat rudis aspectu. nec, quem post terga reliquit,
Canciani aedes.
Agnosco divi faciem, nec notior ore est
Hic qui doctiloqua meditatur murmura, lingua
Ioannis Chrysostomi aedes.
Aurea verba sonans. Ast hæc, quæ læva recumbit,
Virginis ara recens, pro quanto assurgit honore?
Quid sibi vult hominum subitus concursus eodem?
Miraculorum aedes.
Quid chorus iste recens, congestaque munera totis
Postibus? arridet Spartano blanda metallo
Frons procul, hanc Libycæ commendat purpura venæ
Niliacusque lapis Phrygiusque et quicquid Etrusco
Littore Luna secat secuitque Argiva Carystos.
Sed rapimur, dum plura sequor, quæ Graia sacerdos
Marinæ aedes.
Vicina regione sedet, vittata capillos,

---

169 *Dioscuros.* 170 *Romulum Remumque.* 173 *Petrus Mocenicus dux Venetorum a. 1474...1476. Sepulchro inscriptum est:*

Ille ego qui Phrygias urbes Asiæque potentis
Oppida, qui Cilicum classem Cyprumque recepi,
Aequora piratis, Scodram obsidione levavi,
Patrum consensu, populi Dux voce creatus.

178 *Scola di S. Marco.* 180 incend.] *a. 1479. h. l. indicari opinor.* 189 *S. Maria nova.* 191 *S. Cantiani. item parochialis ecclesia.* 193 *S. Giovanni Crisostomo. item paroch.* 196 *S. Maria sive Madonna de' miracoli.* 197 chorus] *monacharum Franciscanarum.* 202 *S. Marinæ corpus e Constantinopoli Venetias transtulerunt in ecclesiam olim ss. Alexio et Liberali dicatam.*

Pallentesque affecta genas pallamque recincta.
Nec satis ille senex notus, cui tempora cana
Mitra tegit sacroque caput consurgit honore:
Dulcior affatu: quamvis et murmura linguæ
Nil triviale sonent. Iamque in se nostra retorquet
Lumina syderei mater formosa Tonantis.
Sed quid me fessum rapiunt hinc fata retrorsum
Obiiciturque procul iuvenis, qui nuda revinctus
Membra iacet mediis flammis? nec dira recusat
Supplicia, admotumque rogum non sentit, honore
Percitus arcano: hinc oculis, hinc pectore toto
Pendet et admotas non respicit ore ministras.
Accubat ardenti, suras nudatus et ulnas,
Contectusque humeros ventrisque extrema rigenti
Cortice, demissi cui sunt pro veste capilli:
Nimirum hic ille est, celebrat quem maximus orbis,
Quique tuis castum, fatorum conscius, agnum,
Iordanes, immersit aquis. vox ferrea mundo
Inclamat 'properate, viri, sit semita regi
' Undique aperta suo'. sed quid crucis agmen ad aras
Conspicor armiferum, vel quæ manus impigra circum
Excubat; an numquam statio hæc tam fida remittit?
Heu nimium segnis! quid me mea vota morantur
Per geminos scopulos surgentia limina divum?
Huius dextra quatit palmam, quatit ille sinistra
Præmia devictæ per tot certamina terræ.
Fallor an arcanos cœli serutata recessus
Hæc avis illa potens, quæ nunc super ardua mundi
Præpetibus volitat pennis, nunc læta relabens
His sacrata vadis sibi debita templa revisit.
O divum memoranda domus, circumflua tellus,
Ecquæ nam superum non his simulacra coruscant
Littoribus, sparsis en circum tempora canis
Fatidicus vates, magnus cui voce sacerdos
Proditur ante diem terris, nunc sydera pulsat
Vertice et exhaustis uni cadit Ida metallis,
Dalmaticumque latus Chalcisque undosa resedit:
Miratur sua templa senex, miratur honores
Fœmineumque chorum et plena sacraria divis.
Cui superimposito parva hæc vacat ara sacello,
Aut qualem ante oculos proles Alpheia molem

Leonis aedes. — Mariae formosae aedes. — Laurentii fanum. — Io. Hierosolymitani aedes. — Antonini et Sorbuli aedes. — Io. novi aedes. — Zachariae aedes. — Philippi et Iacobi aedes. Ducaria domus nuper instaurata.

[205] *S. Lio.* [206] Mitra] *papæ.* [208] *S. Maria formosa. antiquissimum Mariano rum templorum Venetiis extructorum.* [211] *S. Lorenzo.* [215] ministras] *ord. Benedicti.* [216] *S. Giovanni del tempio s. de Furlani. prioratus.* [227] *S. Antonino. paroch.* sorbuli *1. Vult S. Servuli, puto. sed S. Severo propior est S. Antonino?* [230] *S. Giovanni nuovo = in oglio; illius oleo ferventi interempti.* [234] *S. Zaccaria.* [242] chorum] *Benedictinarum.* pl. sacr.] *Benedictus PP. III. non nulla sanctorum corpora huic templo donavit. SS. Felippo e Giacomo. Benedictinorum olim. Il palazzo ducale. arserat a. 1477.*

Suspicit, ex summo surrecta palatia cœlo
Miratur, quorum late candentia duro
Saxa adamante rigent falluntque cacumina sensum.
Hic te suspensum dudumque incerta moventem,
Marce, reor raptum (neque enim pia credere cuiquam
Arbitror esse nefas) liquidumque per aera victum — *Angelica species divi per quietem obversata.*
Continuo ante fores aurataque limina templi
Aligeri statuisse manus, qui missus ab alta
Affuit arce poli, ne te tua fata laterent:
Tum vero ambiguos visus per cuncta ferentem
Hærentemque animo, nec adhuc bene prima tenentem
Limina, purpureo affatus sic cœperit ore:
'Quid tu suspensus premis hic vestigia, divum
'O cœtus aucture senex? lux fida piorum,
'Ne dubita, nil vana vides: tibi nuncius adsum
'Sedibus æthereis, teque hic ventura docebo.
'Hæc templi facies, quæ marmore splendet et auro, — *Aurea divi Marci aedes.*
'Cuius adacta polo radiant fastigia Graiis
'Artibus et fulvo signis distincta metallo, — *Templi apparatus.*
'Tergeminaque procul surgens testudine pendet,
'Ter centum nitidis hinc atque hinc fulta columnis,
'Cui venosa Thasos latus hoc præstrinxit et illud
'Taygetusque virens nec non cerealis Hymettus,
'Aspice quam variis serpant assarata figuris
'Sparsa solo, quæ vestit onyx, quæ blandus asbestus,
'Molle rubens croceros maculisque inspectus ophites,
'Et nomen cui flamma dedit, cyanosque thaosque:
'Quid Carchedonios preciosaque nomina mille
'Venarum consecta loquor, sacraria quanquam
'Sint hæc digna deo? multum veneraberis illis:
'Te postes, te summa colent fastigia; nulli
'Serviet usque tholus plus hic, tibi tota vacabunt
'Limina; post cineres defunctaque membra iacenti
'Hic tibi certa quies. Age, nunc tibi fata tuorum
'Expediam: cernis vacua hæc ambita vetustis
'Atria porticibus, sublimis Curia lævam — *Curia Senatus Venetus.*
'Degravat. an spectas qualis consederit ordo?
'Bis centum coiere senes, quos purpura vestit,
'Canicies mento et tacito venerabilis ore
'Maiestas. vetus illa fuit, fuit indole talis
'Curia, quam doctæ quondam vidistis Athenæ,
'Vidit et intonsos talis sua Roma Quirites.
'Aspice ut in medium sedeant censere parati,

261 *Evangelistæ Marco, Venetiarum patrono, cuius corpus ibi repositum est (cf. supra Genethl. v. 19.), sacrum templum celebratissimum.* 267 himetus *1.* 268 assarota *1. malim* assulata *i. e. cæmenta marmorea, Mosaikboden.* 269 asb.] apistos *1.* 270 croceros *1. puto croceum erotylum, gemmam, significari.* 270 *malim* inspersus oph. 271 gyamosqꝫ thaosqꝫ *1.* De cyanis, colore cæruleo cf. Plin. H. N. XXXVII. 9,38. thaos *fort. leg.* thasos = Thasios.

'Quisque æqui rectique tenax; ut cultus in auro Princeps Senatus.
'Sublimisque throno sedeat velut arbiter illis,
'Purpureus quem velat honos, cui candida barba,
'Subnixus solio tacite moderatur habenis.
'En tibi quam nullo subeat suprema tumultu Comitia.
'Limina patricius, nec supplex ambiat ordo,
'Sancta sed immoto servet vestigia ritu.
'Subter strata fori trepidis subsellia fervent Forum.
'Septa reis: iræ hic regnant rabiesque dolorque
'Ancipitesque metus infandaque murmura vulgi.
'Ima tenent sontes damnataque crimina sævis Carcer publicus.
'Suppliciis, gemitus cæcis tractæque catenæ
'Insultant tenebris: quodsi componere fas est
'Nomina perpetuis fato debentia rebus,
'Sic procul æthereis Styx sedibus atra recessit
'Infernique lacus, sic iam minus improba pœnis
'Quamvis dira satis consurgunt mollius arva
'Elysiis vicina iugis. Tuque impiger adsis
'Et mea digressus late hinc vestigia serva:
'Hæ geminæ quarum fastigia celsa columnæ Geminae columnae.
'Astra petunt scelerum diras expendere pœnas
'Aspicient sontes, toto nec maior in orbe
'Iusticiæ tum cultus erit. Sed suspice qualis
'Fulget apex quantumque illi sit syderis instar, Turris Marciana
'Dum procul igne micat: nec quæ subiecta recumbunt
'Sint tibi tecta moræ: late hæc sine currat et illa
'Porticus, et spaciis late discurrat apertis
'Area; sed postes et pulvinaria divum
'Luminibus serva: nec, quas post terga relinquis
'Bassanas mirare fores: sacraria pandit Bassi aedes.
'Nascenti geminæ tulerint cui nomina sortes, Gemimani aedes.
'Nomina nunc noctis tenebris immersa, sed olim
'In medium ventura diem. Iam respice quales Almi spiritus aedes.
'Virgo tenet sedes, celebrat quam terra fretumque,
'Suspiciunt quam templa poli, quam Tartara rursus
'Effugiunt: eadem multum statione propinqua
'Miratur laudatque senis pia limina vatis, Mosis aedes.
'Quæ procul æquatis tollunt se frontibus ultro.
'Hæc vetus, illa recens, ambæ sed virginis aræ: Mariae iubanicae aedes.
'Sed quæ dextra sedet, quam supplex turba fatigat
'Assiduis votis cumulatque altaria donis,
'Assidet huic custos succinctus murice, palmam Fantini aedes.
'Concutiens dextra, sublimique hospite gaudet.

---

299 *Le prigioni.* 307 *Colonne di piazza s. piazzetta, duæ ex tribus Constantinopoli ereptis supersunt, quarum altera Marci leonem alatum, sanctum Theodorum altera fert.* 311 apes *1. Campanile di s. Marco.* 317 *s. Basso. parochialis eccl.* 318 *s. Geminiano. item paroch.* 320 *Santo spirito. Canonicorum regularium.* 321 Mossis *1. San Moise. paroch.* 326 *S. Maria Zebenigo, a gente Giubanica condita. paroch. mater.* 329 *S. Fantino. (confessoris Syracusani) paroch.*

'His submota locis fluctuque iniecta trisulco — Mauritii aedes.
'Culmina prisca colet saxoque instructa vetusto
'Maurius, ignotus terris nunc, Marce, sed olim
'Insignem faciet pietas: fovet altera magnus — Angeli aedes.
'Aliger, ante polos pontumque et Tartara mecum
'Mente satus pura rerumque ab origine prima:
'Respice ut eiectum pedibus premat aureus hostem
'Victor, et examen librans stet pronus in hastam.
'Sed caveas, lux fida poli, ne corruat ingens
'Turris apex feriatre cadens per inania fulmen.
'Proxima templa tenet lapidoso infringitur imbri — Stephani aedes.
'Cui iuvenile caput, Solymis deiectus adustis
'Procubuit moriensque manus servare nocentes
'Urgentis populi didicit crimenque levare;
'At nunc diffusi carpit pius ille cruoris
'Præmia, stant aræ, nitido stant culmina cultu,
'Sacrificusque chorus. Sed quæ mora segnis inertes
'Nos tenet? Eia oculis opus est et præpete gressu:
'Huc ades, et divum quæ sint prope templa docebo.
'Hæc quæ amplexa crucis gestat venerabile nomen, — Helenae aedes.
'Regibus infestum Stygiis, cui nobile flavum
'Præcinxit diadema caput, memorabilis olim
'Multum prole sua, sed famam cultumque perennem
'Culta dabit pietas, stabit succincta ministris
'Hospicii memor antiqui vatisque propinqui. — Samuelis fanum.
'Martyris inde aram trinis prope fluctibus udam — Vitalis fanum.
'Respectans nunc adde gradum et vestigia retro
'Corripe, et hunc nigro læva qui occurrit amictu, — Benedicti fanum.
'Atque huius dextra perstringas limina planta.
'Accelerans ne quære, precor, sunt nomina prorsus
'Nunc ignota viris, sed erunt post inclyta terris
'Collegæ secreta tui: nec tecta requiras — Paterniani aedes.
'Quæ contra abducta se condunt fronte; per æra — Lucae fanum.
'Perque graves sonitus properans atque arcta viarum: — Vicus aerarius.
'Differtas opibus cernes hinc atque inde tabernas, — Via mercaria.
'Nobilis aurata qua semita currit ab ara;
'Nec te tantarum teneant miracula rerum,
'Sed divos mirare tuos sedesque beatas.
'Iam tibi notus erit, vicina sede propinquus, — Iuliani aedes.
'Cui subducta viæ non grandia templa recumbunt.

---

331 Maurtii *1. scribendum* Mauritii. *S. Maurizio. paroch.* 333 Maurius] *S. Angeli ædes Mauro dedicata fuerat, extatque ibi Ioa. Baptistæ statua inscripta* Iulii Mauri opus. 334 magnis: Aliger: *1. S. Angelo Gabriele. ecclesia parochialis.* 341 *S. Stefano (protomartire).* 347 chorus] *Augustinianorum regularium.* 349 pope *1.* 350 *Santa Lena. Constantini matri a. 1420. sacrata.* Hæcq; ampl. *1.* 353 prole] *Constantino M.* 355 *S. Samuele (profeta). paroch.* 356 *S. Vitale. paroch.* 358 *S. Benedetto. paroch.* 362 collegæ] *item evangelistæ.* tui] *Marci.* *S. Paterniano. paroch.* 363 *S. Luca. paroch.* 369 *S. Giuliano. paroch.*

'*Haud procul aspicio antiquæ testudinis aurum,* — *Salvatoris aedes.*
'*Quam rerum servator habet. stat proximus illi*
'*Exsectam qui humeris pellem ceu pallia portat.* — *Bartholomaei aedes.*
'*Non ratibus te ripa frequens, non fervida pontis*
'*Agmina defigant, nec quas Germania dives* — *Emporium Germanicum.*
'*Explicat hinc merces, illinc sua stamina Seres:*
'*Quin errata prius repetens tria compita retro*
'*Prospice bissenis sacratam fratribus ædem.* — *Apostolorum aedes.*
'*Hinc Sophiæ penetrale sacrum, campumque virentem,* — *Sophiae aedes.*
'*Qui iacet ante fores, et qua mox dextra recedit,*
'*Ut virgo stet cincta rotis, irasque minaces* — *Catherinae aedes.*
'*Negligat, et fidens solium miretur et ora,*
'*Virginis ora suæ: prohibent hæc dira timere*
'*Supplicia, auxilio ternis simul excubat aris* — *Mariae crucigerae aedes.*
'*Diva parens, hinc signa movens victricia nati,* — *Mariae misericordianae aedes.*
'*Ter centum inde viros, pietas quos iunxit alitque,* — *Mariae hortanae aedes, ubi Christophori simulacrum.*
'*Hortanamque manum magni hanc tutela gigantis*
'*Arma timere vetat. Sed quis madet usque supremis*
'*Fluctibus? an spectas regum hic qui ex stirpe creatus* — *Lodovici aedes.*
'*Ut miseras contempnat opes, diademata calcet?*
'*Cernis et inde senem diversa in parte sedentem,* — *Hieronymi fanum.*
'*Quique utraque manu divina volumina versat.*
'*Cesserit ille licet merito tibi magna paranti*
'*Scribere et ingentes quisquis cantaverit actus*
'*Et regis monumenta pii, post ecce virentem*
'*Vendicat ipsa viro dulcis facundia palmam,*
'*Et nunc virgineum propius iam respicit agmen.*
'*Sed maius miratur opus, quod ad ubera cernit* — *Servorum fanum divinae virginis.*
'*Virginis admotum cœlum qui et cuncta creavit.*
'*Hoc stupet ille senex, non grandia tecta, nec aurum,*
'*Servitiumque frequens plenisque altaria donis:*
'*Hoc stupet adverso obtutu Marcellus, et oræ* — *Marcelli aedes.*
'*Arbiter extremæ Felix, et iuncta duobus* — *Felicis aedes.*
'*Fusca sedens divis, nec non pia cominus unctrix,* — *Fuscae aedes.*
'*Flaventes resoluta comas tergensque capillis* — *Magdalenae aedes.*
'*Quos sine fine pedes lachrimis rigat anxia sacros.*
'*At qui præcelsa stat nixus turre sacerdos,* — *Hermacorae aedes.*
'*Quique altis obiecta vadis altaria servat,*
'*Idem olim Oebalio qua Carnica regna Timavo*
'*Late obversa iacent, post te tua templa tenebit.*

---

[371] *S. Salvatore. canonicorum regularium et parochialis.* [373] *S. Bartolommeo. paroch.* [375] *Fontico dei Todeschi.* [378] *SS. Apostoli. paroch.* [379] *S. Soffia. paroch.* [381] *S. Caterina. monachar. Augustinianar.* [384] *S. Maria de crocicchieri. monachor. ord. S. Cleti.* [385] *S. Maria di misericordia* s. *La misericordia. abbatia.* [386] *La Madonna dell' Horto. monachar. Cisterciens.* [389] *S. Luigi. monachar. Augustinianar.* [391] *S. Girolamo. nonnarum Augustinianar.* [398] *S. Maria de' servi. regularium Servitarum.* [402] Marcelli *1. S. Martiale* s. *Marcitiano. paroch.* [403] *S. Felice. paroch.* [404] *Santa Fosca. paroch.* [405] *La Maddalena. paroch.* [407] *S. Hermagoras Venetis etiam Marcuola dicitur. parochialis est ecclesia.*

'Nunc age et hic sæva insignem quem compede cernis,
Leonardi aedes.
'Quantus erit nunc scire nefas, sed in astra receptus
'Hisque olim terris templo sacratus et ara
'Ultro aderit, manicas nexis et dura relaxans
'Vincula. Dexter abi et celeri fastigia gressu
'Pontis age exsupera, nec quæ post terga relinquis
'Sint tibi tesqua moræ, licet his plus fuderit auri
Conflatoria officina factum vocant.
'Posteritas opulenta locis quam Lydius Hermus
'Volutat et Hesperiis Tagus impiger obruat undis:
'Nec procul illa senis facies toleratibus apta
Iobis fanum.
'Humanisque invicta malis, quæ suspicit arcton,
'Extremamque urbis calcat miserabilis oram,
'Te teneat: nec quæ circum navalia crebro
Atrium Mauranum cum navali.
'Artificum resonant pulsu, non atria et una
'Permixtæ pueris lusu glomerante puellæ.
Atrium Mauranum
'Sed tu quid dudum spectas, quid lumine fixo
Lucae conditorium in Iobis fano.
'Respicis auratam collegæ immobilis urnam?
'Iamque hinc tolle gradum et qua se tibi cernuus offert
'Fatidicum cognosce senem, qui turris ad ima
Hieremiae aedes.
'Accubat, et rectum mecum per operta secutus,
'Perque salicta viam, duplicem properemus ad aram
Luciae aedes.
'Virginis hanc, placitura procis, mirabile dictu,
'Lumina cui rapiet cœlo devota volenti
'Virginitas, ne offensa ruat, iam Graia Carystos
'Sicanio dives meditatur dona sepulchro.
'Sanctior affinis longeque beatior ara,
Corporis Christi aedes.
'Cui sacrata dabit venerabilis hostia nomen:
'His dare tura focis discreta sede ministras
Vetus Isthmus inter Clarae et Corporis Christi aedes.
'Olim cernere erit: nunc densis ripa salictis
'Undique operta iacet, nec qui modo seperat Isthmus
'Arctior allapsam Tethyn fluvialibus undis,
'Semper erit, nec cur iam desinet esse requiras.
'Quin dextrum potius scopulum pes occupet: illic,
'Qua datur apricis statio nunc ardua mergis,
'Immodico stipata choro, miranda sacerdos
Clarae aedes et virginium.
'Nuda pedes et veste latus succincta sedebit.
Crucis aedes et virginium.
'Talis in adversa famulantum cœtus arena
'Per Stygios gestata lacus et flumina Averni,
'Nunc nitido radiata polo crucis alma fovebit
'Signa tenax. nec, qui extrema metatur in ora
'Limina, piscator quondam, nunc incola cœli,
Andreae aedes et virginium.
'Marce, tuum remoretur iter: deserviet illi
'Quamvis casta manus multusque altaria circum
'Stabit honos: quin ambo adversam invisimus oram

---

[411] *S. Leonardo. paroch.* [417] *La zecca.* [420] *S. Giobbe. Franciscanor. minor. observantium.* [423] *Murano.* [426] *S. Lucæ evang. corporis reliquiæ.* [429] *S. Gieremia. paroch.* [431] *Santa Lucia. paroch. monachar. Augustin.* [436] *Corpus domini. monachar. Dominic.* [441] tethin *1.* [445] *Santa Chiara. monachar. Franciscanarum.* [447] *La Croce di Venezia. item monachar. Francisc.* [451] *S. Andrea. nonnar. Augustinianar.*

'*Fluminis et retro scopulum per aperta remensi*
'*Littora devexæ facies hæc parva lacunæ*
'*Discimus, ut sedes divis, mirabile dictu,* — *Simonis et Iudae aedes.*
'*Una duobus erit, reddet tamen ampla capacem*
'*Religio. Caput incanum barbamque verendam* — *Simeonis aedes*
'*Prospice nunc vatis palmas mirantis et ulnas*
'*Quæ regem tetigere suum. Sed discere dignum est,*
'*Gaudeat ut luco lætusque recumbat in umbra,*
'*Nec semper brevis hæc quæ amplectitur area lucum,*
'*Quum zephyri spirant, calamis stridebit et ulva:*
'*Mille simul radii percussas pectine telas* — *Textorius vicus.*
'*Percurrent sonitu, nec quæ mox Gallia et omnis*
'*Daunia tendebunt, lassent tot vellera, dextras.*
'*Hic quoque post geminos pontes suspectus ad auras* — *Io. decollati aedes et turris acclivis*
'*Qui tibi surgit apex? rueret, nisi divus ad ima*
'*Accubet, innixus lateri servetque vetustis*
'*Sedibus ambiguam molem. Stat proximus illi*
'*Cui optare thronos cœli Zebedeia coniunx* — *Iacobi aedes*
'*Inscia fatorum nixa est. Linque ocyus aram*
'*Cœlitis et vastos, surgunt qui a fronte, penates:*
'*Nunc rerum simulachra vides, sed vera nepotes*
'*Omnia conspicient: hæc quæ lachrimabilis urna* — *Eustachii aedes et conditorium.*
'*Tollitur ante oculos et gemina cum stirpe parentes*
'*Conteget effigies quos torserit impia tauri.*
'*Corruat hic anceps vertex, qui nutat ad auras,*
'*Qua tholus hic dexter delubraque sacra recumbunt,*
'*Ni regat ancipitem molem teneatque supremæ* — *Matris domini aedes.*
'*Virginis alma manus, subnixaque cominus ara.*
'*Sed tu marmoreos postes limenque vetustum*
'*Ne nimium mirare, precor, quin protinus hinc te*
'*Proripe, et accelerans, surgunt quæ templa propinquo* — *Cassiani aedes.*
'*Limite, cui pateant, ne sit cognoscere curæ;*
'*Huc geminam sed flecte aciem, qua lenis ab austro*
'*Flectit in Hesperios sensim sua flumina soles*
'*Meduacus scopulumque sinu curvoque meatu*
'*Alligat implicitum: nomen vada grande madenti* — *Rivi alti descriptio.*
'*Alta dabunt ripæ: silvis nunc, Marce, coruscis*
'*Omnia mersa iacent, olim comertia mundi* — *Comertia Rivoaltina.*
'*His fervere locis Maurosque videbis et Indos*
'*Mercibus alternis inter se iungere dextras:*
'*Quicquid habet rerum tellus, huc, quicquid et æquor,*
'*Puppibus advectum precio mox transiget orbis;*
'*Hærebunt ripis, oneraria turba, carinæ,*
'*Et vocum ambiguo resonabunt cuncta susurro.*
'*Quid fora terna loci memorem mensasque beatas,* — *Trina fora.*

---

457 Sim. et Iudæ] *S. Simeone piccolo. paroch.* 459 *S. Simeone profeta* s. *grande. paroch.* 468 *S. Giovanni decollato. paroch.* 472 *S. Giacomo dell' Orio. paroch.* 476 *S. Eustachio* s. *Stai. paroch.* 481 *S. Maria mater domini. paroch.* 485 *S. Cassiano. paroch.* 490 *Rialto.*

'In mensisque ingens argenti pondus et auri?
'Aut quid votivam trepidatis ignibus aram, — *Rivoaltini Iacobi aedes.*
'Quantaque porticibus geminis spatiabitur umbra
'Hic, ubi in extremo riparum margine mollis
'Silva viret? quicquid nunc lenior occupat alnus, — *Recens porticus Rivoaltinus.*
'Nobile marmor erit: tantum mutare valebit
'Longa dies: surget iuxta vicinior astris
'Pons opere insignis ripamque amplexus utramque — *Pons Rivoaltinus.*
'Fluminis et cunctis calcandus gentibus olim.
'Huius dextra latus claudit quæ terra sub altis — *Ferraria ripa.*
'Aggeribus gemet Alpinis tumulata metallis.
'Par onus excipient passim conclavia centum — *Apothecae aromatariae.*
'His differta locis, sed onus puto gratius illis,
'Namque Arabum messes et odoris mercibus Indus
'Horrea stipabunt, accumbet ditior intus
'Area, portabunt procul huc sua munera Seres,
'Hesperiæque rates tepidis quod mersit ahenis
'Docta Tyros Coæque olim radioque coloque
'Explicuere manus: nihil ambitiosa vetustas
'His conferre queat, stabunt venalia longo — *Vini et panis annona.*
'Margine riparum populo quæsita, receptis
'Obtulit hospitibus quæ mystica dona sacerdos.
'Nec plus hic infra maiorave pondera rerum
'Quam supra æquatis suspendet lancibus auri
'Posteritas. Nunc adde gradum mecumque retrorsum
'Aspicies densa stipatas merce tabernas;
'Nec nova achademiæ facies sacrataque divi — *Io. Rivoaltini aedes. Achademia.*
'Limina detineant, sed tendere longius ultra
'Perge, precor, gentisque tuæ cognosce futuram
'Luxuriem: his mensis, quarum nunc conspicis umbram,
'Cernere erit quicquid gemmarum prodiga mittit
'India, quicquid opum pelago scrutatur Erythre.
'Nec sua templa coli post hæc pius abnuet ille, — *Matthaei aedes.*
'Qui simul ac citus quæstus odisse nefandos
'Dicitur, et vitæ contrarius isse priori;
'Oderit inde nefas, sed habendi insana cupido
'Has circum sedes adiget fœdare nepotes.
'Sanctius inde procul templum sacrabitur huic, qui — *Silvestri fanum.*
'Pastorum excipiet dotalis munera terræ,
'Primus ab imperio. Verum hæc sacraria linque
'Et quæ dextra volens colet is qui ab Apolline nomen — *Apollinaris fanum.*
'Tam verum quam grande feret. Iam cominus ecce
'Post geminos fluctus pandunt se limina Pauli, — *Pauli aedes.*
'Limina quæ vultu strictoque tuebitur ense

---

501 *S. Giacomo di Rialto. Hoc antiquissimum templum fertur a. 421. conditum.* 507 *Ponte Rialto.* 519 *Dazio del vino.* 526 *S. Giovanni di Rialto s. elemosinario. paroch.* 542 erithre *1.* 532 *S. Matteo. paroch.* 537 *S. Silvestro. paroch.* 538 *Donatio Silvestro a Constantino facta.* 540 *Sant' Appolinare* s. *Apponalc. paroch.* 512 *S. Paolo* s. *Polo. paroch.*

'Ille senex, magno totum qui concutit orbem
'Eloquio, monstratque viam quæ mittit ad astra.
'Inde erat unda triplex inflexaque semita nobis
'Esuperanda prius quam religiosa paterent
'Templa Syri, cui ni permissum cernere eorum — Thomae aedes.
'Traiectumque latus ferro contingere dextra,
'Quod sibi certa salus Stygiis remeasset ab undis,
'Credere non potuit. Sed qua se dextera nobis
'Area diffundit, brevior via ducit ad umbram
'Frondentis luci: luco hoc gaudebit et ara — Eubaldi aedes.
'Inter cœlicolas non ultima fama decusque,
'Si quando ad vitæ superas emerserit auras.
'Sed famæ maiora manent momenta sedentem — Augustini fanum.
'Limite in adverso, ritus et iura parantem
'Scribere supremis pacatæ civibus aulæ.
'Altius hic alius lunam transcendit et astra — Io. evangelistae fanum.
'E regione sedens; magnæ alitis instar in auras
'Nititur æthereas, et sydera verberat alis.
'In lævam nunc flecte oculos, nec discere tentes,
'Cui sacer hic fuerit limes quem contegit ulva:
'Multa latent quæ longa dies post deteget: at tu
'Hanc cœlo eductam molem lateque vagantem — Steni aedes.
'Suspice, et ingentes maneat quam pulchra nepotes
'Religio, iam scire potes: venerabile nomen — Minorum aedes.
'Virginis hærebit templo; iam cernere fas est
'Sacrorum qui cultus erit, quam densus ad aram
'Serviet usque chorus. Sed tu per cuncta vagari
'Desine luminibus, nec ditia mausolea
'Te teneant, passim radiant quæ marmore et auro,
'Nec quæ porticibus vacuis bina atria currunt, — Nicolai aedes.
'Pontificis qua tecta senis secreta recumbunt
'Quin age et angusta digressus virginis æde
'Hunc mecum mirare virum, quem Gallica vestit — Rocchi aedes.
'Penula, et innixum baculo domat ulcus aperti
'Inguinis: hic terris olim, mox urbe vagatus
'Inter odoratas sylvas opulentaque dona
'Perpetuo contentus aget. Nunc protinus, ecce,
'Fluctibus incumbit geminis cui Græcia nomen, — Pantaleonis aedes.
'Cui tellus hæc templa dabit. Iam respice contra
'Qualis virgo sedet, sævum pressura draconem. — Margaritae aedes.
'Sed nec virgo ferox dudum properantibus obstet:
'Quin per aperta soli divæ veniamus ad ædem — Carmelitana aedes.
'Sacrificumque chorum, mollis cui Syria et ingens

---

548 *S. Toma* s. *Tomaso. paroch.* 553 *S. Ubaldo s. Baldo. poroch.* 556 *S. Agostino. paroch.* 559 *S. Giovanni evangelista. priorat.* 565 *S. Stephanus confessor est Venetis S. Stin.* s. *Steno. eccl. paroch. est.* 567 *S. Maria gloriosa* s. *i Frari.* 573 *S. Niccolò de' frari minori. Franciscanorum conventualium.* 576 *S. Rocco. oratorium. Rocchi ædes a. 1494. ædificata.* 581 *S. Pantaleone. paroch.* 583 *S. Margherita. paroch.* 585 *La Madonna dei Carmini.* 586 Sacrificiumq; *1.*

'Detulit extremo nomen Carmelus ab ortu.
'Contiguas nunc præter aquas, qua semita rectum
'Monstrat iter, molire gradum: non pauca supersunt:
'Et qua trigeminus se fundit in æquora fluctus,
'Siste pedem, vultuque novo postrema tenentem
'Culmina prospecta: nostri hæc illa hospita regis, *Marthae aedes.*
'Quæ, simul admonita est vitæ melioris, abegit
'Dulce ministerium; castis nunc septa puellis
'Læta sedet luditque choro. Miraberis olim
'Retia mille vagis pendentia pontibus, hic qua
'Explicat extrema cursum via mollis in ora, *Nicolai cognomento mendiculi aedes.*
'Baretis sed templa senis quæ proxima surgunt
'Pontibus, et pueri quam dux habet aliger aram *Raphaelis aedes.*
'Posse procul spectare satis. Nunc aspice dira
'Supplicia et iuvenem insontem post terga revinctum, *Sebastiani aedes.*
'Telorum quem spissa seges confixa per artus
'Texerit: est illi pietas immensa: reponet
'Præmia. Respondet contra, sed notior, austro *Basilii aedes.*
'Ara vetus: Latiæ hic artis sunt tecta foresque,
'Veste sacra Latius custos, per cætera Graius.
'Solis ad æstivos ortus pia limina divis
'Omnibus hæc statuet vicinis sedibus olim
'Postera religio sacrisque operabitur agmen
'Virgineum. Sed qua tellus procedit ad euros,
'Consurgunt geminæ sedes: hæc verget in arcton, *Barnabae et Androuasii aedes.*
'Illa notum: similis facies ambabus et ætas.
'Sed cultus non unus erit, comes ille supremi
'Regis, at hic martyr, cœlo sed dignus uterque.
'Haud nunc scire licet, sed tempora longa recludent,
'Quis sit in extremæ latitans qui margine ripæ *Charitatis aedes.*
'Personam sub veste tegit mitramque iacentem
'Luget et ignotæ miserabilis assidet aræ:
'Sed melius operare licet, ne indulge dolori,
'Chare senex, iam iam tuta tibi linter in unda est: *Alexander pontifex.*
'En tibi sacra cohors, quamvis ignobilis adsis,
'Expedit hospitium, pelagi dum sæva remittat

---

[592] *S. Marta. monachar. Augustinianar.* [594] puellis] *nonnis Augustinianis.* [597] *S. Niccolò de' mendicoli. paroch.* [598] Baretis] *S. Niccolo de Bari, di Castello.* [599] *S. Raffaello. paroch. post Iacobi Ripaltini antiquissima.* [601] *S. Sebastiano* s. *Bastiano. Eremitar. Hieronym.* [602] Tellorum *1.* [603] repon.] *colliget, reportabit.* [604] *S. Basilio* s. *Baseio. paroch.* [607] *Ogni santi.* [610] *Benedictinarum.* [611] *S. Barnaba. paroch. Androuasii 1.* San Trovaso *Venetis est SS. Gervasii et Protasii templum. paroch.* [616] *La Carità s. Maria della carità. canonicor. Lateranensium.* [617] mitram] *Alexandri PP. III. In ipsa ecclesia Sansovinus supra portam principalem hunc titulum extare rettulit:* Alex. III. Pont. max. Federici a rabie profugus has sacras Regularium ædes pro munere receptæ hospitalitatis inexausto Indulgentiarum thesauro perpetuo dicavit. MCLXXVII. *cf. etiam Sansovin. (Venetia descritta etc. Venet. 1604. 4º.) lib. XII. fol. 337. sq. —Mireris Huttenum hunc Cocci locum non perstrinxisse suo carmine.* [620] *De hoc proverbio cf. Tibull.* II. 5,34. [621] ignob.] *ignotus.*

'Tempestas, aderunt placidi sine turbine soles.
'Littore in adverso, qua plurima vergit in austrum
'Insula, cernere erit nostri qui nomina regis, — Iesuatica aedes.
'Marce, ferant. contra paucis comitata sedebit
'Virginibus princeps, Latiis quæ in montibus ultro — Anastasiae aedes.
'Supplicia expendet; trinæ dum lucis amore
'Prodere non dubitat sancti commercia cultus,
'Martyr erit qui templa colit vicina, sed undis — Viti aedes.
'Hoc discreta solo: divo, quis crederet, olim
'Omnibus huc annis veniet tuus ille senatus
'Gratatum, populusque frequens, quod turbine sævo
'Sit patriæ servatus honos armisque retenta
'Libertas; festa patietur luce revinctus
'Medoacus sua terga premi. Nunc aspice quali
'Septa choro radiet viridi lux alma recessu. — Almi spiritus aedes.
'Sed tu quid circum lustras navalia et altis
'Horrea culminibus? quin hanc, quæ læva recumbit, — Gregorii aedes.
'Miraris sedem Latii pastoris, et aram — Trinitatis aedes.
'Cui trinus præsedit honos triplexque potestas.
'Hoc caput extremum, volucres qua currit in euros — Salinum caput.
'Insula, velivolæ rostrum quæ imitata carinæ est,
'Perferet impositam molem limosa, refusis
'Obruta nunc undis ulvaque immersa palustri
'Hinc atque inde iacet; planta calcabitur olim
'Humidus hibernam scopulus qui suspicit arcton;
'Omnia fervebunt densis hinc puppibus, inde,
'Qua notus usque ruit, salis horrea vasta patebunt;
'Fors et multa dabit terræ post copia nomen.
'Quæ contra ingenti tellus tibi curva recessu — Iudaica insula.
'Obiicitur, sua sacra colet divosque chorosque,
'Aemula nunc certe reparantis cornua lunæ.
'Ast urbis post instar erit, quam vincere cursu
'Aut æquare volet, ni mox pius armiger illi — Georgii fanum.
'Vectus equo infestam venienti intenderit hastam:
'Hic tibi sacrorum cultus teque inclyta circum
'Centum cœlicolæ servabunt tecta piosque
'Rite sibi iam quisque choros, sibi quisque ministros.
'Nec minor alter honos venturaque gloria rerum;
'Nam tuus hic pelagi populus regnator et idem — Venetae divitiae.
'Terrarum placidus rector censebitur auro
'Fluctibus Hesperiis et Lydo ditior Hermo:
'Regia quod Crœsi cepit, quod Persica regum
'Gaza vetus, quicquid victo mox abstulit orbi

---

[625] *Giesuati* s. *Madonna del rosario. Dominicanor.* [627] An *Sant' Agnese? paroch.* [630] *S. Vito* s. *Vio. paroch.* [632] *Processio quotannis d. 15. Iun. habita. quo die dux Gradenigus Baiamontem Tiepolum tyrannidem adfectantem vicit inque exilium misit. cf. Sansovin. lib. XII. fol. 339.* [637] *Spirito santo. Augustinianarum.* [639] *S. Gregorio. paroch.* [640] *S. Trinità.* cf. supra v. 142. [642] *La dogana di mare.* [651] *Giudecca.* [655] *S. Giorgio maggiore, Benedictinorum.* [661] cœpit: *1.*

'Roma ferox, uni genti pia fata reponent;
'Dives erit rerum populus divesque senatus,
'Inque toga duplex patria spectabitur ordo: Cultus Venetus.
'Omnibus unus erit cultus, ius omnibus unum;
'Hæc modo discrimen fugient, at cætera cuique
'Instruet affectus sumptusque oblita cupido; Veneti mores.
'Iustitiæ sed cura tenax, nec parvus honesti
'Gentis amor; facies candens flavusque capillus; Gentis forma et mores.
'Dulcia congressu et tacitæ commertia linguæ:
'Hæc te fata manent atque his lætabere regnis,
'Fortunate senex. veniet labentibus annis
'Certa dies, qua cuncta tibi quæ insomnia monstrant
'Ipse videns spectes templo sublimis ab alto.
'Nunc spe lætus abi meritisque hæc omnia firma!'
Dixit et in tenues auras lux illa recessit
In sedes abitura suas. Tu protinus orta
Iam luce excuteris somno numenque precatus,
Rite secundaret visus, nec plura moratus
Surgis et accelerans sequeris pia iussa magistri.

FINIS.

EPISTOLA ITALIÆ
AD
MAXIMILIANVM CÆSAREM
VLRICHO DE HVTTEN
EQVITE GERMANO
AVTORE
CVM
RESPONSORIA AD ITALIAM
MAXIMILIANI CÆSARIS
AVTORE
HELIO EOBANO HESSO
GERMANO

volum. I. pagg. 106...123. num. XXXVI. e primario exemplo, quod descripsimus Indic. bibliogr. Hutten. pag. 14*. sq. num. XI. 1., adhibitis etiam ceteris, repetitæ sunt. cuius rei nunc me pænitet: facilius enim et rectius inter alia huius voluminis de rebus Germanorum cum Italis gestis carmina illa quam inter epistulas variaque priore volumine publicata scripta legerentur, atque ipse nunc faciliorem ac pleniorem adnotationem præstarem quam ante hos quattuor annos a me factum est. verum ut hæc carmina statim in volumen primum operum Hutteni reciperem, non adeo ineptus sum ut me moveret, quod epistularum nomine in-

scripta sunt; sed illa, peculiaribus primum exemplis publicata (Ind. bibliogr. Hutt. num. XI. 1. 2. p. 14*.), inter Hutteni scripta, quæ ederem, nolui desiderari, cum præcipue ad auctorum eorumdemque tempora moresque cognoscendos facere viderentur, et tamen eo etiam tempore quo alterum volumen operis transcribendum misi, nondum satis mihi certum fuit fore ut reliqua volumina absoluta edere possem. Nunc tandem, ubi hoc tertio volumine, quod quarti quintique editio tempore præivit, colophonem ipsius Hutteni scriptorum, si epistolas obscurorum virorum exceperis, a me adornato exemplo inpositurus sum, ausim sperare, quamvis sexagenarius, fore ut voluminis septimi indices adnotationesque iis incommodis quæ ex inmaturiori horum carminum, longiorum quam quæ iterum repetere liceret, editione molestiorique eorum loco forte enascentur, satis bene mederi deus adnuat.



QVOD AB ILLA ANTIQVITVS GERMANORVM CLARITVDINE NONDVM DEGENERAVERINT NOSTRATES

VLRICHI DE HVTTEN EQ.

HEROICVM.

[a. 1518.]

Rhenigenas populos et robustissima mundi
Pectora quisquis avis atque a virtute priorum
Degenerasse putas, non æquo remque diesque
Arbitrio pendis: liceat cum tempore prisco
Præsentem conferre statum: non semper in armis
Esse licet, mollem non semper amare quietem;
Alternas iuvat ire vices, belloque remissos
Tuta quies animos paxque interposta resolvunt.
Nec tu crede deos ita nos intendere contra,
Ut rerum invideant summam et fastigia nolint

QVOD GERMANIA NEC VIRTVTIBVS NEC DVCIBVS AB PRIMORIBVS DEGENERAVERIT

HEROICVM

EIVSDEM.

[a. 1511.]

Rhenigenas populos et robustissima mundi
Pectora quisquis avis atque a virtute priorum
Degenerasse putas, non æquo resque *animos*que
Arbitrio pendis: liceat cum tempore prisco
Præsentem conferre statum: non semper in armis
Esse licet, moll*i* semper*que vacare* quiet*i*;
Alternas iuvat ire vices, belloque remissos
Tuta quies animos paxque inter*missa* resolvunt.
Nec tu crede deos ita nos intendere contra,
Ut rerum invideant summam et fastigia nolint

---

10 fumam *1*.

Germanos orbisque caput molemque tenere.
Tunc cum tempus erat gerere arma et cogere gentes,
Expugnare urbes regumque infringere fastus,
Fecimus egregie motisque indulsimus armis:
Nunc placidas artes pacemque admittere curis
Est opus atque animos tranquillum advertere in usum,
Dum Sophiæ fruges cultumque et quaslibet artes
Post tot gesta virum noster quoque calleat orbis;
Ergo adit Italiæ quisquam loca, ut adferat inde
Ingenii cultum et Latiæ commertia linguæ
Græcorumque artes, nimirum illa ampla parentum
Cum satis eniteat gestarum gloria rerum.
Nec minus hoc ducibus curæ est: dant præmia doctis
Passim, academias statuunt, et honoribus augent
Altiloquos vates ac musica sacra professos,
Ingeniisque favent mansueta fruge colendis.
Sunt tamen interea, siqua intercesserit illis
Causa recens studiis, qui prisca negocia tractent.
Iamque iterum fines Italorum et Martia regna
Cæsar adit motoque animo sese obtulit armis,
Ut, Venetum luxus vanamque ubi presserit iram,

Germanos orbisque caput molemque tenere.
Tunc cum tempus erat gerere arma et cogere gentes,
Auxisset dominæ nummosa æraria Romæ;
Sive rebellantes armis superasset Iberos,
Sive leves Celtas, aut sub iuga Marte secundo
Cantaber isset eques, pleno excipiente triumpho
Decrevere patres tantis grata omnia gestis.
Magna damus, nisi tu nolis, maiora daturi,
Iure pari, merito diverso, non quasi belli
Intuleris motus Venetumve retuderis hostem:
Gratamur reduci, sed quod te principe belli
Suspicio procul omnis abest: huc ocia tecum, (Tranquillitas Alberti.)
Huc pacemque trahis, tutissima tempora abactis

---

53 Lætitiæ *3.5.6.* (*ubiq.* iti). 55 Prope piscariam portam clerici novum præsulem secundo Rheno adventantem excipiebant. 58 Io] Germanice *Ju, heia, hei!* nam tum per Germaniam nondum clamabatur barbarum illud *Hurrah.* 60 ad. est pl. nom.] plateæ hominibus totæ contectæ sunt, iam non sunt plateæ, πλατεῖαι. 62 *Lemma om. 3. ut sequentia quinque.* 65 ædere *5.* 66 *Triumphans imperator.* feliciter *3.5.6. ubiq.* 67 exægisset *1.* 70 durum Iberum M. Cato superavit, Celtas Cæsar Iulius. 72 „Cantabrum indoctum iuga ferre nostra" (*Hor.* Od. II. 6,2.) domuerunt Augusti legati. 76 Veneti pace cum Gallis inita cum Cæsare pacem inire detrectaverant paullo ante quam hoc carmen conponeretur. 78 otia *5.*

Te veniente malis subeunt, sperata solutis
Vita redit, tranquilla quies te præsule inivit!
Spes sua cuique redit, tum siquis fleverat ante,
It dolor itque timor, cessant curæque metusque;
Læticia certatur, eunt matresque virique — Læticia communis.
Uno hilares voto præ te manibusque supinis
Attollunt vultus læto et clamore salutant
Te patremque vocant saliuntque et carmina dicunt.
Vocibus aura fremit, dulci quatiturque boatu;
Ornatæ nituere domus, portæque viæque
Congaudent dominis speciosaque pallia tectis
Dependent, quod Zeusis opus, quod pingat Apelles,
Texat Achæmenio locuples quod Persia fuso,
Quod struxisset Arachne et quod discriminet unca
Pallas acu, quod eat Phrygiis certare tapetis,
Delicias oculis, veterum argumenta laborum,
Parietibus murisque locant; hæsere fenestris
Intextis aulæa notis, celebrata parentum
Facta reviviscunt magnæque ex ordine pugnæ.
Præterea festi insuetis fulgoribus ignes
Urbe crepant lucentque faces et lumine maius
Excipitur lumen, stellisque abeuntibus instant
Solares radii, et Phœbeæ lampadis ignes
Obscuraturi, siquos adiere minores,
Igne suo minor est: quemcunque, o maxime rerum, — Splendor Alberthi.
Virtutes tetigere tuæ, tu lumine lumen
Excipiendus ades, densoque armata iuventus
Stat diffusa globo et turmæ panduntur equestres,
Ostenditque tibi dederit quas patria vires
Quæque sequantur opes: dic quis compelleret istum
Vi populum qui nunc sumptis tibi se obtulit armis,
Quique, ut tu regnes, petit extorquetque precando?
Heu quanta vi regnat amor: discedite, fastu
Qui vultis captare fidem petitisque timeri! — Amor erga Albertum suorum.
Undique tutus amor; nunquam irrequieta tyrannis

---

[81] Tu *5.* [91] Sependent *5.* [92] Achemenio *5.* Achæmenio] Persico. Achæmenes primus Persarum rex. *(Shawls.)* [93] Arachne] lanificæ laudibus artis clara. cf. *Ovid.* met. VI. 5. sqq. [94] Pallas] *Ovid.* l. c. 23. „seu pingebat acu, scires a Pallade doctam. Phryg.] cf. *Verg.* Aen. III. 483. sq. [100] maius lumen] princeps.* [100. sqq.] „Sicut stellæ obscurantur radiis solis, ita ignes qui in civitate habebantur, tuo splendore obscurati sunt".* [101] abeuntibus] superatis. [102] Solares radii] princeps.* [104] suo *edd. recte; tuo correxit*.* [108] Ostendit] scil. iuventus.*

Suspicione caret, odiisque obnoxia regnat.
Cernis, ut est templis alius nitor, omnia cultu — Pompa.
Festa novo? quid tale, rogo, prior annus habebat?
Omnia magna quidem, verum ad te parva tuoque
Aequa minus decori: potes hos, pulcherrime, plausus
Tam trepide amplecti teque his censere minorem? — A verecundia commendat.
Digne omni pompa, solenni digne triumpho,
Ingredere, o, lætusque tuum conscende tribunal,
Da leges, da iura viris, assuesce vocari
Spes miseris, tutela inopi! dant numina solis
Principibus sapere ante diem: tu Pallade dextra
Oblatis fruere et regni subeuntis habenas
Arripe sublimique animo contende priores
Effectis anteire tuos; magis iste magisque
Publicus ardet amor conceptaque opinio de te:
Agnoscisne tuos istum vincisque pudorem,
Omnia qui vincis, fortunatissime rerum?
Nam quæ multorum fortunæ dona videntur, — Fortuna Alberti.
Sparsa locis, in te mixta et collecta tuemur,
Nomen, opes, formam, genus, o te cuncta repente
Et pariter factum: namque ut te in regna locarent,
Exiguo spacio et properato occumbere leto
Ante duos voluere dei succedere præ te
Non veritos: hæc signa dabant, deposceret isti
Quem fortuna loco nosque admonuere legendi
Principis huc quo fata vocent: si tertius esset
Ausus in hoc solium vetito se mittere fato,
Diis equidem iratis reor eventuque sinistro
Punitum errorem: nos læti amplectimur omen
Fortunamque tuam studio sectamur ovantes.

---

[115] adiisque *6.* [116] alius] inusitatus.* [118] ad te] habita tuæ personæ ratione. [120] commendat. *om. 3.* [122] consecnde *5.* [125] Pallade] Sapientia. Sed „præcipe non sublime sapere". Cf. infra v. 1103. sqq. [128] Effectis] factis.* [129] concœptaqȝ *1.4.* [135] nanqȝ *1.2.5.* [136] læto *1.2.5.* „ſc. Albertū fratrē ſorte vici ducē ſaxonię et unū de hīnebet [Henneberg?] qui fuerūt et dicebātꝑ coadiutores"*. Ex adnotatione, quamvis mendosa, versus 136. sqq., qui aperte de prædecessoribus Alberti (Iacobo a Liebenstein † d. 16. Iul. [non d. 15. Sept.] a. 1508. et Uriele de Gemmingen † d. 9. Febr. a. 1514.) non sunt intellegendi, explicent alii. De coadiutoribus duobus ab Uriele institutis nihil legi in Ioannis Hist. Mogunt. Sed Urielem antequam moreretur pænitentiam in Carthusianorum monasterio egisse, quod cellarium vina suffurantem iracundia motus vietorio tudite percussisset, ab Ioanni quoque relatum est. [137] dij *corr.** [138] Albertum canonici ideo elegerunt quod ipse pallii emendi expensas in se susceperat.

Ponite Fortunæ reduci sua præmia, cives,
Et templis ornate deam sacroque dicato
Multa reis voti grata cadat hostia dextra;
Vestris ille animis multaque cupidine nuper
Expectatus adest; tam longo tempore pro quo
Pallida turba fuit, sub cuius spesque timorque
Constitit adventu, cuius vestra omnia vosque
Commisistis opi præsto est, qualemque ferebant
Apparet capiturque oculis, gestitque videri,
Spesque omneis implere cupit. Nunc, Moge, superbi,
Nunc tu, Rhene pater, longo post tempore tandem | Ad Rhenum.
Optatis satiare tuis et pone timorem:
Oblatum est quod tu multumque diuque petebas,
Gavisis transmittis aquis atque accipis alveo,
Ut velles, dominum; video te augustius undis
Intumuisse tuis et utraque hilarescere ripa, Exultatio Rheni.
Exultare vagum, lætosque involvere fluctus;
Auditum resonare nemus mugireque nymphis
Antra tuis sonitumque remissum e montibus imæ
Accipiunt valles, reboat clangoribus aer,
Multa repercussis modulatibus insonat echo:
Cuncta silent studio insolitum mirata fragorem
Et plausu stupefacta tuo, scopulisque resultant
Gratantes numeri et voces te autore coactæ
Mirantur Satyri choreasque in littore ducunt.
Numina ruris ovant, tu, festo ornate paratu,
Inveheris fluviosque vocas qui collibus errant
Teutonicis, largasque epulas regaliter antro | Rheni convivium.
Extruis in vitreo, sed quæ convivia raris
Motibus exequeris. non hoc citus abnuit Ister, | Omnes Germaniæ fluvii.
Aequalis faterque tuus, primosque petivit
Accubitus; quem deinde sedent popularia circum
Flumina, in Euxinum quæcunque hinc abstrahit æquor:
Parvus Iler, curvusque Lycus, quique acribus instat
Rhæticus Inus aquis, Bavarisque in montibus errans
Largus Eser Bemusque Nabus, quique impete fertur

---

[145] Fortuna Redux templis arisque votisque colebatur, multique ei nummi lapidesque inscripti sunt. premia *1.2.* [151] Mogus = Mœnus, Main. [156] saciare *3.5.* [159] Vt Velles *3.* angustius *6.* [172] Sub hac imagine describi puto quot quamque diversis ex terris gratulabundi festumque Moguntinum concelebrabundi advenerint. [171] *Lemmata hoc et sqq. duo om. 3.* [178] Iler] Iller. Lycus] Lech. [179] Rheticus *1.2.4.* Rhœticus *3.5.6.* Inus] Inn, Oenus. [180] Eser]

Trava, cito cui se comitem vicinior Enus
Adiicit, Igla celer, piscosus Thesia, flexus
In diversa Moras. sed nec gravissimus hospes
Albis abest sociosque vehit te, Multana, primum,
Aegera, te Misnumque Salam, neque linquit Havelum.
Hos præter conviva venit Quadus Odera linquens
Sarmaticos colles, cui vix de nomine cedens
Fraternas dat Nyssus aquas, e fontibus iisdem
Qui fluit et tractu tot millia fertur eodem;
Fœcundi venit unda Spreæ, venit Istula nudans
Terga Boryssorum, lato quique amne Visurgis
Vestiphalos humectat agros, Frisiique rebellis
Qui per iugera fertur Emas, Eburonicus astat
Mosa tibi plauditque simul gaudetque vocari
Ad commune epulum, quibus ipse domestica misces
Flumina, magnamini qui scindit rura Suevi
Neccaron et toties vario qui errore moratur,
Ipse suos cursus replicato flumine Mogum,
Arma virum indomitique rigantem iugera Franci; Franci.
His tua Vesterichum coniungit mensa Mosellam,
Quo non maiores alter tibi miscuit undas.
Hæc quoque finitimi veniunt ad gaudia fluctus,
Et Germanus adhuc Athesis, quanquam Alpibus erret

Isar. Nabus] Nab ex silva Bohemica veniens. [181] Trava] Traun. Enus] Enns, Anisus (*h. l. non* = Oenus, v. 179. Inus.) [182] Igla] Iglau, Iglawa, Hutteno ex itinere suo Moravico memorabilior quam Taya qui Iglavam recipit, ut ipse a Maro (March) receptus Danubium augeat. Thesia] Theiß, Tibiscus. [183] Moras] Morawa, Margus s. Margis, Mœsiæ I. fluvius. Nimium Huttenus orientem versus exspatiatur. [184] Multana] Mulde (*non* Moldau). [185] Aegera] Eger. Misn. Salam] die meißnische (sächsische) Sale. Havelum] Havel. Viadrus in Moravia oriens relicta Sarmatia nunc Borussica Silesiam et Marchiam Pomeraniamque permeat. [188] Nyssus] die schlesische Neiße. Nissus *6.* [190] Sprea] Spree. Istula] Weichsel, Vistula. [191] Borissorum *6.* Vis.] Weser. [193] Emas] Ems, Amisia, Amasus. [194] Mosa] Maas, *Meuse.* [197] Necaron *5.* Neccar.] Neckar, Nicer, Niger. [198] De Mosella *Ausonius* (v. 13. sq.) „Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus Legitimosque putas prope segnius ire meatus". [199] Franconiam patriam suam laudare, ubi potest, non neglegit Huttenus. cf. v. 1115. sq. [200] Vesterichium *4.* Mosellam] Ad cuius ripam editoris cunæ steterunt, ubi, ut olim (cum Trarbacum meum, infra Laurettæ arcem conditum, nomen a præterfluente *Traver-* (nunc *Kauten-*)*bach*, contra Travennam Mosellæ sese miscente gerens, furentem inmissis habenis nondum sensisset Volcanum) lusi,

Cui laurus nomen dignum dedit, astu vetustum
Surgit ab opposita tibi Naide, Bacche Travennas.

[203] adhuc] Ac si hodie scriberet auctor. Athesis] Etsch, *Adige.*

Et ruat in Venetos deserto Teutone campos.
Tot fluvii fontesque omnes et stagna lacusque
Conveniunt, tu te medium componis et urges
Convivas miscesque iocos longoque moraris
Affusos sermone deos, tum tristia siquis
Pertulit, invitas animum ad meliora iacentem;
In Venetos Athesis, in Turchas palluit Ister, | Athesis. Ister.
Tu promittis opem et laceras deponere curas
Corde iubes monstrasque ducem, spem rebus ademptis,
Cui festum celebrare diem, cui gaudia, prosit.
Tum blandum moliris Io, clamantis ab ore
Exceptum referunt omnes, resonantia plausu
Atria contendunt, tibi gratificatur amico,
Inque vicem se turba ciet. quos inter honores
Cui non læticiæ, cui non te, Rhene, triumpho
Indulgere iuvat? Vos nunc concentibus æquis, | Exhortatio.
O proceres, laudate ducem, cui talia fiunt,
Plaudite cum vestro, curasque amittite, Rheno,
Et festum exercete diem votisque fovete
Hunc memores, nitidoque igitur signate lapillo!
Illum equidem nobis albo nevere sorores
Vellere fatales fortunatumque vocarunt
Egregii natale viri. fervete frequenti
Igne, viæ, sparsis lucescant compita flammis,
Læticiam testata virum, plebs omnis adoret
Principis adventum summo excipiatque favore
Libera facta ducem! nullis non gaudia templis,
Nulla non sint plena domo plateisque foroque!
Vos Moguntino circumdate vincula Iano:
Pax erit, in curvas gladios contundite falces,
In vomerem, in duros galeas conflate ligones! | Restaurata pax.
Quis canet hos plausus æqualique efferet ore
Læticiam populi et tales te intrante paratus?
Aut quæ posteritas credet fictumque negabit?
Hæc erat illa fides, superum hæc promissa fuerunt

---

[205] Similiter *Auson.* l. c. 477. sq. „Te fontes vivique lacus, te cærula noscent Flumina, te veteres, pagorum gloria, luci". [208] deos] fluvios. [210] Turcas *3. 5. 6.* Venetus et Turca, Imperii hostes. [215] Excœptum *1.* [219] ? *ipse ex*, *feci.* [223] „diesque nobis Signandi melioribus lapillis" *Martial.* IX. 53,4. sq. *Pers.* sat. 2,1. *Plin.* H. N. VII. 40,41. [224] *Tibull.* I. 7,1. „Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes Stamina". [232] circumdate *6.* i. e. claudite Iani vestri templum, pacis, non belli arma exercete. [233] *Hoc lemma cum tribus sqq. om. 3.* [230] fuerun *1.*

Teutoniæ matri Stygium iurata per amnem,
Venturum, Alberthi redivivam a stemmata prolem, Digressio ad Albertum avum.
Præsidium patriæ et magnæ nova pignora laudis:
Idque ita velle deos: namque ut senis ordine fati
Flebilis emeritos abruperat Atropos annos,
Incidit in laceros mater Germania luctus,
Multa super conquesta viro, corpusque tenebat
Exanimum complexa sinu blandoque fovebat
Brachia circundans nexu et miserabilis omnes
Turbabat fletu populos lachrymasque ciebat,
Pallida labra manu tangens, dumque oscula figit,
Ore cicatrices obductaque vulnera mento Huius Alberthi meminerunt Ant. Campanus et Aeneas Pius P. M.
Cernit adhuc dirisque patentia pectora rimis
Brachiaque et multo sulcatum verbere frontem,
Et nusquam non signa sui, monumenta laborum:

---

[240] Ex Alberto Achille (Ulixe quoque cognominato) et Margaretha Badensi Ioannes Cicero pater novi archiepiscopi natus fuit; uxorem Ioannes habuit Margaretham Saxonicam. Is fuit Ioannes, qui cum Arneburgi morti proximus esset († a. 1499.), Ioachimum filium natu maiorem ad se evocatum admonuit, ut deum ante omnia coleret, institiæ et beneficentiæ studeret, subditos a potentioribus oppressos vindicaret, nec nimis indulgeret licentiæ nobilitatis. Prudens vir fuit ac disertus. De Alberto Achille plura infra v. 1032. legentur. Albertus, natus d. 24. Nov. a. 1414. moritur in comitiis Francofurtensibus a. 1486. [242] nanq; *1. 2.* [247] circumd. *6.* [250] Ant. Campani (cf. vol. V. p. 175.) epist. VI. 3. (Freheri scrr. II. p. 293.) „Marchio vir acer, eloquens, vafer, et quem Vulpem Germaniæ vocant, bellicosissimus et pugnacissimus omnium qui in Germania laudantur (Pius Achillem appellavit) cicatricibus totus in manibus, pedibus, vultu, collo excavatus; sæpe singulari certamine dimicavit, quo genere pugnæ nunquam victus est, prœlio semel a Ludovico Bavaro eius consobrino". Præcipuus Aeneæ Sylvii de Alberto locus hic est (Pii II. P. M. Commentarii rer. memorabb. Ff. 1614. fol. p. 91.) „Albertus marchio Brandeburgensis, vir celsi animi et rei militaris peritissimus, qui et in Hungaria et Bohemia et in Polonia et in omni Germania militavit, ordines duxit et magnorum exercituum extitit imperator, cuius tot victoriæ fuerunt quot prælia. Norimbergenses octo certaminibus superavit, uno tantum succubuit, non magno accepto detrimento, octo et decem tantum vicibus clypeo tantum et pileo tectus ad singularem pugnam vocatus victor evasit. Torneamenta tot devicit quot adiit. Achillem plerique Theutonicum appellavere. Cum Ludovico Boioariæ duce bellum gessit victorque pacis leges pro suo arbitrio dixit. Rursus bello revocato relictus a sociis pacem ab hoste recepit ...". Idemque rettulit, cum superiores Germaniæ civitates Norimbergensibus, quibus Albertus bellum indixerat, auxilium ferre statuissent, magnusque instrueretur exercitus, quærenti cuidam, quid tantum populum adversus unum principem eundemque non ditissimum instruerent, a primore cive responsum esse 'Desipis, homo, in Alberti enim astutia et fortitudine omnium Germaniæ principum vires opesque continentur". Cf. etiam eiusd. Aeneæ Germaniam, et Europ. c. 32. 39. et passim.

Tunc sic orsa loqui "Tu nunc, fortissime, tantas
„Perdideris pugnas, nec te tua splendida virtus
„Abstulerit leto, decus immortale parentum,
„Immortale meum, fatoque obnoxius ibis
„Contemptum in cinerem, manesque æterna silentes
„Nocte sua vilesque inter misceberis umbras?
„At si dignus honor claris virtutibus esset
„Desuper et starent meritis sua præmia factis,
„Debebas superesse mihi, damnare nocentes,
„Erigere insontes et bella capessere pro me.
„Infœlix, tu nunc vacuum sine fomite corpus
„Mente iaces, poteritque tuos contemnere vultus
„Qui prius extimuit. Vos, o decorate supremis,
„Germani proceres, hoc funus honoribus: ite,
„Ite, graves animis Franci pullataque, Suevi,
„Agmina, ferte faces, miscete incendia, mœstis
„Illachrymate rogis fletuque lacessite flammam,
„Irrorate thoros humerisque subite feretrum,
„Et cumulate pyram; mediis inspargite bustis
„Vina, dapes mellisque cados et pinguis olivi;
„Abluite amne sacro frigentis, et ungite, corpus!
„Flete, duces, gemituque struem componite acerbo,
„Et tædas ipsumque super venerabile pondus,
„Dignam anima carnem, dignam vitalibus auris!
„Relliquias mihi ferte, viri, legite ossa sepulchro
„Marmoreo, fundam ipsa simul lugensque recondam
„Cinnama, thura, rosas, casiam, croca, balsama, myrrham,
„Desuper arma viri ponam inconsumpta, petitum
„Mille locis clypeum frameamque a cæde rubentem
„Et gladios, thoraca simul galeamque iubasque,
„Virtutemque ducis versu sua saxa loquentur
„'Hoc vivo stetit, hoc cecidit Germania lapso'.
„Me, tanto spoliata viro, viduata parente,
„Quo referam, superi? tuque o, cui prima meorum
„Cura fuit, cui prima dedi libamina semper,
„Mars pater, unde mihi quantum hæc rapit hora redibit?

Oratio lugubris Germaniæ ad Albertum Avum. (beside the first lines)

Tumulandi ritus. (beside „Illachrymate rogis…")

Epitaphium Alberthi avi. (beside „'Hoc vivo stetit…")

Mars Germaniæ pater. (beside „Quo referam, superi?…")

---

54 tunc *5.* 256 læto *5.* 261 premia *1. 2.* 265 Infelix *3. 5. 6. (i. e. quæ sum.)* 270 Illacrimate *6.* Tumulandi ritus] i. e. non is quo utebantur exeunte sæc. XV. Germani, sed quem depingit poeta, qui corpus et rogo et tumulo simul excipi facit. 276 tedas *1. 2. 4.* 277 carmen *6.* i. e. corpus, quod utinam viveret. 278 Reliquias *6.* 282 cede *1. 2.* 285 vino *5.* 289 "præcipuo deorum Marti grates agimus" *Tac.* hist. IV. 64. cf. Germ. 9. et infra v. 330. 727.

„Infœlix, quæ culpa mea est? quo crimine læsi,
„Qua non demerui superos pietate fideque?
„Quod genui, genuisse volens, avellitur; in quo
„Spem posui, rapitur Stygiisque immergitur undis.
„Nec scelus hoc, fatum est. at non Briareia quondam
„Cum peterent tormenta Iovem centumque lacertos
„Tenderet Aegæon Pindum iaculatus et Ossan,
„Mitteret Enceladus scopulos fureretque Typhoeus,
„Iret in adversos pubes Titania cœlos,
„Oppugnata meos concessi in sydera montes.
„Me miseram, quod non volui tentare repente
„Cuncta prius per te fatumque anteire tuisque
„Viribus ad maiora frui, quæ multa fuissent:
„Hoc ego debebam Venetas intrare paludes,
„Hoc duce debebam Celtarum excindere fraudes,
„Turcarum calcare nephas Asiamque pudendo
„Exuere imperio et congestam abducere prædam
„Bistonia Thrace locupletique Hellesponto.
„Verum aliter visum superis, teque, inclyte victor,
„Invidit Fortuna mihi rapuitque laborum
„In medio cursu: tu furvi pallida Ditis
„Regna petes Stygiasque domus et pallida Noctis
„Antra tenebrososque specus, penitusque latebis
„Orbe alio, claris heros erepte trophæis?
„Quis volet hos vultus fabrefacto effingere in auro,
„Marmore seu Pario, fusove animare metallo?
„Vos unum præbete mihi, si debita posco, | Petitio Germaniæ.
„Si non falsa meo est promissa potentia Rheno
„Orbis et imperium mundi, si non mea tellus
„Phlegra fuit, superi, saltem hoc concedite, restet

---

[290] Infelix *3.5.* (*ut ubiq.* e) [294] cum Titanes cælum expugnarent. cf. *Hesiod.* Theog. et *Verg.* Aen. X. 565. sqq. Briareon dii centimanum vocabant eum quem Aegæona homines. *Hom.* Il. I. 402. [296] cf. *Verg.* georg. I. 280. sq. Aegeon *3...6.* [297] Enceladus centimanus Tartari Terræque filius Sicilia superiniecta domitus est. cf. *Verg.* Aen. III. 575. sqq. Typhoeus centiceps Enceladi frater, noxiorum ventorum parens, Iovis fulmine in Tartarum deiectus. *Verg.* georg. I. 279. Aen. IX. 713. Typhoeus, *5.* [298] pubes Titania] Titanes, Uranides cælum expugnatari. Ego tum inimicis superum auxilio non fui. cæl. *3. ubiq.* æ. [304] Celtarum] Gallorum: Ludovicus XII. a. 1513. cum Venetis pacem inierat, Cæsari adversam. [307] Thracia a Bistonum bellicosissimo suo populo, nomen a Bistone, Martis et Calirrhoes filio, deducente, Bistonia ipsa adpellata, Turcis subiecta. Bistonis terra. *Ovid.* ex Ponto II. 9,54. [308] te] Alberte. [310] Ditis] Plutonis. atri Ditis: *Verg.* Aen. VI. 127. [316] prebete *5.* [319] Phlegra] oppidum Macedoniæ, Pallene, „ubi, antequam op-

„Hac de stirpe mihi soboles, qua fidere possim
„Solarique inopes casu, date sanguine ab isto
„Respirem, ferat illa domus quo ablata renasci
„Spes queat, hoc redivivus honor de nomine surgat.
„Hæc, gradive pater, si non præsentius ullis
„Numen habes terris, si prima ab origine gentis
„Prona fui semperque tuis obnoxia sacris,
„Per Manni sobolem natosque Tuisconis omnes,
„Pignora plena tui, surdo vota assere cœlo!“
Dixerat hæc fusique deos movere precatus,
Continuoque patri data summa negocia Marti — Mars ad Germaniam
Solari attonitam et celeres responsa per auras
Ferre, sinat lachrymas et luctu cesset inani,
Adiiciat fatis animum, consyderet in quo
Sint humana statu, vitæ mortisque propinquum
Retro legat spacium, tum quam crudele Necessum
Vim gerat, in quos declinent mortalia fines,
Quove in se redeant nexu, ‘tune inscia rerum’,
Mars ait ‘insuetos tanquam mirabere casus
‘Quæ nunc eveniunt? tantis exercita fatis
‘Fata reformidas, et adhuc exempla requiris,
‘Unde novas, oblita tui, solere ruinas?
‘Nec vetera occurrunt et quæ maiora dolendi
‘Instrumenta forent? Esto, dolor altius intra
‘Viscera radicem iacturæ fixerit huius,
‘Tuque magis casum doleas ex omnibus istum:
‘Fatorumne paras irrefragabile numen
‘Cogere et æternas retro diducere leges
‘Firmatamque colum quodque irrevocabile pensum est?
‘Germanæ virtutis erat contemnere mortes,
‘Despicere atque omnes infra se ponere casus.
‘Aut Cimbras imitare tuas (tibi fœmina magnum

---

pidum fieret, rumor est militia mundi dimicatum cum gigantibus”. *Solin.* polyh. c. 9. *Stat.* Theb. II. 595. sq. suduri *5.*

[324] Obtestatio ad Martem.* [327] CONDITORES GERMANIÆ.* *Tac.* Germ. 2. „Celebrant carminibus antiquis .. Tuistonem deum terra editum et filium Mannum originem gentis conditoresque”. [330] cf. ad v. 289. adnot. [332] sinut lacrimas, *6.* [333] consideret *2...5.* [335] ‘sæva Necessitas’. *Hor.* od. I. 35,17. [344] vixerit *6.* [346] pares *6.* irrefragabile, cui refragari, resistere non possumus. [348] „Duræ peragunt pensa sorores, Nec sua retro fila revolvunt”. *Sen.* Herc. fur. 181. sq. [349] Cf. *Tac.* Germ. 14. [350] Dispicere *5.* [351] Cimbras] „Nec minor cum uxoribus eorum (Cimbrorum) pugna quam cum ipsis fuit &c.” *Flor.* III. 3,16.17. cf. *Tac.* Germ. 7. fœmina] muliebris sexus. cf. infra v. 735. sqq.

'Condidit exemplum) aut Germania velle vocari
'Desine! quod superest, ut qua mercede rependas
'Funera mœroremque tuum, præsaga futuri
'Ne pete: iam natum est quo se tua gloria passim — Vide quo redeat.
'Prorogat, ipsa vides geminis e fratribus ortos
'Hinc atque hinc pueros, fœlicia pignora matrum,
'Iam parvos et signa sui præ se ampla ferentes:
'Haud una his tellus, una haud se regia debet;
'Non capies etiam ipsa simul, sparsosque videbis
'Orbe vago dominos, summis virtutibus omnes, — Laus Marchionum.
'Divitiis omnes claros, regesque vocabis,
'Et nolis non esse tuos: oblivio magni
'Hæc erit Alberthi; priscos revocabis honores
'Et priscos hac prole duces iactabis alumnos,
'Gaudebisque tuas iterum iuvenescere vires.
'Quid moror? his vegetis nihil est quod deesse queraris,
'Addere nil cupies, neque quenquam ita tempora magnum
'Ista ferent, aliquid a quo tu rere petendum
'Et cui non possis ex his conferre priorem.
'Rectores populis sparges, diademata terræ
'His ultro imponent, tu regnum æquabis Olympo
'Imperiumque tuum, maioremque ipsa putabis
'Quam fueris nihilque tibi tua clara vetustas
'Apparebit; erunt etiam nova bella, sub istis
'Quæ facias ducibus melius, fideique sinistros
'Contundes Venetos, Gallosque immensa petentes
'Inconcussa premes. Vos sic adolescite nati
'In patriæ laudem: certe vestigia tantæ
'Indolis agnoscenda datis, tam mollibus annis
'Pubescentis adhuc ævi splendescere visi.
'Hæc soboles erit, hæc pueri tibi tempora portant.
'Virtutes aliis aliæ: qui lumina tollit — Ioachimus Marchio princeps elector.

---

[355] *Hoc lemma om. 3.* Albertus Achilles filios reliquit Ioannem, Fridericum, Sigismundum: hic ἄγαμος mortuus est; sed Ioannes filios habuit Ioachimum et Albertum, quorum ille quidem sed non Albertus hic noster avo superstite natus est, ut infra quoque v. 1044. fingitur. Inter Friderici sex filios Casimirus marchio, de quo infra v. 446. sqq., Georgius Onoldinus, et Albertus, Borussiæ primus dux, fuerunt. [361] fago *4.* [362] reges] potentiores principes. [363] oblivio] solatium morte amissi tui Alberti. [373] putabis] te. [376] sinistros] adversarios, contemptores. [377] Galli cum Venetis fœdere Blesensi anno ante icto sibi invicem ad recuperanda ea quæ sibi ablata essent auxilium ferendum promiserant. [383] Ioachimus I. sive Nestor, academiæ Francofurtensis atque iudicii cameralis Berolinensis conditor. *Hoc lemma cum tribus sqq. om. 3.*

'Et recta cervice sedet cœlumque tuetur
'Ingentes animos tenero sub pectore versat,
'Optimus imperio populisque imponere leges
'Inque fide retinere suos, huic magna gerendi
'Maxima vis inerit, tum nemo peritius artes
'Militiæ norit si quando hostilia cernet;
'Soli consilium, soli prudentia rerum
'Nusquam aberit, nusquam ingenium, mediaque sedebit
'Tutus in invidia, Fortuna tuebitur omnes
'Sospitis eventus, ipsum sua regia coniunx
'Fœlicem natis faciet prolemque superbo
'Spem generi fœcunda dabit. iam regna tenenti
'Piscosi prope rura Spreæ fit Marchia sedes, Laus Marchiæ.
'Altrix illa virum, qua te, Germania, priscis
'Moribus agnoscas, quæ nondum aliunde petitis
'Decoxit vitiis, peregrini nescia luxus,
'Dedita mollitiis nullis, venatibus apta
'Aptaque militiæ, recte Germana vocari
'Quæ possit tellus, his adiicietur Haveli
'Fluminis omne solum et vicinum quidquid ad Albim
'Porrigitur magnumque nemus magnæque paludes
'Oppidaque et villæ, reditus, portoria, magni
'Ponderis argentum; quæque invia reddita diro
'Tota latrocinio est et ab hoc purgabitur, udæ
'Portio Lusatiæ; tum quas citus alluit urbes Lusatia.
'Odera, submittetque genus Pomerania dives,
'Cassubii Slavique vagi, se Rhugia subdet,
'Balthica quam totam circumsonat Amphitrite.
'Fortunate puer, tibi tanta potentia, tantæ
'Divitiæ viresque et opes, Ioachime, tuorum
'Augebunt animum. quanquam cessura minori

---

[384] recta cerv.] ,,Cervicem rectam oportet esse, non rigidam aut supinam". *Quintil.* Inst. or. XI. 3,82. [389] Miliciæ *4.* [392] 'esse in invidia' *Cic.* ad Att. II. 9,2. [393] Sospitis] Sospita s. sospes, proprie Iuno servatrix. coniunx] Elisabetha, Ioannis Danorum regis filia, nupta a. 1502. † 1555. [394] nati] Ioachimus II. a. 1505., elector factus a. 1535., tres filiæ, ducibus omnes nuptæ, Ioannes Custrinensis. [395] Ioachimus I. a. 1499. æt. 16. elector factus est. [395. sqq.] Quasi legitimos marchionum Brandenburgensium titulos explicat. [400] molitijs *4.* venantibus *5.* mollitiis, nullis v. a. *6.* (!) [401] ,,Vita (Germanorum) omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit" *Cæs.* B. G. VI. 21. cf. *Tac.* Germ. 15. ,,Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt dediti somno ciboque". [407] ab hoc] Ioachimo. *recte vates.* [411] circumsonat *3. 5. 6.* Amphitrite] mare. *Ovid.* met. I. 14.

'Sors tua sit fratri, viden' ut caput ille serenam | Albertus Marchio Archiepiscopus.
'Porrigit in frontem totoque venustior ore est
'Aureus egregiæ partus genitricis et omni
'Dignus amore puer? hic illum nomine reddit,
'Quem tu quæris, avum: primæ pietatis abundans,
'Poenæ parcus erit, nulla ostentatio morum,
'Maxima temperies, moderatio summa, nec ulla
'Ambitione sequi vanos certabit honores.
'Quos reget hic, pacem populis dabit, omnia tuta
'Reddet et e mediis bellorum faucibus urbes
'Eriget; haud poscet metui, sed poscet amari.
'In melius vertet sua tempora; gratia simplex
'Proferet hunc, probitas per se lucescere coget.
'Sacrorum dabis huic curam divinaque primo
'Prospicienda loco, genua hoc sub principe flectent
'Mille sacerdotes, astabunt vertice nudo
'Pontifices alii, magno hic sub Cæsare primus
'Consulet imperio, gratabitur ille secundo:
'Vulgus adorabit, primum dat Saxon honorem
'Præsule delecto, maiora in commoda Rhenus
'Abstrahet, occurrent domini mediumque locabunt
'Læti animis omnes summisque favoribus omnes.
'Dixeris hunc igitur felicem igiturque beatum,
'Quod tanta invidiæ stimulis fortuna carebit:
'Gratus enim multis, sed amabilis omnibus ibit
'Istud in imperium; si quis se obiecerit armis,
'Sedabit non arma gerens, clementia bellum
'Destruet omne viri: quis enim non, lædere certus
'Et iam grande nephas sumptis molitus in armis,
'Hoc viso lenitus erit ponetque furorem?
'Macte, puer, virtute togæ pacisque reductæ;
'Ille autem, media qui se intranquillus arena | Casimirus Marchio.

---

[416] Frontem *4.* [418] Albertus, ut ille Achilles. [419. sq.] „pietatis abundans, Pœnæ parcus erat". *Claudian.* IIII. cons. Hon. 113. sq. [423] „Pacatumque reget patriis virtutibus orbem". *Verg.* ecl. 4,17. [425] Quidam rex civem fugientem baculo percutiens exclamasse fertur 'Er soll mir nit fürchten, er soll mir lieb haben'. Sed certe ille non legerat hanc suorum maiorum laudem. [431] Pontifices] episcopi. [432] Moguntinus archiepiscopus Primas Germaniæ, electorum principum decanus. Cf. infra v. 1109. [433] Saxum *3. 5. 6.* [435] felicem *ut ubiq. 3. 5.* [439] ibit in imp.] suscipiet imp. [446] Casimirus, Alberti Achillis ex altero filio, Friderico marchione Onoldino, et Sophia Casimiri Poloniæ regis filia nepos, nat. d. 27. Sept. a. 1481. a. 1515. cum Georgio fratre patri Onoldinum Byruthensemque marchionatum eripit, a. 1518. Maximiliani Cæsaris ex sorore neptem Susannam, Al-

'Iam puer exercet ferturque in harundine præceps,
'Obvia quæque petens animo æqualesque lacessit,
'Fronte minax, oculis ardens, cui multus in ore
'Vivit avus; iuveni quam primum frena remittet
'Arcta pater dederitque suo iam vivere ductu,
'(Fœlix prole tua, fœlix Germania, tantos
'Rerum nacta duces) nemo hoc instructius ibit
'Hostis in occursum; quodsi tibi prælia curæ,
'Aequabit Casimirus avum, nec laude minori
'Induet Albertum: solum Germanus amabit,
'Solum hostes metuent; quo non fœliciter exis
'Illius auspiciis? quæ non tibi prospera cedent?
'Aspice ut indomitum iam nunc caput obiicit, omnes
'Fortis in eventus! crescet crescentibus annis
'Vis animi, nativus honos atque insita virtus;
'Excibit resides animos desuetaque bello
'Pectora in arma trahet, pugnabit et ocia rumpet;
'Proferet imperium, et si tu commiseris uni
'Rem totam, maiora tibi non gesserit alter.
'Herculeas transire vias Bacchique supremam | Casimiri ferocitas.
'Hic poterit metam et Macedum superare labores;
'Perferet Aedonias hyemes Boreæque frementeis
'Contemnet flatus, gelidam calcabit Hybernen,
'Spernet Hyperboream glaciem, Riphæa ruenti
'Frigora non oberunt; haud ulla ita fervida tellus,
'Sirius æstivos ubi fervor adusserit agros,
'Agmina ducenti obstiterit, non Aphrica Syrtis,
'Ignea non Libyes plaga, non Aegyptius ardor;
'Ducet ad Euphraten, fines superabit Iberos,

---

berti Bavarici filium in matrimonium ducit (cf. descriptiones conventus Augustensis vol. V. editas), moritur Budæ a. 1527. æt. 46. — Miror hanc Casimirianæ indolis descriptionem a. 1514. factam, cum Casimirus legis Plætoriæ annos nondum explesset.

[447] harund.] baculo? [452] ( ) fecimus commodioris interpretationis causa. Fœlix *h. l. etiam 3. 5.* [454] prelia *1. 2.* [458] aspiciis *5.* [460] crescet cresc. annis Vis] *Ita etiam epigr. supra p.* 121. [463] otia *6.* [477] cf. *Verg.* Aen. VI. 801. sqq. Bacchi metam] extremos orbis terrarum fines. Bachiq; *5.* [467] Macedum] *immo* Macetum i. e. Macedonum, Philippi Alexandrique. [468] Aedonias] *rectius* Edonas, Thracicas, ab Edone Thraciæ monte. 'Edoni Boreæ' *Verg.* Aen. XII. 365. 'Edonas hiemes' *Stat.* Theb. V. 78. et *Claudian.* Stilic. cons. I. 123. 'glacialis Ierne' *Claudian.* cons. Hon. IV. 33. [470] 'Rheni glacies *et* Rhipæa frigora' *Claudian.* rapt. Pros. III. 321. sq. Hyberboream *6.* [473] Africa *6.* [474] Lybies *5. 6.* [475] Eufraten *3. 5.* Iberos] Asiaticos, *hod. Georgianos.*

'Turcarum invadet, si tu mandaveris, urbes,
'Diripietque Asiam, Byzantia mœnia raptu
'Extrahet, Aemonias arces et Graia reducet
'Regna ferox, ausus de fonte inquirere Nilum,
'De fine Oceanum, Tanaim calcabit, Orontem
'Invadet, transmittet Halyn, contendet ad Indum,
'Caspia claustra ruet, complebit stragibus orbem;
'Et si tu hac virtute frui, si viribus uti
'Ad maiora voles, extrema per omnia curret.
'Hæc ego signa dedi, tu prima impone ferenti
'Quodquod onus; decerne uti quod numina donant,
'Quod rapit hora fugax; da magnis præmia factis,
'Invita precio virtutem, ale honoribus arteis,
'Commenda studium donis, nec largius ulli
'Regna duci dederis, provincia quælibet illi
'Contingat: maiora datis, sine tempora, reddet:
'Vicerit invidiam, iuvenis primordia regni
'Diis reget æquales Francos. Hoc nunc quoque tantæ Franc.
'Indicium virtutis erit, iam balthea tractat,
'Iam thoraca movet clypeosque et ferrea nudat
'Instrumenta necis, cristaque et casside gaudet,
'Gaudet frena manu contingere, iamque laborat
'Currere eques iaculumque manu vibrare, tubæque
'Exilit ad sonitum puer, et nunquam satis audit
'Tergora tensa boum: me totum absolvit in illo
'Omnes ad numeros rerum natura creatrix.
'Quis nunc illorum de tanti insignibus actis
'Degenerarit avi? nec in his fortuna relinquet
'Ulla locum: te regna vocant, ubi Dorida pulsat Albertus Marchio dux Prussiæ.
'Istula Sarmaticam, veteri regnata Borusso,
'Et fractæ Livonis opes Litavique palustres.

[476] tu] Germania. [477] Bysantia *3.5.6.* [478] Aem. arc.] Thessaliam. [479] Nilum] qui 'Inploratus adest' *Lucan.* Phars. X. 235. [480] Tan.] *Don.* Oront.] Syriæ ex Libano veniens fl. *hod. Aassi.* [481] Halyn] Paphlagoniæ fl. ad cuius ripas Crœsum Cyrus devicit, *hod. Kisil-Irmak.* [487] premia *1.2.* [493] *Hoc lemma et duo sqq. om. 3.* [497] ianqȝ *1.* [500] Terg. t. boum] tympana, Trommeln. me] Martem. [503] forruna *5.* [504] Doris Sarmatica] mare Sarmaticum. Doris, Oceani et Tethyos filia, = mare. *Verg.* ecl. 10,5. *et all.* [505] Istula] *sic etiam Querel.* II. 10,20. De Alberto magno magistro ultimo primoque duce Prussiæ (nato a. 1490., a. 1511. in magisterium ordinis Teutonici creato, a. 1525. Prussiæ ducatum in se suscipiente, † a. 1568.) maiora prædicasset poeta, si scire potuisset quantum princeps et litteris litteratisque hominibus et reformationi q. d. fauturus esset. Condidit hic Albertus litterarum universitatem Regiomontanam (Albertinam) a. 1543.

'In te Pannonicæ coniurat portio gentis; | Georgius Marchio.
'Gaudebunt patrii populi Venetique timebunt.
'Et tristaris adhuc amissaque pignora luges?
'Reiice ab Albertho curas, meliora dabuntur
'Tempora, per Stygias tibi Iuppiter annuit undas'.
Quæ postquam audierat, magno Germania motu
Erexit sese et luctu revocavit inani,
Mœsticiaque animum solvit posuitque timorem,
Obvia spem votis complexa, metumque remisit,
Et læta incessu patuit, videre recinctam | Germaniæ habitus.
Continuo gentes, quali solet esse paratu:
Nam patrio velata sago spoliisque ferarum
Errabat succincta humeros, manibusque rigentes
Induerat villos; errant a vertice circum
Spirantes boreæ et nivibus riget hispida cervix,
Hercynioque intenta iugo nemora alta petivit,
Ingentem quatiens frameam circunspicit inde
Omnes in populos atque omnibus imperat oris.
Tempore iam ex illo summa expectatio nobis
In vestram est erecta domum, dum singula nuper
Eveniunt maiora fide. Da, maxime princeps, | Redit ad exceptionem.
Da ludis pompæque locum, sine gaudia lætis
Adventu concepta tuo se extendere passim:
Et pudet et facies, neque enim non gaudia cogunt
Sæpe aliquid; cerne ut nequeant avellier abs te
Nulla ira nullisque minis qui te in sua passis
Accipiunt manibus, cerne ut saliuntque ruuntque
Motu incomposito veniamque ab amore merentur.
Non aliter quam cum peregre genitore profecto | Comparatio.
Multa diu cupidos tenet expectatio natos
Suspensamque domum, metuunt sperantque vicissim
Solliciti votis, solers timet omnia coniunx
Omniaque exquirit, cum nunc rumore sinistro
Fertur in Ionio puppim fregisse profundo,
Nunc superesse neci, redit hic tot euntibus annis,
Et speratus adest avidis, nec gratia longa est
Attenuata mora, discurritur, obvia certant

---

[508] Georgius, Pius dictus, Casimiri Albertique frater, marchio Onoldinus, nat. a. 1485., Ludovici Hungariæ regis nati a. 1506. tutor factus post Vladislai VII. mortem (a. 1516.) pro rege Hungariæ præfuit. † a. 1543. [510] Alb.] avo, Achille. [511] Mœstitiáq; *3. 5. 6.* [523] circumspicit *2...4.* [527] *Hoc lemma om. 3.* [529] concœpta *1.* [531] in composito *5.* [538] coniux *6.*

Obsequia, applaudunt reduci, exanimata salutat
Læticia coniunx: sic te officiosa tuorum
Trepidatio in adventu Alberthi.
Post desyderia et longi tormenta timoris,
Ne qua interciperet medio fortuna periclo,
Excipimusque hilares exultamusque recepto.
Quis non exiluit? quis se exiluisse putavit,
Quidve ageret sensit, non amisitque pudorem,
Si modo amore tui quicquam fecisse pudendum est?
Huc epulæ, genialis honos mollesque choreæ:
Nos Fescenninos numeros Thymelenque sequamur,
Exhortatio ad læticiam.
Hic nervi citharæque sonent, hic plectra lyræque;
Personet omne tubæ genus, omnia cornua clangant.
Hoc iterum dico, hoc iterum, Moguntia, gaude
Et sponso gratare tuo, vix rectius unquam
Suscepto gavisa duce; hic contendite, cives,
Officiis, cantate deum laudantia verba,
Ferte preces, divum templis indicite honorem;
Et quæ præterea non ipse petitve iubetve,
Verum ingens meruit virtus quæque integra pulsat
Fama polos, vos, qui cupiistis nuper, habetis
Et pacem et tutum requietaque tempora pressis
Motibus exaltare iuvet partumque tueri.
Ipse hunc nec petiit nec detractavit honorem:
Alberthus ultro postulatus.
Obtulimus; quodque est titulo speciosius omni,
Cum precibus regnum accepit meruitque rogari,
Cumque suas posset moderari tutius urbes,
Unde illi genuinus honor, quod nostra poposcit
Utilitas, dedit externoque assensus amori est.
Sæpe facit lucrum dominos rerumque cupido:
Hunc perspecta fides et commoda nostra parentem;
Sæpe dat ambitio regnum: nihil ille petivit;
Multos vota trahunt: nunquam hic optavit ab illa
Vide magnam laudem.
Divelli patria; multis occasio præsens
Non fuit, ut ferret lectis suffragia punctis:
Regnat adoptivus, plus quam genuinus amatur.
Huc ades, o, proceresque tuos amplectere, princeps,
Et tantas, securus, opes accersimus omnes,

---

545 coniux *6.* 547 desideria *3...6.* 553 Fesc. num.] *h. l.* = carmina læta et iocosa. Thym.] saltationes, histrionicosque ac mimicos ludos. 554 cytharæq; *3.5.6.* 565 Suscœpto *1.2.* 566 *Hoc lemma et sequens om. 3.* Ipse] Hæc non ita strictæ interpretationis sunt: poeta loquitur, non historicus. Cf. supra ad v. 138. adnot. 568 accœpit *1. 2.* 569 Cunq; *1...5.* Cunque *6.* 573 *i. e.* fecerunt.

Omnibus ut regnes, dubitas hæresque pudore?
Accipe poscentes, ultro iuga sub tua cedunt — A verecundia.
Qui cogi voluere prius; te principe rerum
Dulcior usus erit vitaque suavius uti,
Propositum est multis, quod habent cupiere tot annis;
Spe maior meliorque tua cupientibus astas,
Hac specie atque istis oculis, tibi gratia formæ — A formæ gratia
Nativusque decor præbent augmenta favoris:
Vix ita succensas sicco iam culmine fruges
Ventus agens flammas exercet et impete nutrit
Serpentem crepitum: tunc cum procul omnibus esses,
Finximus aspectum quendam, non finximus istum:
Omnia sunt vero maiora: incredita præstas:
Vivi oculi purusque color, frons læta, pudoris
Signa verecundi, tantum os e sanguine rubrum,
Quantus inest animi pudor; optimus undique constat
Membrorum modus: ex omni te parte venustum,
Ex omni æqualem fecit deus; æmula tantæ — A pulchritudine animi et corporis.
Corpora virtutis vultusque et amabile signum.
Expirate rosæ, summi vanescite cultus:
Hic decor, hic amor est! Quid tum si inviderit istum,
Dum malit regnare sibi, vicinia nobis?
Iam vetus hæc lis est populis; pro dotibus istis
Certatur, quod quisque cupit dum possidet alter,
Aestuat intra se melioremque invidet auram:
Nos fortuna beat frustra affectantibus illis.
Regia Francorum soboles sibi vendicat ortum, — Cuias sit Alberthus.
Marchia nutricem iactat, tum Norica civem
Vult urbs esse suum; dominum gens Saxona primis
Obtinuit votis; maiora in commoda Rhenus
Abstulit, in maiusque decus: ne credite, cives,
Non diis auspicibus; certe haud manifestius unquam
Hortati superi: vos læti admittite dignum
Hoc desyderio domum, sperate futuros
Accessu meliore dies; iam prima iuventus,
Dant maiora anni: spectatur ab indole virtus — Indoles.

---

585 i. e. habent quod cupiere tot annis. 586 adstas, *3. 5. 6.* 598 *Hoc et sequens lemma omisit 3.* 607 Albertus pronepos Friderici burggravii Norimbergensis fuit, qui primus elector Brandenburgensis a. 1417. Constantiæ declaratus est, mortuus autem a. 1440. Albertus a. 1513. archiepiscopus Magdeburgensis ecclesiæque Halberstadensis administrator factus fuerat. cf. v. 1190. 614 desiderio *2...6.*

Certa sui semper, quæ sic cœpere subinde
Immutata manent; cui laus a gente vetusta
Prodiit, atque animos stimulant virtutis amore
Egregiis monumenta notis et imago suorum
Gentilisque decor titulis famaque recenti,
Indole qui tanta est, istos spectatus ad annos,
Hic poterit non esse bonus aut desinet unquam?
Fortunate pater, talem te cernere nuper
Ardor erat populis, crevit reverentia viso;
O fœcunda viris Germania, sola priores — Germania.
Quæ vincis, semper quæ prisca recentibus auges
Cultibus, et nunquam sinis a maioribus illis
Degenerare decus, tu nondum effœta parentes
Aequasti virtute nova, nec desinis unquam
Esse tui similis: dum flumina fontibus errant
Irreditura suis, cœlum dum volvitur astris,
Dum fovet oceanus pisces, animalia tellus,
Constabis semper tibi tu semperque fereris
Terra ferax magnorum hominum: dant vellera Seres, — Laus Germaniæ.
Fert hebenum, fert Indus ebur, sua thura Sabæus,
Balsama Iudæi, Tagus aurum, rubra smaragdis
Est fœcunda Thetis, laudat sua pocula Lesbos,
Thraces equos, Chalybes ferrum, Germania fortes
Nunquam exhausta viros sobole producit abunda.
Rumpere læticia, gens Martia, et invehe plausus — Exhortatio ad pompam.
Nunquam aliis visos, iugi contendite pompa
Arctatas opplere vias, emergite tectis
Ingenti clamore, viri innuptæque nurusque;
Nullis fessa ætas, nullis pudor obstet, honorem
Vult fieri sibi magna parens, nec lætior ulla
Pertulit in pompa se luxuriante videri
Indulsisse sibi strepitu nimioque triumpho.
Aspice ut ingreditur magna excipiente caterva
Ille, decor patriæ, iuvenis, quem dicere possis
Delicias populi plaudentis et orbis amorem!
Rhenus adest dominumque suum regemque salutat: — Rhenus.
Nunquam ita læta deo facies prius, ipse verenda

---

635 cf. *Verg.* georg. I. 54. sqq. *etc.* 636 Intus *5.* 638 Tethys *1. 2. 4.* Thetys *3. 5.* *recte 6.* rubra Thetis = rubrum mare. cf. *Verg.* ecl. 4, 32. *et all.* popula *6.* 640 O si non scribendum esset hodie *Tandem ... producere negat!* 644 nurus, ut sæpe aput poetas, pro iuvenibus feminis. 652 sqq. Hæc Rheni imago pulcherrime quamvis non ex novis omnibus partibus conposita est. *Lemma om. 3.*

Maiestate sedet fluvioque invectus ovanti
Progreditur, vultu quæ iam convivia liquit
Ostendens, hilaresque oculos huc volvit et illuc;
Rorantes pexere comas a vertice Nymphæ,
Tum flores ac serta super frontique madenti
Imposuere rosas servataque lilia circum
Tempora connexis viola variante coronis,
Quas non frangat hyems, nulla exiccaverit æstas;
Cornua fronde virent, glaucum caput omnibus ardet
Floribus, haud vulgaris honos oculisque genisque;
Quam solita est plus barba madet, dat alacrior imbres
Sudantis facies stillantque a vertice rivi
Et lætæ per pectus aquæ, tumet altius undis
Ipse suis, collumque levat, vix accipit amnem
Alveus immodicum ripa turgentis utraque.
Ebria gratantur tam læto flumina passim
Circunfusa deo, plauduntque et murmure dulci
Indigenæ fluvii miro modulantur amore
Præsulis in laudem; iubet ipse et plurima mandat
Addictis gessisse moram, cui festus amictus
Palla tegit latos humeros longissima tractu Pallium Rheni.
Et lato distensa sinu, quæ syrmate longo
Immensum telluris obit, tot iugera verrens,
Tot per prata iacens imos legit infima montes;
Gramineas operit valles trahiturque supina,
Textilis, Hercyniæ matris spectabile donum,
Nympharum labor: huic omnes quæ flumina servant,
Quæ fontes, quæ stagna regunt, sub numine quarum
Florea rura silent, quæcunque horrentia lucis
Observant nemora et montes, centumque per annos
Intentæ sedere operi: pars tingere lanas,
Pars agiles radios extensæ impellere telæ,
Pars lento graciles auro circundare filos:
Lanificam tenet illa colum tractatque per artem
Clostereos fusos digitisque volubile pensum;
Pectinis hæc moderatur opus, coquit altera aheno
In graciles discerpta modos, quo vellera tingat, Digressio.

[655] convivia] cf. supra v. 170. sqq. Rhenus sui paullo plenior describitur. [661] exsicc. *5. 6.* [670] Circumfusa *2. 6.* [672] Præsulis] *ambigue* Rheni et Alberti. [673] moram] *recte.* [685] tedæ *editi. perperam.* [686] circumdare *6.* [688] Clostoreos *editi.* „Fusos in lanificio [invenit] Closter *(der Spinner)* filius Arachnes". *Plin.* H. N. VII. 56, 57. Cf. Clotho Parca, *κλώθειν,* nere.

Herbarum succos; hæc vix imitabile visu
Pingit acu summorum hominum vetus argumentum:
Ars precium superat: vacuis certamina Nymphis
Hæc posuit mater; stimulat contentio, certant
Esse pares, iubet artifices in stamine pugnas
Ipsa suæ gentis cerni veteresque labores,
Primorum monimenta ducum patriosque triumphos.
Hic honor, hæc laus est, hic cur tu, Alberte, labores,
Sponte subit ratio, fert hic sua præmia virtus:
Magnanimos inter proceres Rheniquc sodales
Indice pictura pars non temnenda tuorum est.
Primus honor Marti, clypeo Mars fulget et ense | Rerum a Germanis gestarum catalogus.
Germanamque manu frameam tenet, illius aris
Victima prima cadit, gentis pater ipse vocari
Gaudet et arctoo sedem sibi deligit orbe. | Mars Germanus.
Ceruis et Alciden iunctoque Tuiscona Manno | Hercules Germanus, Tuiscon, Mannus.
Teutonico horrentes habitu pugnataque bella,
Et Maia genitum Teutatem, immitibus aris, | Mercurius.
Terribili specie, et primos ex ordine reges
Immensa serie, nostroque incognita seclo
Ardua facta virum: velles, Germania, velles,
Quam vera est, tam sit scriptis tua cognita virtus:
Quæ fecere, deæ norunt, et prælia et ipsos
Qui gessere duces; nos vix extrema videndo
Assequimur, datur ingentes Isthevones armis | Isthevones.
Noscere et Hermionum præceps genus omnibus ausis, | Hermiones.

---

693 pretium *6.* 694 mater] Germania. 699 premia *1.2.* 702 cf. v. 289. catalogus] quasi in indicem redactus est Epigramm. ad Maxim. 10. 706 ,,Herculem et Martem concessis animalibus placant". *Tac.* Germ. 9. ,,Fuisse apud eos et Herculem memorant primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt". ibid. c. 2. Tuisc. Mann.] cf. v. 327. 708 immittibus *2.* ,,deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas est". *Tac.* Germ. 9. *Cæs.* B. G. VI. 17. Teut.] ,,Et quibus immitis placatur sanguine diro Teutates horrensque feris altaribus Hesus". *Lucan.* Phars. I. 444. sq. 709 Terribilis *2.* 713 prelia *1.2.* ,,Memoriæ proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas ... inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant ... vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam, sed et olim Auriniam et complureis alias venerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas". *Tac.* Germ. 8. 715...716 datur ... noscere]? ,,Manno tris filios assignant, e quorum nominibus proximi oceano Ingævones, medii Herminones, ceteri Istævones vocantur". *Tac.* Germ. 2. — ,,Germanorum genera quinque: .. alterum genus Ingævones, quorum pars Cimbri, Teutoni ac Chaucorum gentes; proximi autem Rheno Istævones, quorum pars Cimbri mediterranei; Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci .." *Plin.* H. N. IV. 14,28.

Magna gerunt, spernuntur opes, at bellicus omni
Quæritur ingenio decor et virtute paratur
Fama viris: viden' ut quisquis fœliciter horum
Rem gessit, non auxit opes, verum auxit honorem?
Ecce vagos armis Cimbros trepidantia contra — Cimbri.
Castra Italum, Latiaque metus in gente coactos:
Carbo fugit, capitur Scaurus, Syllanus in hostem — Cimbri in Romanos.
Frustra agit, ostensæ pœnam dat Cassius iræ.
Præcipit arma Bolus, primam dat Gallia prædam, — Bolus rex.
Primaque terrifico mirata est tympana pulsu, — Tympanum.
Germani inventum Martis, Cimbrique furoris
Manlius infausto contra trahit agmina cursu;
Cæpio succumbit, vasto tot millia campo
Circunfusa iacent, fines it victor Iberos
Sollicitare manu et vastas miscere ruinas:
Celtiber obstat eques, motis petit Itala signis
Regna ferox; contra est Marius, data copia pugnæ:
Quis non ille dolis, qua non se fraude tuetur,
Dum vincat quocunque modo? quam vivere credas
Fœmina picta movet pugnas et nescia vinci — Fœminæ Cimbrorum
Ipsa sibi victrix mortem consciscit et aufert
Carceris opprobrium: tot bellum pendet in annos.

---

721 *Lemma om. 3.* Cymbros *3.5.* ,,DCXL. annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma ... at Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Cæpione, M. quoque Manlio fusis vel captis V simul consulareis exercitus populo Rom., Varum tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt". *Tac.* Germ. 37. 725 Bolus *omnes. et sic Huttenus scripsit: ante Freinshemium enim pro* Boiorige *legebatur* Bolo rege *in Epit. Liv.* LXVII. ,,M. Aurelius Scaurus legatus consulis a Cimbris fuso exercitu captus est, et cum in consilium ab eis advocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige, feroci iuvene occisus est. ab isdem hostibus Cn. Manlius cos. et Q. Servilius Cæpio procos. victi prælio castris quoque binis exuti sunt, militum milia octoginta occisa, calonum et lixarum XL secundum Arausionem ..." Cf. interpp. ad h. l. 726 tymp. pulsu] cf. Claudian. cons. Stilic. III. v. 364. sq. 727 Germ. inv. M.] i. e. non Germanorum, sed Martis, Germanorum dei, inventum. Ceterum constat præcipuum tympanorum usum in sacris Matris deum fuisse. Cymbriq; *5.* 729 Cepio *edd.* 730 Circumfusa *6.* Iberos] *Liv.* ep. l. c. ,,Cimbri vastatis omnibus quæ inter Rhodanum et Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi ibique multa loca populati a Celtiberis fugati sunt, reversique in Galliam in belli casus se Teutonis coniunxerunt" .cf. *Iul. Obseq.* Prod. lib. c. 43. *Plutarch.* in Mario c. 14. 731 manu] exercitu. 732 petit Itala regna &c.] cf. *Liv. ep.* LXVIII. et *Plutarch.* l. c. 15. sqq. 734 cf. Plutarch. l. c. 736 Fœmina picta] in Rheni pallio pictæ Cimbricæ mulieres. cf. supra v. 351. Cymbrorum *3.* 738 tredecim annos, si conputemus a consulatu C.

Hic Ariovistus Gallorum victor in armis — Ariovistus Germaniæ rex.
Lucet eques spernitque hostem, non spernit amicum
Romanum; conspersa vides collectaque passim
Agmina, Germanos equites: hos Cæsar in omneis — Germani sub Iulio militantes.
Secum agit eventus, his se committit, in unis
Spem locat his ponitque fidem, te, Gallia, vinci
Non pudet, at puduit, terrent Germana Britannos
Auxilia, Hispanos arcent, pugnantibus illis
Splendida Pharsalico parta est victoria campo.
Hic indignato pontem consurgere Rheno — Pons Iulii in Rheno.
Cernis et Ausonias ripa ulteriore cohortes;
Inde hostem, quem ne inveniat timet, indice quærit
Nocte ferox Italus vacuosque indagine montes
Lustrat, adit sylvas atque obvia tesqua lacessit.
Parte alia collecta acies Germana sub hostis
Considet adventum, 'Quo nunc ruit ille?' Suevus
Exclamat pugnamque petit: tu Belgica castra,
Cæsar, adis Celtasque tibi succumbere suetos.
At tu non iisdem fatis, non numine eodem, — Quintilius Varus.

Cæcili Metelli Papirique Carbonis (a. 641.) usque ad pugnam in campis Raudiis. d. 30. Iul. coss. Mario V. M' Aquilio (a. 653.) pugnatam.

[739] Ariovistum Germanorum regem ita passim agentem ac loquentem describit *Cæs.* B. G. I. 31. sqq., ut velim nolim Franciscus Sickingensis in memoriam revocetur. [742] ,,Cæsar ... prælium equestre committit; laborantibus iam suis Germanos equites circiter CD submittit, quos ab initio secum habere instituerat. eorum impetum Galli sustinere non potuerunt, atque in fugam coniecti multis amissis se ad agmen receperunt''. *Cæs.* B. G. VII. 13. [747] Pompeianæ Pharsalicæ clades d. 9. Aug. a. u. 706. [748] Ipse *Cæs.* B. G. IV. 17. pontem in Ubiis factum describit. cf. VI. 9. Aquæ guttam in Rhenum effunderem si de re totiens disputata h. l. aliquid adnotarem. [752] 'saltus nemorosaque tesqua Et silvas'' *Lucan.* Phars. VI. 41. sq. [753] ,,Quibus rebus Cæsar vehementer commotus maturandum sibi existimavit, ne si nova manus Suevorum cum veteribus copiis Ariovisti sese coniunxisset, minus facile resisti posset. Itaque re frumentaria quam celerrime potuit conparata magnis itineribus ad Ariovistum contendit''. *Cæs.* B. G. I. 37. [754] Suevi *in marg. om. 3.* [757] De Arminio Varianaque clade in sqq. maxime Peutingerum (Sermon. convival.) secutus est, qui sua præter Florum maximam partem ex Ottone Frising. III. 4. et ex Celtis versibus habet. nam sic ille non evitata confusione cladium Varianæ Hungaricæque die S. Laurentii a. 955. prope Augustam a Germanis hostibus suis, Romanis illius, Avaribus sive Hungaris huius, inlatarum: ,,Germani postea Quintilii Vari libidinem et superbiam haud secus quam sævitiam odisse cœperunt et Arminio duce armis correptis occisæ sunt Vari tres legiones: nihil ea cæde per paludes perque silvas cruentius, nihil insultatione barbarorum intolerantius, præcipue tamen in causarum patronos ... ipsius quoque consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum, aquilas etiam duas barbari possederunt; tertiam signifer, priusquam in manus

Vare, sapis, viresque tuas satis esse putasti
Arctoam contra virtutem et Teutona bella,
Auxiliis circumsæpte et legionibus illis:
Ecce autem erepta pro libertate feroces — Arminius Germanorum Brutus.
Conveniunt populi Germanoque auspice Bruto
Arma ferunt; vivum Arminium vivumque putares
Qui Macedum trahit agmen Avar, cœlestia signum — Avar in auxilium Romanis.
Venturæ ostendunt cædis, Romanus haruspex
Prævidet iratos superos clademque minanteis:
Signa canunt campoque Lyci concurritur armis: — Clades Romanorum apud Lycum.
O patria, o magnum mundi decus! omnia bella
Prospera Romanæ fortunæ omnesque triumphi
Non poterunt huius iacturam æquare ruinæ:
Profligata acies, tot millia cæsa Latini
Nominis, externos gladii excepere tyrannos
Vindelici: tot nostra neci dedit ultio reges
Interiisse simul, quot non prior audiit ætas.
Indiscreta aliis pugna est, dux ipse minores
Præterit et solis audax se fortibus infert
Arminius gaudetque vagas se vindice cædes
Sanguine commixtas Italo, sua libera regna

---

hostium veniret, evulsit, mersaque inter balthei sui latebras gerens in cruenta palude latuit. hac clade factum, ut imperium Rom., quod in litore oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. tunc ea Vari clade sive Titi Ennii prætoris cæde, legione etiam Marcia amissa civitas nostra *[Augsburg]* plurimum nobilitata, forum publicum apud nos Perlacum a perdita legione [! *ita iam Otto Frising.*] cognominant, ubi aliquando inscriptum fuit

Indicat hic collis Romanam nomine cladem
Martia quoque legio simul periit.

Ceciditque ea pugna cum equitatu Macedonico Avar Græcus Bogudis filius: rusticæ ex eo domus non longe ab Augusta adhuc Chriechsauar appellantur.

Hiis nomen terris Bogudis dat regio proles
Græcus Auar pecudis de Suevis more litatus. *etc.*

760 circunfepte *1.* circumfepte *2. sqq.* 767 Lyci] Lech. Nisi vidisses Huttenum etiam Varianam cladem apud Augustam Vindelicorum Romanis inflictam esse opinari, conicias fortasse *Lippi* (pro *Luppia*, Lippe) scribendum esse. Quid si Huttenus ab Aenea Sylvio (German. c. 35.) Moguntiæ aut cum aliis Francofurto ad Mœnum gloriam extinctarum legionum tribui animadvertisset? commodius certe carmini illud fuisset. In Arminio dialogo errorem quamvis non expressis verbis correxerit, tamen non repetiit Huttenus: cum eum dialogum scriberet, Annalium priores libros legerat, qui nondum publicati erant (beneficio furti Arcimboldiani Corbeiæ commissi) tempore huius panegyrici conpositi. Inde, cum prima editio de non degeneri statu Germanorum carmen v. 61. „prope rura Lici" Arminium pugnare fecisset, editio II. v. 60. habet „prope rura Visurgis". 772 excœpere *1. 2.*

Augusti Cæsaris consternatio.

Ereptamque iugo patriam. Qui vertice crines
Eiicit et secat ungue genas, frontemque caputque
Pariete collidens, clamatque 'O redde peremptas,
'Vare, manus et signa reduc!' vigilesque per urbem
Disponit, maiore metu quam contigit unquam,
Hunc vocat 'Augustum' sua Roma 'patremque receptæ'

Iterum Germani in Italiam.

Appellat 'patriæ'. qui sparsi in montibus errant
Ausonias populati urbes prædamque ferentes,
Noriciæ Rhætæque manus, durique vocantur

Hunni cum Germanis in Italiam.

Algiones; qui deinde ruunt terrore supremo
Et flammis ferroque viam per regna, per urbes
Efficiunt, Germanæ acies, exercitus Hunnus,

Attila.

Attila dux, ingens bellum: quo tempore primum
Coniuncta est Scythicæ pugnax Germania genti.

Gothi et Vandali.

Non procul hinc autem Gothus instat et optimus armis
Vandalus, his Heruli iungunt socia agmina, mittit
Suevus opem: tu, Roma, novis populatibus urbi,
Clausa, times, rapit hostis agros turresque domusque;
Ferro aperitur iter, flammis sese omnia miscent.

Roma incensa.

Hæc Roma est, cuius quis vera incendia dicat
Et vere Gothicis insessas hostibus arces?
Finxerunt Nymphæ viva omnia: fallere visus
Intentamque aciem poterit qui præcipit ignes

Totilas.

Urbe vaga Totilas. quæ dehinc nova surgere bella
Nympharum pictura docet? proh Iuppiter, ingens
Gloria, Francus eques, dura agmina mota repente,
Pipiunmque genus. Dic nunc, Germania, quis te

Carolus Magnus Francus.

Altius extulerit? longam fert Carolus hastam
Horrentemque notis clypeum, fert cominus ensem
Terribilemque implet galeam; procerius illo
Corpore non aliud, toto non agmine maius
Viribus aut bello melius; Gallosque Britannosque

---

[779] Cf. dial. Armin. §. 21. *Sueton.* Oct. 23. (*Cass. Dio* LVI. 23.) [782] signa] cf. ad carm. de non deg. Germanor. statu v. 62. sq. adnot. [784] recœptæ *1.* [785] Apellat *6.* [787] Rhetæqȝ *1...5.* [788] Algiones]? *an* Albiones *pro* Alpini (Ἀλβιεῖς, Ἄλπειοι)? Puto ad Germanicos populos qui sub Marco Aurelio Italiam infestarunt, hos versus referendos esse. de Algoviensibus poetam dicere cum dubitassem, Hauptius adfirmat. [791] Attila a. 451. Rheno superato in Catalaunicis campis victus a. 453. mortuus est. *Hoc et sq. lemma om. 3.* [793] Gotus *3. 5.* [795] nov. pop.] repetitis depopulationibus. [797] Romam Vandali depopulantur a. 455. *Procop.* bell. Vand. I. *Iornand.* c. 45. *Sidon. Apoll.* paneg. Avit. 441. sqq. [801] aciem] i. e. oculorum. Totilas Ostrogothorum rex (a. 541...552.) Romam a. 546. cepit. [805] Pipinum] Carolingicum.

Italiamque domat, Siculos rapit, hoste fugato
Liberat Hispanos, totum mare puppibus ambit;
Mirantur Graiorum urbes, te, Turca, paventem
Attonitæ videre Asiæ; dant ampla tyranni,
Dat spolia Aegyptus, Pharios dare munera reges
Cogit Franca manus; tota Aphrica, totus adorat
Victores Oriens; Solymam qui presserat urbem,
Deserit, augetur pietas; pro crimine pœnas
Saxones expendunt; tu perdis, Gallia, nomen, Gallia Francia dicta.
Francia vis dici, tantum concedis honori
Virtutique ducis: laudi gratare paternæ
Et proavis, Alberte, tuis, tibi fama decorem
Nominis ista feret. Pius hinc Ludovicus amica Ludovicus Pius Francus.
Pace sedet, sua sacra viro, non prælia, curæ.
Pingitur Arnolphus turbata pace perosus Arnolphus Francus.
Ocia tranquillosque dies, obliquus in omnes
Deside qui torpent vita, nec posse videtur
Ferre sacerdotum luxus. Quis terror Othonum, Otho primus Saxo.
Quale decus, superi! tu Pannonas excipis acri
Marte rebellantes, te vindice libera Roma
Liberaque Italia est: qui pendent vertice nexo
Pannoniæ vixere duces; te Martia sensit
Roma sibi similem; namque in te regia lucet
Maiestas, decor imperii, componere lites
Ausus es et medio Romam censere senatu,

---

[811] hoste] Arabe. [816] Africa *6.* [817] Sol. q. pr. u.] Arabes. Harun al Raschid. [819] Saxonicum plus quam tricennale bellum finitur a. 804. [823] nat. a. 778., imp. a. 814...840. „semper in assiduitate orationum, in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantans et psallens deo in corde puro, in contritione cordis *etc.*" *Agobard.* [824] prelia *1. 2.* [825] Arnulfus, Carolomanni naturalis filius diviso post Caroli Calvi mortem (a. 887.) regno Teutonicum adipiscitur exeunte a. 900. post multa Slavica et præcipue Italica bella gesta. [826] Otia *6.* [828] *Loco huius et trium sqq. lemmatum* Othones. *habet 3.* Othonem *4.* Otto I., Henrici aucupis Germanorum regis filius, primus imperialem dignitatem Romanam in gentem suam intulit, „post Carolum M. (Dietmari verba sunt) regalem cathedram numquam tantus patriæ rector atque defensor possedit". [829] Rectius hic versum 767. posuisset auctor: nam d. 10. Aug. a. 955. in Campo Lici *(Lechfeld)* Hungaros iterum inrumpentes prostravit imperator. Vide scrr. ad a. 955. ap. Struv. corp. hist. Germ. in vita Otton. M. not. 72. citt. [830] Roma] Primum in Italiam sibi iura a. 951. adquisivit imperator, deinde a. 956., sed quæ h. l. memorantur, in septimum decimi sæculi decennium incidunt. [834] comp. lites] a Berengario eiusque filio Italiæ regibus electis et Ioanne PP. XII. motas. Otto a. 964. Romam cepit, ibique diem natalem domini celebravit restituto Leone VIII. antipapa.

Cædere colla ducum, fasces submittere pœnæ
Et sonteis punire reos, solioque retractum
Pontificem, Petrique loco, discorde relegas
A patria. Verum alta domi per te excita virtus
Saxones extollit proceres, iam tempore ab illo
Lætatos genus esse tuum, nec segnior armis, Otho secundus Saxo.
Ingenio melior regnat tua regia proles
Per varios casus: prima huic victoria cedit
In Sarracenam rabiem Maurumque furorem;
Græcia dehinc victa est, iterum dat Gallia palmam.
Dum versa est fortuna retro, quæ tanta repente
Invasit clades? sparso fugis obvius hosti
Solus et in lacera tecum vehis omnia cymba,
Magnum animum; sed qui prendit non credit Othonem:
Hoc tibi lingua dedit, neque enim prius ore locutum Otho II. Latine et Græce doctus.
Audivere suo Graii perfectius ullum
Cui patriam boreale gelu Rhenusque dedisset,
Nec Beneventani manet impunita timoris
Pernicies, autorque fugæ ferro igne petitus
Dat pœnam. Latio post hunc sublimis in ostro Otho tertius Saxo.
Tertius ardet Otho et cinctum diademate largo
Ostentat regale caput, cui maxima posset
Regnandi virtus tribui, nisi tanta tulissent

---

836 Cedere *edd.* 838 Pontificem] Benedictum V., quem defuncto Ioanne XII. Romani sibi elegerant, secum in Germaniam duxit Otto, ubi mortuus est medio sequente anno 965. Hamburgi. 841 Otto II., Ottonis primi ex Adelheide Rudolfi II. Burgundiæ regis filia, Lotharii II. Italiæ regis vidua tertius filius, nat. a. 955. parenti successit a. 973. † Romæ a. 983. 843 Post alia bella in Germania, Dania Italia, Gallia non sine gloria gesta Otto a. 982. Apuliam Calabriamque Græcis erepturus hos coniunctos in auxilium vocatis Saracenis primum prope Tarentum fudit, deinde vero a Saracenis prælio victus Italorum perfidia fugatus cum natando salutem quæreret, a nautis captus, sed ab eisdem imperatorem cepisse nescientibus redemptus est. 844 Saracenam *G.* 845 Cf. *Naucler.* II. fol. 143. *Struv.* l. c. in vit. Otton. II. §. VI. it. dat. Gallia p.] Lotharium Francorum regem, qui Ottonem in ipso suo palatio Aquisgranensi a. 977. fere ceperat, congregato exercitu imperator ad Parisios usque prosecutus est, reditum autem cum exercitu parum felicem habuit, unde sequenti anno Galliam iterum invasit regemque in Remis Lotharingiam abiurare coegit a. 986. cf. *Struv.* l. c. c. v. 853 Ut ab Italis Græcisque sibi data damna iniuriasque ulcisceretur, Beneventum eodem anno, quo exeunte mortuus est, captum militibus suis diripiendum permisit. 855 Otto III. Ottonis II. ex Theophania unicus filius nat. a. 980. Romæ coronam imp. accepit a. 996., † a. 1002. a benignitate, liberalitate, iustitia, moribus omnibus nec non forma laudatissimus, „sub cuius regimine salus fuit mundo et gloria", ut Hugo Flaviniacensis scripsit. Cf. vol. V. p. 367.

Ante avus, ante pater summæ præconia laudis.
Ille autem placido vultu, cui plurimus ore — *Henrichus primus qui et sanctus.*
Candor inest, Henrichus erat, non sanctior illo
Præfuit his regnis, cui non contemptior uxor
Assidet: has animas cœlo damus. Ille, feroci — *Conradus primus Francus.*
Cui turget facies ira, plus arma minatus
Effecit quam qui sumptis certaret in armis;
Francia Conradum genitrix vocat. Inde sequutus — *Henrichus Secundus Francus.*
Fortior Henrichus per totam incendia ducit
Bemorum patriam, contundit Pannonas, urbi
Pontificem Romæ legit. Huic se filius omni — *Henrichus tertius Francus.*
Fert virtute parem, belli maiore gerendi

---

859 preconia *1. 2.* 860 Henricus *2. etiam in lemmate. Pro hoc et 9. sqq. lemmatibus in 3. est* Henrichi. primus] quia primus Henricus Romæ coronatus (d. 24. Febr. a. 1014.) est; inter Germanorum reges Henricos Secundus est. Ut ex Ottone I. Otto III. pronepos Henrici aucupis fuit, ita ex altero huius filio Henrico Henricus II., qui Giselam Burgundiæ regis filiam matrem habuit, patrem autem Hezilonem sive Henricum II. Bavariæ ducem. Natus est a. 972., cognomenta sibi meruit Sancti, Pii, Gloriosi, Monachorum patris, et a luxato femore Claudi, a condita ecclesia Bambergensis. Rex Germanorum post varia principum dissidia coronatus est Moguntiæ a. 1002., imperialem coronam accepit Romæ a. 1014., † a. 1024. Uxor eius Cunigunda Lucilimburgensis adulterii rea facta innocentiam suam tantam ordali probavit, ut Innocentius III. eam a. 1201. inter sanctas reciperet. In tumulo Henrici auctor vitæ Meinwerci inscriptum fuisse refert „...

Splendor erat legum, speculum, lux gemmaque regum,
Ad cælos abiit, non moriens obiit".

863 Conradus, eius nominis primus imperator, sed inter Germanos reges Conradus II. est, Salicus volgo cognominatus. Patrem habuit Henricum Francorum ducem, matrem Adelheidim Metensem, sed quo anno natus sit non constat. Coronatus est Aquisgrani a. 1024., Romæ a. 1027. idemque etiam Langobardicam Burgundicamque coronas accepit. † Traiecti m. Iunio a. 1039. Quæ de ira minacitateque regis h. l. significantur, magis ad consilia publica et leges ab hoc imperatore latas, inter quas celebratissimæ sunt constitutio de feudis atque treuga dei, quam ad bella contra Polonos, Ernestum Suevicum, Italos, Burgundos, Hungaros, Slavos strenue gesta rettulerim. 866 Henricus III. rex, II. imp., (cf. ad v. 861.), item Pius s. Niger, Conradi II. ex Gisela filius nat. a. 1017. patri successit a. 1039. Romæ coronatur a. 1046. † a. 1056. Contra Bohemos a. 1040. primum, sed acrius sequenti anno iterum bellavit, hostium loca igne prædaque devastatus ducemque sese dedere cogens. Idem sqq. annis pluribus expeditionibus Hungaros devictos subiecit, præcipue autem in Italos dominationem suam exercuit: depositis schismaticis papis Clementem II. Romanis a. 1046. iuramento præstito se numquam sine eius consensu papam electuros esse, pontificem inposuit, quo mortuo (a. 1047.) Damasum II. postque huius mortem (a. 1049.) Leonem IX., denique mortuo Leone a. 1054. Victorem II. papas fecit. 870 Henricus III. imp., IIII. rex Germanorum, „der werthe held kaiser Heinrich der vierte", cf. vol. V. p. 367. sqq.

Nomine: collatis toties qui prælia signis
Miscuerit, non Roma dabit, non Teutona noscet
Turba memor: fœlix si non genuisset in illo — Henrichus quartus Francus.
Ipse sibi dominum regno: Germania primum
Tunc vidit scelus hoc, nollet meminisse nepotes;
Strenuus ille tamen bello fit natus, et urbes
Ter rapit Italicas, ter fusum deprimit armis
Pontificem, Solymas hoc rege recepimus arces.
Hinc a Saxonico movet arma Lotharius Albi — Lotharius Saxo.
Auxilium Romæ; movet hinc Conradus ab oris — Conradus secundus Suevus.

---

[872] prelia *1. 2.* genuisset] ex uxore sibi exosa Bertha, Othonis marchionis Italiæ filia, a. 1089.; quartus is est, ut in prædecessoribus diximus, imperator Henricus, non computato aucupe Henrico I. rege. Cf. vol. V. p. 369. sq. [875] scelus] filii contra parentem rebellantis. [876] Strennus *2.* [877] Paschalis I. a. 1111. captivus factus, sed reconciliatus coronat imperatorem eique privilegium de investitura episcoporum tam per annulum quam per virgam tradit, sed sequenti anno in concilio Lateranensi excommunicato imperatore revocat, idemque insequentibus non nullis conciliis repetitur. Iterum propter Mathildæ hereditatem excommunicatio imperatoris tumque absolutio fit a. 1115. Deinde cum mortuo Paschali II. (a. 1118.) Romani Gelasium II. elegissent, is autem imperatoria iura detrectaret, Gregorium VIII. sedi inposuit Henricus, tertiumque ab illo coronatus est Romæ d. pentacostes a. 1118. Gelasius qui in Galliam aufugerat, ibi moritur m. Ian. a. 1119., et Galli Calixtum II. papam faciunt, qui antipapam Gregorium turpiter habitum monasterio includit, ubi moritur. Honorius II. a. 1124. Calixti successor, imperatorem ab anathemate absolvit. Mense Maio sequentis anni Traiecti exspirat imperator a fortudine, audacia, ingenio, merito celebratus, sed a moribus, iustitia, pietate summopere vituperandus, sub cuius regno Balduini Hierosolymitanum regnum condunt et augent. [878] recœpimus *1.* [879] Lotharius II. comes Supplinburgensis, nat. a. 1075. ab Henrico V. a. 1106. dux Saxoniæ factus, Imp. electus a. 1125., Romæ coronatus a. 1133. † a. 1137. Vir probus, strenuus, doctus, sed nimium „devotus et innocens erga Romanam semper ecclesiam", ut Gervasius Tilb. iudicavit. cf. vol. V. p. 370. [880] Conradus II. si Salium primum numeramus, omisso Conrado rege German. a. 911...918. ante Henricum aucupem regnante, sed vulgo Conradus III. dictus patre Friderico Sueviæ duce, matre Agnete Henrici IIII. filia, nat. circa a. 1094. ab Henrico V. ducatum Franciæ orientalis acceperat, contra Lotharium electus a. 1128. Maguntiaci (*Monza*) ac Mediolani, tum Lothario defuncto a. 1138. Aquisgrani coronatus, † Bambergæ a. 1152., Romani pontificis benedictione nulla accepta. Intestina Welforum Waiblingensiumque sive Gibellinorum ab a. 1140. bella cœpere, idemque ad tempus refertur fabula de Weinsbergensibus feminis viros dorsis susceptos secum auferentibus. In Bohemia Hungariaque ac contra Slavos rebelles strenue ac feliciter bellavit Conradus; sed non ita feliciter ei cessit cruciata a. 1147. suscepta: parvam miserabilis exercitus in terram sanctam educti partem Conradus, nihil fere eius quod voluerat consecutus, in Germaniam reduxit. inter multa tempestatium, fluminum exundantium, commeatus difficultatium ferorumque hostium pericula doli etiam Græcorum Europæo exercitui nocuerunt: fraus Emanuelis Comneni, orientis imperatoris, ab Hutteno accusata, procul dubio ea est quam Nicetas hist. I.

Suevorum, cui magna animo, si tanta sequatur
Audentem fortuna favens, bellum invehit astris,
Invehit Aegypto atque Asiæ medioque labore
Proditus a socio est: hæc Graiæ pessima gentis — Fraus Hemanuelis Græci.
In famam monimenta damus. Quos surgere motus
Hac a parte vides, quæ mœnia fervere flammis? — Friderichus primus qui Barbarossa Suevus.
Quos cadere hic populos, quos ire in funera reges?
Quis penetrat pavidas confestim exercitus Alpes?
Quem fugit ille senex? certe haud iactantius ullum
Fert in veste pater Rhenus, primumque videri
Laudarique volet: Suevorum e gente superba
Marte putes genitum; causam cognominis affert
Aenea barba viro; maiorem animoque fideque
Se Rhenus vidisse negat. quid si Itala ploret — Pete aliquid ab historiis.
Clades terra suas, omnique hunc oderit ævo?
Oderit, et servare fidem discat: tu, age, velles
Hoc Turcis præbere caput, secludere tantum
Christi a gente decus Petrique in sede vocari
Maximus antistes? sed enim maiore repertus,
Quam tu, Turca fide. ruit hic ultricibus armis
In Latium ardenti similis similisque minanti
Quoslibet interitus: Veneti dant munera, poscit
Ipse fidem, fugit Adriacos trepidante recessus
Pulsus Alexander Latio, Romana iuventus — Alexander Pont. III.
Contra audere parat, Trebiam Cannasque silere

---

5. enarrat, i. e. Græcos Alamannis non solum in rerum ad victum necessariarum venditionibus ponderibus pretiisque fraudes fecisse, sed quosdam etiam calce farina inmixta cibum pestiferum reddidisse, quod utrum iussu Manuelis factum esset, ut ferebatur, se compertum non habere Nicetas ait; addit autem „breviter ut dicam, nullum mali genus fuit quod imperator non vel ipse in eos machinaretur vel aliis machinandi auctor esset, ut scilicet eorum posteri perpetuis monimentis ab invadendis Romanis [i. e. Byzantinis] deterrerentur. Idem et Turci faciebant Manuelis litteris ad bellum Alamannis faciendum concitati". Cf. etiam *Naucler.* II. fol. 185. — „Darnoch ist der vßerwelt tågen kayser Friderich der erst kommen". vol. V. p. 370. sq.

[882] astris *edd. omnes. sed legerim* Austris, *ut nomen referatur ad sanctam expeditionem per Austriam, Hungariam, Bulgariam, Thraciam in Asiam ductam: nam de negotio Bavariam Leopoldo Austriaco adtribuendi accipi posse non videtur. ceterum astrologicis superstitionibus etiam tum multam fidem tributam esse Nicetas Choniata de Manuele Comneno passim testatus est.* [889] senex] Alexander PP. III. [893] Aënobarbus s. Barbarossa. [897] Turc. præb. cap.] *Cf. vol. V. l. c.* cum *Struv.* Corp. hist. Germ. in Frid. Barbar. §. xxxiii. [900] Turca] Saladinus. [902] Cf. vol. V. l. c. [905] Ad Trebiam Hannibal a. u. 536. (a. Chr. a. 218.) Romanis tantas clades inflixit, ut paullo post tota Italia superiore potiretur. *Liv.* XXI. 52. sqq. *etc.*

Spoletina iubet clades, sociasque per urbes
Pugna Spoletina.
Ambulat interitus: iurati fœdera pacti
Huic frangunt toties Itali, ferro ipse rogisque
Ultor adest æquatque solo fomenta malorum,
Te, Mediolanum, tota hinc vicinia flammis,
Vide Blondum.
Inde perit gladiis; sese experiuntur in armis
Et perdunt Ligures, una constrata ruina
Concidit Italiæ summa a radice potestas.
Ultimus est Asiæ bellum labor; occidit undis:
Interitus Friderichi.
Non poterat ferro, at voluit; fortuna negavit
Tantum hoc invicto: simul hac res publica Christi
Spes summas morte amisit flevitque iacentem
Qui quondam exitio stantem devoverat omni.
Cernere post Apulas Henricho Cæsare strages
Henrichus quintus.
Roma stante datur, deiectumque ense Philippum,
Philippus Suevus.
Et cœptum frustra bellum infœlicis Othonis.
Otho Saxo.
Quas rerum turbas erectaque pectora, si se
Friderichus secundus Suevus.

---

infelicior fuit Cannensis pugna (a. u. 538. a. Chr. 216.): cf. *Liv.* XXII. 44. sqq. *etc.* Trebeiam *4.*

906 Spoletium, quod cives eius censum imperatori solvere negarent missumque ab hoc comitem Guidonem captum tenerent, Fridericus ipse sui exercitus strenuissimus miles vi cepit et cum castello in montibus adiacente ferro igne præda devastavit d. 28. Iul. a. 1155. Mense ante Romanos devictos in deditionem coegerat, postquam per superiorem annum ex Roncaliis campis profectus contra Mediolanenses, quorum tunc consules fuerunt apud iuris feudalis studiosos celebratissimi Hubertus ab Orto ac Gerardus Niger, arma ceperat multaque superioris Italiæ oppida et castra, Cairam *(Chieri)*, Astam, Tertonam diripuerat ac vastaverat. 910 Blondum] historiar. decad. II. lib. v. med. „Fredericus interea omni Romanæ ecclesiæ terra dolis sibi viribusque subiecta urbes imperio subditas tyrannice etiam præter solitum vexabat, .. populos .. crudelissime mulctavit, Terdonaque primo spoliata Mediolanum post solo æquatum est, cuius populum in sex portarum tribus divisum sex agri sui loca decimo ab urbis solo distantia miliario habitare coegit, deinde Cremonam maximis affecit incommodis" *etc.* 912 Ligures] i. e. illa oppida et regiones per quas imperator ex Mediolanensibus Romam versus profectus est. *Lemmata usque ad v.* 945. *om. 3.* 914 In curia Moguntinensi Fridericus vere a. 1188. crucem accepit, Calycadni undis d. 10. Iun. a. 1190. submersus est. cf. vol. V. p. 370. Friderici. *2.* 915 Non poterat ferro, i. e. in acie occidi, at voluit, i. e. sæpe præsentissimis hostium armis corpus suum exposuerat. 918 Ab exeunte a. 1187. usque ad exeuntem m. Mart. a. 1191. Clemens III. sedem Rom. tenuit; successit Cœlestinus III. 919 Quintus sec. Romanor. Chronica, VI. Germanis, Barbarossæ ex Beatrice Burgunda filius nat. a. 1165., patri successit a. 1190. Romæ coronatus a. 1191. et Siciliæ rex Panormi a. 1194. obiit Messanæ a. 1197. Cf. vol. V. p. 371. *[ubi ad v. 14.* VII. *perperam pro* VI. *scriptum est.]* 920 De Philippo Suevo et Ottone IIII. cf. vol. V. p. 372. 922 Frid. II.] cf. vol. V. p. 372. ad v. 18.

Sors ferat in melius, Fridericus gente Sueva
Excipit: ingenti motu regnisque potitus
Bellorum portas aperit Ianumque reclusum
Gentibus ostendit: 'desueta capessite' clamat
'Arma, viri, mecumque omni contendite nisu
'Accumulare decus laudesque æquare parentum;
'Sentiat arctoi virtutem nominis ingens
'Aegypti domitor, vanam sine viribus iram
'Discat Turca rapax, nemo torpere feroces
'Suevorum populos et Francas dixerit urbes!'
Illum hæc dicentem atque addentem pondera verbis
Circumstant iuvenes, si quem præstantibus actis
Pingit avitus honor, stimulantque in bella priores.
Nunquam aliquod gavisa magis Germania verbum
Audiit: extemplo summas exercitus Alpes
Rheni ab utraque petit ripa, victoria fractus
Prima rebellis Otho, tunc signa erecta ruenti — Expeditio Asiatica Friderici.
Auxilium latura Asiæ: viden' auspice Christo
Ut paret in bellum tanto tot millia motu?
Quod nisi conceptum remoretur Honorius ausum, — Honorius tertius pontifex max.
Quas illi Armenias, quos posse resistere Turcas
Quemve putas Syriæ dominum? Sultanus ab illa
Commoda lite refert, vincuntque ingentia regna — Irruptio Tartarorum.
Immanes Scythiæ populi: tu pone furorem,
Pone iras odiumque istud, sanctissime, differ
Officii cessare tui! tu excindier arma
Sarracena vetas, recipi tot regna, tot urbes?

---

927 Ama *5.* 928 Acumulare *5.* 930 Fridericus iam statim post coronationem Aquisgranensem (d. 25. Iul. a. 1215.) crucem sumpsit. 934 Circumstant *2.4.6.* 935 Pingit] decorat. 939 Otto IIII. a. Philippo Augusto Galliarum rege d. 27. Iul. a. 1214. apud Bovinas devictus est. 940 Innumera tum per Asiaticas terras bella Othomanicum regnum præparantia. A. 1241. Mongoli in ipsam Moraviam inrumpunt. 942 concœptum *1.* Honorio III. mortuo († d. 18. Mart. a. 1227.) cum Brundusii navem ascendisset imperator, sed morbo ingrassante Hydruntum appellere coactus esset, Gregorius IX. eum excommunicavit, quod in terram sanctam non iret. Concilior. XIII. 1112. 946 Scythæ *3.* tu] pontifex Gregori IX. „Hic tanquam superbus primo anno pontificatus sui [1227.] cœpit excommunicare Fridericum imp. pro causis frivolis et falsis". Abb. Ursperg. ad a. cit. Cf. decretal. a. 1245. emissam quam exhibuimus vol. V. p. 373. 949 Gregorius, cum a. 1229. inter imperatorem et soldanum convenisset, ut illi Hierosolyma aliaque loca sancta restituerentur, quia inobediens imperator et excommunicatus expeditionem suscepisset, nec pacem adprobat, nec Fridericum absolvit, sed nuntiis ad soldanum missis iubet non tradere regnum Hierosolymitanum. cf. scrr. ad a. 1228. sq. Uspergens. ad a. 1227. et Petrum de Vineis I. 21. Saracena *6.*

Aut quænam invidia est cursum tardare ferentis
In commune bonum tantarum præmia laudum?
Hac mercede tuæ nolis concedere causæ;
Te fraudata tamen regna, auxilioque retracto
Deserti reges urgente dolore superbum
Crudelemque vocant: iam classe perambulat heros
Adriacos fluctus, iam Græcia gaudet et anceps
Ante metum pellit Thrace; tu retrahis arma
Auspiciis ducenda tuis; quid quod benefactum,
Non scelus esse iubes? redit ille infectaque linquit
Crimine bella tuo testaturque omnia iura
Et phas omne omnesque deos, pulcherrima cœpta
Invidia cassata tua: tunc factio tristis — Factiones in Italia.
Implicat Italiam, movet hac a parte tuendo
Cæsareas Gibelinus opes, sed Guelphus ab illa
Pontificem sequitur, socias pugna excipit urbes;
Occursum Venetis, 'Arcete paludibus' inquit — Veneti.
'Euganeas ranas piscatoremque leonem!'
Hinc Umbros Tuscosque petit subigitque Ravennam
Samnitesque domat; precibus se bellicus armat — Preces decretæ contra Fridericum.
Adversum antistes decretaque murmura templis
Mille sacerdotum, tibi, lux Germana, precantur
Excidium: verum esse deos humana tuentes
Edocet eventus. Tu, Flisce, quid ocia turbas, — Innocentius IIII. P. M.

---

950 At *5*. 951 premia *1.2*. 957 retrahis] cf. ad v. 946. Fridericus a. 1228. in terram sanctam d. 11. Aug. 1228. proficiscitur. 959 redit] a. 1229. 962 a. 1236. sqq. „Papa et imperator aliquantulum discordabant, nam papa Lombardis favente imperator eos proposuit expugnare; nam Mediolanum, Vercellis, Mantua, Placentia, Faventium, Bononia et aliæ multæ civitates Lombardiæ erant oppositæ, Venetiæ similiter". *Albert. Stad.* ad a. 1237. 965 *Lemmata usque ad v. 998. om. 3.* a. 1238. Veneti cum papa fœdus inierunt contra imperatorem, qui Venetiarum ducis filium Petrum Theupolum, Mediolanensium exercitui præfectum, cum aliis nobilibus captum in Apuliam abduxerat a. 1237. 967 Eug. ran.] cf. Marcus Hutteni. leonem] s. Marci. 968 subĩitq; *5*. 970 antistes] Gregorius IX. qui post crudelia in pontificios a Cæsarianis exercita ludibria, cruces in ipsa crania incisas, „cardinalibus et clero et populo in processionem deductis capita apostolorum prætulit et a Laterana basilica ad principis apostolorum templum nudis pedibus ingressus suggestu conscenso flens et lachrymans tum divorum intercessionem, tum populi ad seditionem commotioris auxilia imploravit". Bzov. ad a. 1239. §. VII. Cf. encyclicas ibi præmissas litteras. 973 eventus] a. 1239. Fridericus Mediolanum Bononiamque pontifici adhærentes devicit, Sardiniam occupavit, Romam progressus pontificios alios in urbem reppulit, alios occidit captosque misere habitos dimisit, circa urbem omnia vastavit, deinde signis in Campaniam versis Beneventum direptum incendit et in Siciliæ regno ecclesiasticos multos morte

Immemor ingentis meriti! se Parma tuetur — Obsidio Parmensis.
Obsidione gravi, castris Victoria nomen
Urbis in effigiem ductis: hic Itala tellus — Vide Blondum.
Imperii florentis opes agnoscit, imago
Hic veteris renitet Romæ, seu bellica spectes
Ornamenta ducis, seu quo trahit ocia cultu.
Partem opere in tanto natis fortuna duobus — Entius et Conradus Friderichi filii.
Distribuit laudis; bello studet ille paterno,
Hic movet arma domi, tumidum subigitque Doringum.
Aspicis ut nulla est Friderichi obeuntis imago? — Friderichi mors incomperta.
Attoniti circum populi, stupor occupat omnes,
Quis trahat e medio. Sunt hic tua bella, Rodolphe: — Rodolphus de Habspurg.
Infœlix Othocarus obit; dehinc pugna duorum — Othocarus Bemus.
Spectatur procerum: tu cedis, Adolphe, relicto — Alberti et Adolphi altercatio.

---

captivitateve multavit. cf. *Struv.* Frid. II. §. XIV. Sinibaldus Fliscus m. Iun. a. 1243. pontifex factus Innocentium IIII. sese nominavit. cf. vol. V. p. 373.

[974] Cum Parmam inde a m. Aug. a. 1247. Fridericus cum Enzio, Ezzellino alisque suis obsidione pressam bellis per totam superiorem Italiam furentibus capere non posset, prope urbem novum oppidum, cui Victoriæ nomen inposuit, Victori martyri consecratum subitaneis domibus constructis condidit Victorinosque nummos ibi cudi iussit, ut Parma sua Victoria quasi devoraretur. Sed iam insequenti anno Parmenses Victoriam devictam diruerunt Gibellinosque, ut narratur, circiter 1500 occiderunt, 3000 autem captivos fecerunt. Pro Flavio Blondo [historiar. decad. II. lib. 7.] lectores ablegare mihi liceat ad *Raumeri* Hohenstaufen lib. VII. cap. 20. [979] otia *6.* [980] Enzium s. Henricum naturalem ex Blanca Lancea, nobili Montisferratensi, filium Sardiniæ regem imperiique per Italiam legatum a parente factum Bononienses a. 1249. captum abduxerunt, apud quos † a. 1272. Conradus (IIII.) legitimus ex altera Friderici II. uxore Iolantha, Hierosolymitani regis filia, filius nat. a. 1228. in locum Henrici fratris rebellis facti inque custodia defuncti rex Romanorum electus est a. 1236. et post parentis mortem imperatoriam dignitatem suscepit. Sed hic Conradus non subegit Thuringum, i. e. Henricum Rasponem landgravium, sed ab eodem victus est a. 1246. Raspo † a. 1247., Conradus d. 21. Maii a. 1254. Cf. vol. V. p. 375. sq. Friderici 2., *ut solet* c *pro* ch. Fridericus in castro *Firenzuola* Luceriæ vicino dysenterico morbo occubuit d. 13. Dec. a. 1250. Venenum suspicabantur alii, alii ab ipso dilecto suo filio Manfredo suffocatum mentiti sunt; „multi per annos 40 putabant eum vivere *[in monte Kyffhæuser]* venturum in proximo manu forti", ut Chron. August. ad a. 1250. habet. Unde plures etiam imperatoris defuncti personam sibi per fraudes vindicaverunt. Cf. *Struv.* in Frid. II. §. XXX. [984] Interregnum etiam Huttenus a Conradi morte (a. 1254.) usque ad Rudolfi electionem a. 1273. conputare adparet. [985] Cf. vol. V. p. 376. sq. Rudolphe *6.* [986] Cum olim curiæ magister fuerat, Rudolphus, quod ille huius electionem inpugnabat, Ottocaro II. Bohemiæ rege, cuius a. 1276. bellum suscepit, in quo redintegrato ille in ipsa illa pugna d. 26. Aug. a. 1278. in campo *Marchfeld* dicto militibus privatas iniurias ulciscentibus misere trucidatus est. [987] cædis *edd. sed* cedis *dubium non est.* Albertus Austriacus, Rudolphi imperatoris filius (nat. a. 1248.) frustra

Imperio mundi. Interea se insignibus ausis
Excitat Henrichus: triplex exercitus illi, Henricus VI. Lucemburgensis.
Hinc equites Franci duros invadere Bemos,
Hinc Suevos Rheni gentes Istrique coacti,
Ipse Italos adit, auxilio venturus agenti
Exilio, Gibeline, tibi: quas ille ruinas,
Quas infert Italis clades! quæ gloria posset
Hoc duce Germanis venisse superstite terris!
Intempestivum tamen interturbat euntem
Summorum per clara virum vestigia fatum:
Urbs Hetrusca necis reperit mercede ministrum ¶ Henricus sceleste intoxicatus ab ordinis Prædicatorum fratre.
Dominici fratrem; magnum scelus, ille veneno
Imbutum sancti munus venerabile panis

---

eligi expectat, cum Adolphus Nassovicus (postquam Rudolphus d. 15. Iul. a. 1291. Germershemii supremum diem obierat) m. Maio a. 1292. eligitur. Sed post quinque annos idem qui dolis ac mendaciis suis coronam Adolpho paraverat Moguntinus archiepiscopus, coniuratione principum facta imperatorem deponit d. 23. Iun. a. 1298., Albertusque Austriacus, qui principes sibi adhærentes ad bellum contra Adolpum excitaverat, quo nullam sua virtute gloriam sed interfectionem fortis æmuli (prope Wormatiam d. 2. Iul.) consecutus est, imp. eligitur et Aquisgrani d. 24. Aug. a. 1298. coronatur. Ipse decennio post d. 1. Maii a. 1308. a nobilibus quibusdam sibi infensis prope Vindonissam trucidatus est.

[988] insignib. ausis] maxime bello cum Trevirensibus strenue feliciterque gesto, quibus fratrem suum Balduinum, Trarbacensibus meis inter omnes Trevirenses archiepiscopos optime notum, præsulem inponi curavit. Anonymi 'Gesta Balduini' a Baluzio (Miscellaneor. tom. I.) repetita, atque Mussati hist. optimis huius temris historiarum cognoscendarum subsidiis adnumerantur. [989] Henricus 2. De Henrico VI. (VII.) cf. vol. V. p. 377. [990] De Bohemico regno interempto Wenceslao V. (a. 1306.) inter se dimicant Henricus Carinthius et Rudolfus Austrius; Henricus VII. autem filium suum Ioannem Elisabethæ Wenceslai filiæ maritum et Bohemiæ regem facit a. 1310. [991] Suevos] Eberhardum Wirtenbergensem, Sueviæ civitates imperiales infestantem a. 1309. ad internicionem fere devicerunt imperiales milites. Istriq.] Istri gentes coguntur, i. e. cum defuncti Alberti regis filii in comitiis Spirensibus a. 1309. habitis paternam sibi hereditatem confirmari postulassent, eosdem, quod ante negaverat, Friderici ducis minis commotus de Austriæ ducatu investivit. [992.993] ag. exilio, Gib.] Gibellinis auxilium laturus i. e. imperii iura vindicaturus contra Guelforum invalescentem partem, et ut Romæ coronam acciperet, Henricus æstate a. 1310. a. Francofurto iter in Italiam suscipit, Lombardiæ civitates in fidem cogit, Mediolanum occupat ibique d. 6. Ian. a. 1311. coronatur, rebellantes Lombardicas, Guelfis faventes Etruscas civitates partim vi et armis partim deditione sibi subicit, denique Romæ inter ipsa partium dissidia pugnasque d. 29. Iun. a. 1312. a cardinalibus tribus pontificis (Clementis V.) legatis coronam accipit, quam ne menses quidem XIIII gessit. [998] *Hoc lemma maioribus litteris scriptum est in 1.* Cf. vol. V. l. c. et Triumph. Reuchl. v. 305. sqq. *et addesis* Carmen de Heinrici VII. obitu *repetitum in* Freheri rer. Germ. scrr. I. p. 647...650. [999] Dominici] *alias* Domminici *metri c. dedit Hutt.*

Præbet in exitium quod debuit esse salutis
Aeternæque epulum vitæ. dic, Itala tellus,
Et dic, Tusca fides, quæ se maiora dederunt
Crimina quodve nephas? Hi qui intestina remiscent Ludovicus Bavarus. Fridericus Austriæ dux.
Exitia inter se, sua perdidit Austria victum,
At Bavarus victrice manu et terrentibus armis
Occupat imperium; favor ingens excipit illum
Germanorum hominum; cadit infœliciter, ausus
Pontificem turbare loco. Post quem omnia bello Iohannes Bemorum rex.
Tentat Ioannes, Italas componere lites,
Romanum formare statum, concordiaque arma
Excire in Turcas; verum Itala furta perosus
Mutatamque fidem toties fraudesque dolosque
Et gentis levitatem inconstanteisque favores
Restat ab incepto. Te, Carole, Roma coronat; Carolus quartus.
Intra urbes vetat esse suas mandatque superbus
Exire Italia simulato antistes amico: Innocentius sextus.
Hoc fers Romanusque petis regnator haberi,

1003 Thusca *3.5.6.* nefas *3.5.6.* 1004 *Hoc et sequens lemma om. 3.* Hi qui] i. e. Ecce denuò intestina de regno Germaniæ bella (inter dictos ad marginem principes): vincitur Fridericus a. 1322. et a. 1325. socius regni adsumptus moritur in arce *Guttenstein* lento morbo aut ut alii suspicabantur, veneno consumptus d. 13. Ian. a. 1330. Cf. vol. V. p. 377. sq. perdidit sua Austria] In pugna Mühldorfensi die 28. Sept. a. 1322. commissa Fridericianus exercitus ab hostibus Austriaca signa præferentibus falsorum vexillorum specie deceptus cæsus est fugatusque. Hæc eadem pugna est post quam Ludovicus Cæsar uno ipse contentus ovo duo forti Schweppermanno porrexisse narratur. 1008 cadit] equo insidens apoplexia sive secundum aliorum suspitionem veneno interemptus a. 1347. Cf. vol. V. l. c. 1009 pontificem] Ioannem XXII. Cf. vol. V. l. c. Iohannes Henrici VII. ex Margaretha Brabantica filius, ducta, ut diximus, Elisabetha Bohemiæ rex factus a parente Italiam petituro vicarius imperii relictus in pugnæ Mühldorfensi a partibus Bavaricis dimicando Lusatiam superiorem sibi ab imperatore meruit ipsosque Bohemos, quorum regnum cum Palatinatu patriis Lucilimburgensibus terris viciniore permutare studebat, sibi infensos reddidit, quibus reconciliatis Silesiam sibi conparavit, cum Galliæ rege in Flandria, cum Teutonicis equitibus contra Litthuanos arma movit. Anno 1330. ab imperatore vicarius regni factus in Lombardia feliciter pugnat, sed pontificiis inlecebris inretitus proditorie agendo utramque partem contra se excitavit. a. 1333. iterum expeditione in Italiam, sed infelici exitu, suscepta cum Polonis Hungarisque, quos Tartari tum infestabant, dissidia exercebat, denique ipse levitatis inconstantiæque accusandus, in pugna Cressiacensi d. 26. Aug. a. 1346. luscus ante annos 18, cæcus autem ante 6 annos factus periit. Quod Guelficæ parti multum nocuit, Hutteno causa fuisse videtur, ut regi, quem non inmerito equiti vagabundo alii conpararunt, has laudes tribueret. 1015 incœpto *edd. præter 3.* 1015...19 cf. vol. V. p. 378. sq.

Cum non sis Romæ? Quod se execrabile monstrum — Wenzeslaus Bemus ignavus.
Hunc dedit, ignavus rex, et Germana vocari
Quæ possit labes? nulla hic gerit arma, nec ullum
Molitur virtutis opus, torpente supinus
Mollicie sedet et luxu se pascit inerti:
Tantum huius te, Rhene, pudet. Quem deinde videmus? — Sigismundus Bemus.
Acre Sigismundus Turcæ bellum invehit hosti:
Aspicis innumeras illum miscere ruinas,
Tot reges mandare neci, exhaurire superbam
Nobilitate Asiam, terra superare marique.
Ille etiam coluit doctos, largitus honorem
Ingeniis: Latio vix magnificentior alter
Contigit imperio, vix circunspectior alter.

1019 *Hoc lemma et quattuor sqq. om. 3.* Bemus] be. *1. om. 2.* Wenceslaus Caroli IIII. ex tertia uxore Anna Iaurinensi filius nat. a. 1361. Bohemiæ rex, cum bimus esset, factus, rex Rom. a. 1376. patri successit, a. 1378. ab imperio deponitur; ingloriæ vitæ finem apoplexia facit d. 16. Aug. a. 1419. Desidiam, ebrietatem, iracundiam voluptarii hominis, qui quasi alter Nero primis annis meliorem de se spem excitaverat, etiam æquales uno fere ore reprehendunt. Dissidiis sub Wenceslao et imperium et ecclesia misere lacerabantur. Wenceslai vituperationes sequentibus laudibus fratris quasi conpensat poeta. 1023 Mollitie *6.* 1024 pudet, quem *edd.* Bemus] be. *1. omis. 2.* Cf. vol. V. p. 379. sq. Sigismundus Hungariæ rex postquam Moldaviam cum Valachia Bosniæque regem sibi subiecerat, a. 1392. bellum contra Turcas, Baiazethum I., feliciter primum agit, sed a. 1396. apud Nicopolim magnam cum Gallicis Anglicisque auxiliis fusus ipse vitam per longiorem fugam, post quam ab Hungaris nobilibus in carcerem inclusus est, servavit; tum liber factus Ladislaum a. 1403. Hungariæ regem coronatum Neapolim reverti cogit; ipse a. 1410. Francofurti imperator eligitur. Anno 1412. apud Semendriam a Musa Celebi internecivam accepit cladem. 1029 De concilio Constantiensi Hussoque et Hieronymo Pragensi atque de Hussitico bello tacere panegyricum consilii est: ,,[a. 1373.] Sigismundo adhuc impuberi Carolus pater marchiam Brandenburgensem, quam ab Otthone, postremo illius marchione emerat, dono dedit, mira indole animi ingeniique captus", ut Dubravius lib. 25. init. refert. 1029.sq. Ipse præter recentiorum linguarum, Germanicæ, Bohemicæ, Slavicæ, Italicæ, Gallicæ, etiam Latinæ tantam notitiam habuit, ut Placentino episcopo reprehendenti quod *schisma* nomen masculino genere protulisset, responderet ,,minime nobis places qui minoris nos auctoritatis quam Priscianum grammaticum, quem offendisse me asseris, existimas". Cum Hutteni laudibus, non ita profuse vol. V. l. c. prædicatis, concinunt hæc Aeneæ Sylvii (ap. *Struv.* in Sigism. §. 11. not. 2.) verba: ,,... præter insignem corporis proceritatem ac imperatoriam plane indolem affuit illi liberalitas ac munificentia quanta in nullo antea principum, religionis ac pietatis augendæ studium incredibile, multarum etiam linguarum scientia, et in his linguæ Latinæ studium excelluit; quare doctos homines imprimis fovit et dignitatibus etiam amplis honestavit. accusavit sæpe Germanos principes qui Latinas odissent litteras; a quibus reprehensus quandocunque quod doctos homines foveret, sed humiles genere, ,,ego" inquit ,,eos amo quas natura alios antestare facile voluit".

Parte alia tua signa vides, pugnæque furentes — Alberthus Marchio avus nostri.
Alberthi cernuntur avi: tu sanguine siccos
Agnoscis vultus et aratum vulnere mentum
Signatasque manus conscissaque pectora plagis;
Ducit equos ducitque viros et Norica vastat
Rura ferus, torvosque invadit milite Bemos,
Silesiasque urbes iuvat auxiliaribus armis;
Illum omnes metuunt, omnes fugiuntque Poloni;
Idem alio bello Bavaris contendit et urbes — Vide Pium.
Gallorum petit, auspiciisque immensa tuetur
Prælia Cæsareis; 'Germanum' inimicus 'Achillem',
Qua ruit, exclamat, sancitque ea nomina rumor.
Te quoque iam parvum amplexu fovet ille nepotem.
Arrecti huic omnes populi, spes maxima in illum
Coniecta est procerum, et si se fortuna dedisset
Imperii, sublime caput Germania cœlo
Hoc duce, laudibus his in summum erecta tulisset.
Cernis et Austriacum placida virtute statuque — Friderichus III. Austrius.
Tranquillo regnare senem, Venetumque Robertum

1032 tua] Alberte. Albertus *2*. Cf. supra adnot. ad vv. 242. sqq. 1033 Campan. ad v. 250. cit. 1036 Norica] cf. Aen. Sylv. ad v. 250. cit. et imprimis Germaniæ c. 39. 1037 Albertum marchionem cum nondum XXIIII. annum egressus esset, Albertus II. a. 1473. Bohemiæ Poloniæque rex electus Vratislaviensium belli ducem contra Polonos dedit a. 1438., quibus pluribus in eorum terras factis incursionibus fortiter restitit. cf. Aen. Sylv. c. 55. et loc. ad v. 250. datum. 1040 Bavaris sæpius contendit Albertus, a. 1444. cum suppetias ferret Ludovico gibboso Bavariæ duci contra patrem Ludovicum huncque pluribus Danubianis oppidis occupatis captivum abduceret; tum autem, de quo h. l. dici puto, cum exorta dissidia inter Moguntinos archiepiscopos Theodericum et Adolphum, in quibus amore Pii II. P. M. (Aeneæ Sylvii) partibus Adolphi faverat, Ludovicumque divitem Bavariæ inferioris ducem, a Theodericianis partibus stantem, debellaverat, Fridericus imperator eidem Ludovico bellum indiceret Albertumque marchionem ducem præficeret a. 1461., in quo tamen bello in alterum annum durante non Albertus sed Ludovicus victor extitit; post datas acceptasque utrimque clades non nullas pax tandem inita est. Cf. Aeneæ Sylvii Comm. lib. 3. p. 62. sq. 91. Pium] Aen. Sylv. Cf. supra ad v. 250. 1041 urbes Gall. pet.] Fere inter ipsa bella cum Pomeranis ducibus sibi gerenda Albertus a Friderico imp. belli contra Carolum Burgundum gerendi dux eligitur a. 1474. 1042 Prelia *1. 2*. 1044 Iterum, ut v. 355., Albertus archiepiscopus ante avi mortem natus fingitur. 1049 Fridericus *2*. Cf. vol. V. p. 380. sq. III.] Iis qui Friderichum Pulchrum adnumerant, *quartus*, et Brunsvicensem etiam Friderichum inter imperatores recensentibus *quintus*. 1050 Cum a. 1486. in Tridentinis Alpibus inter Austriacos Venetosque dissidia propter confinium vexationes deprædationesque orta essent, Sigismundi Austriaci exercitus, quem auxilia a Maximiliano e Brabantia missa auxerant, in Venetorum Alpinas regiones irrumpens Roboreto capto incensoque Tridentum sese recepit. Robertus

Impulsas turbare Alpes et Rhætia saxa: Robertus Sanseverinates.
Adriacam sponsam et Venetas iuraverat undas
Non nisi vastato patriam remeare Tridento;
Sed nostra virtute minor quibus institit undis
Pugnando submersus obit; Friderichus ab illa Friderichus.
Strage ingens dici potuit; cui filius armis Maximilianus Austrius.
Inclytus accedit. quo, Maxmiliane, fugaces
Egisti Venetos! quique has paulo ante per urbes
Immisere tibi bellum totoque cruentas
Miscebant Latio strages, mundique vocabant
Se caput et magni dominos maris esse ferebant,
Nunc victi fusique armis te supplice voto Afflicti Veneti.
Deposcunt veniam dextrasque et brachia tendunt,
Dant aurum legesque petunt, et fœdera pacis
Cuiuscunque ferent: tu fixo pectore blandas
Aversare preces: quid enim non ante petebant
Quam tuus aeria miles descenderet Alpe?
Ille autem indomitus per multa pericula Gallus, Galli victi.
Aspice, mutato luat ut sua crimina vultu
Perfidiamque suam! coeunt in fœdera Galli
Hinc inde et Veneti: quis te satis esse duobus
Posse putet? quis non quenquam tibi crederet horum
Aequalem, quos tu coniunctis excipis armis
Evincisque simul? Ea sit Germania semper,
Sic crescat, ferat his ducibus nomenque decusque,
Virtutique patrum contendat laude recenti

Sanseverinas, Veneti exercitus dux, a Roboreto, ubi cum fortissimo filio fortissime pugnaverat, Tridentum expugnaturus pontem ex navibus fieri iusserat, apud quem ipse, cum equites suos, quos Germani milites de montibus inrumpentes ad summam perturbationem redegerant, in ordinem ac pugnam reducere vellet, undis submersus periit. Tridenti corpus paucis post diebus repertum summis cum honoribus sepeliverunt. Epitaphium Roberto scriptum inter Hutteni epigrammata ad Max Cæs. 30. est. Cf. Iac. Diedi hist. Venet. I. lib. 12. *Le Bret Staatsgesch. v. Venedig* lib. XX. c. 4. vol. II. 2. p. 792. sqq.

1051 Rhetia *1...6.* 1055 Fridericus *2.* *Hoc et sq. lemma om. 3.* 1057 Maximiliane *3.4.6.* 1058 cf. exhortator. ad Maximil. in Venetos v. 12. sqq. Aegisti *1. 2.4.* 1062 Adflicti *3.* Cf. picturam exhortatorio ad Maximil. in Venetos præmissam. 1065 tu] Maximiliane. 1066 cf. Exhortator. v. 53. sqq. 1068 *Lemmata omnia usque ad v. 1222. om. 3.* 1070 in fœdera] Blesis d. 23. Mart. a. 1513. 1072 quenq.] alterutrum. Galli ad Novariam d. 6. Iun. a. 1513. ab Helvetiis Maximiliano Sforțiæ accedentibus Mediolanensem ducatum relinquere coacti, Veneti autem duce Liviano de victoria sua ante pugnam superbiente nonis octobribus ad Vincentiam cæsi sunt, amissis supra 4000 militibus.

Effectisque novis! Tu qui præclara tuorum — Ad Alberthum.
Facta legis quæ te maneant, Alberthe, sequentem
Tanta exempla, vides: urge et vestigia prende,
Nec sine te vinci; sed non sinis, et tua certe
Iam maior te fama viget propriaque superbum
Vicisti virtute genus factisque vetustum — Claritudo Alberthi.
Stemma novis et, quam cœpisti, nomina genti
Donasti meliora tuæ: te Marchia iactat
Miraturque suam revirescens Francia prolem,
Numine propicio et desueta ferentibus astris
Facta sui similis. Quo verget euntibus annis,
Aurea progenies, splendor tuus et tua virtus!
Quanta parabis adhuc, iam primo flore iuventæ
Egregios prægressus avos, dubitabilis ætas
Ut tua sit! Nunquam maiora in gaudia Rhenus
Rem venisse suam meminit quam te urbe recepto
Imperiisque suis, atque hac in veste superbus,
Siquid eges monitis, rigido hæc pronunciat ore:
'Macte ista specie, princeps meus, hocque favore, — Oratio Rheni ad Alberthum.
'Qua fulges, qui te recipit! servire negantes
'Ante tibi populi subeunt gaudentque videri
'Principe te famuli, quique ambitione receptos
'Spreverunt semper dominos, suffragia mittunt
'Accersuntque ultro. quis nunc, pulcherrime, tardat
'Quisve pudor gressu remoratur? age accipe votis
'Non ambita tuis, sed nostra prodita nutu!
'Dii tibi fœlices aditus, fœlicia donent
'Tempora successuque iuvent, quos tuque mereris — Votum pro Albertho.
'Dent annos, serventque animum, quem, cum ante dedissent,
'Viderunt qua fruge foret! tu fungere honorem
'Quem dii, quem fortuna favet, memorique reconde
'Pectore quo venias, neve ulla oblimet inertis
'Segnicies luxus! tibi nunc a Cæsare primo — Alberthus post Cæsarem primus.
'Tradita magnarum curanda negocia rerum.
'Nec tibi fœmineos populos luxuve supinos — Populi sub Albertho.

1083 cepisti *3.5.6.* 1087 sui sim.] quæ antea degeneraverat. 1090 qui ita prægressus avos es, ut non adulescens sed rerum gestarum gloria confirmatæ ætatis vir habendus sis. 1092 urbe] Moguntia. recœpto *1.* 1093 veste] palla rerum Germanicarum picturis exornata. 1094 pronuntiat *6.* 1095 i. e. specie qua fulges, favore qui te recipit. ante servire neg. pop. tibi. 1098 recœptos *1.2.* 1102 n. prod. nutu] sponte bonoque animo oblata. 1110 cf. v. 430.

'Commisit fortuna regi, sed fortibus armis
'Assuetos Rheni populos Albimque ferocem,
'Hinc atque hinc rerum dominos, atrocia regna
'Vesterichosque alacres et nobilitate vetusta
'Elatos Francorum equites, præstantia bello
'Pectora, Vettranamque aciem, ditesque Doringos,
'Assuetumque malis Hessum, tibi Marchia paret,
'Si regnare scies, servitum Saxones ibunt,
'Nescia corda iugi. sentis instare periclum,
'Si non æqualem dederis te accessibus istis.
'Portio terrarum melior tibi cessit, habebis
'Arma, viros et opes regnique ingentis habenas.
'Tu civem patremque geras, unumque memento,
'Non tam his imperium populis quam exempla requiri:
'Iam tua vita palam intentoque exponitur orbi,
'Nec quicquam secretus ages, cunctisque videndus
'Summa tenes, nullusque tuum velare recessus
'Errorem poterit, manifesta per omnia pergis,
'In primisque sedes; iterum hoc meminisse iubebo,
'Exemplo statura tuo quæ regna capessis'.
Hæc Rhenus: Te flamma tui suffusa pudoris
Occupat ora, genas, et si promittere velles
Quanta animo concepta geras, quam magna voluntas, Alberti voluntas.
Non posset satis esse dies: facere omnia mavis,
Non vis spes augere tuas, promittere non vis;
Hoc unum in voto est, ut parcius ista gerantur
Læticiæ plausus, clamor, concentus, honores.
Tantus es, o princeps, et non vis tantus haberi?
Immo, ardete, viæ, pompa, vos plaudite, cives! Ad applausum.
Nunquam opportunum tempus magis ista poposcit;
Hoc desyderium est, hic est amor, illa cupido,
Hæc sunt vota, viri: vos obvia tendite læti
Brachia in adventum tanti ducis, omnia strata
Una, reple, vulgi facies, longoque moretur
Ordine turba vias; incendite lumina, flores
Spargite, quos nos fregit hyems, quæ gramina succo
Nondum exhausta manent! nihil intermittite quod vos

[1113] Alb.] Magdeburgensis etiam archiepiscopus est Albertus. cf. v. 609. [1115] cf. v. 199. [1117] Wetterauer. [1118] Ass. mal. H.] historice ac prophetice. [1120] iuga ferre nescii. [1136] spes tuas] in te conlatas. [1140] Imo *3.5.6.* [1141] desiderium *2.3.5.6.* [1147] Festum agitur exeunte mense Novembri.

Lætari doceat, quales, cum sedula mater — *Comparatio.*
Ales abit pastum iam primo oriente, reditque
Sera, ferens pleno miseris solamina rostro,
Impasti exiliunt pulli quassantque frequenteis
Adversum pennis nondum velantibus alas,
Mutuaque inter se læti certamina sumunt
Qui primos ferat ore cibos, et colla subaptant
Matris in occursum: vos haud secus ante cupitum
(Venit enim) captate ducem, solatia vestris
Arripite impleti curis, arcessite dignum
Hoc desyderio munus. Tu te obvius apta
Fortunisque tuis indulge, occasio præsens,
Ne sine dilabi, versatur: an, optime princeps,
Ne timeare times et non vis esse molestus?
At nobis, nisi te das, illa molestia surgit. — *Exhortatio.*
Quid velles mansisse domi, tenuisse quietem,
Traduxisse annos vitæ Musisque tibique?
Non hæc conditio est pro te, tuaque altera sors est:
Hactenus indultum Musis placidoque labori
Privatim fuerit tempusque extraxerit illud
Docta quies nobis; nunc te ad maiora vocari
Fata iubent splendorque tuus iam cognitus ante
Quam visus notusque fores, illa aula docebat
Infanti reptata tibi, documenta futuri — *Infantia Alberthi.*
Tunc quoque magna dabas, tua plane infantia tantæ
Virtutis præsaga fuit; prima extitit ætas
Indicio, nam cum spacio Lucina peracto
Depositura foret maturi pondera ventris,
Excepere deæ puerum Nymphæque frequentes
Collusere tibi et quas imposuere coronas
Pontificale decus iussere apicemque futurum
Signare, et quæ fata forent, nota esse iubebant.
Continuo studiis tu te committis et artes — *Pueritia Alberthi.*
Tendis ad ingenuas, nec conversantibus usquam
Moribus offendi sinis; et cum primum erat ætas,
Omne inquirebas scripti genus, illius ergo
Accisti doctos submissa fronte magistros,

[1159] desiderio *2.4.* [1172] Patrem Albertus a. 1499. amiserat, matrem 4 annis post, bonis litteris puer clericali ordini destinatus studiose incubuit fratrique in academia Viadrina instituenda omni consilio adfuit. [1177] Excœpere *1.2.* [1190] cf. v. 609.

Historiasque loqui tecum, veterumque volebas
Acta ducum semper legere, atque audire paratus
Quod mores ornare tuos, quod comere posset
Ingenium docilesque animi protendere vires.
Quid, cum Saxonicus iam lectus episcopus esses, Laus ab officio.
Erexisti animum subito et rerum humanarum
Corde relegasti curas, cui deditus esses
Officio certus, contempsistique fugacis
Molle voluptatis studium: non optio solum
Hæc probat Alciden, etiam tibi blanda Libido Hercules
Astitit omne ferens placidum excłusoque labore Voluptas ad Alberthum.
Obtulit illecebras et dulcis amabile luxus
Commendavit opus, tibi soli vivere iussit
Extra animi curas: 'quid enim, nisi noveris uti,
'Divitiæ facient?' inquit, 'tu præmia tantæ
Arripe fortunæ, satia te dotibus illis;
'Dura fuge (hæc ultro venient), nec te ange, sed aufer
'Quæ potes hinc tecum, mors, qua te accesserit hora,
'Finiet omne bonum, ne prætereuntia perdas,
'Utere temporibus, solus qui implevit hiantem
'Deliciis animum vixit; nec ad ardua duco,
'Quam tero lata via est'. contra astitit aurea Virtus Virtus ad Albertum.
Mandans dura pati; 'ne fide abeuntibus' inquit,
'Ut perdas meliora bonis, non longa voluptas
'Quam feret hæc ætas, æterna incommoda ducet;
'Ipsa quidem in medio cursu fugit optima secum,
'Dum linquit peiora, ferens; breve tempus et instans
'Exitium vita illa dabit; ne sperne labore
'Parvo magna sequi: nam si contempseris huius
'Luxuriam vitæ, te amplissima multa sequentur
'Durabuntque diu: tu quantum a corpore cedes,
'Tantum animi cultus, tantum cœlestia tanges,
'Agnoscesque deos, et ne non præmia ponam,
'Gloria, fama, decus, nomen, monumenta dabuntur'.
Dixerat: extemplo durum virtutis amore
Puber adhuc ingressus iter melioribus omnem
Aptasti curis animum: quis castius alter, A pudicitia.
Quam vivis, loquitur, quisve impollutius alter,

1195 Prodici sophistæ fabulam de Hercule inter Voluptatis Virtutisque vias videsis ap. Xenoph. mem. II. 1. Cic. de off. I. 32, 118. Sil. Ital. Pun. XV. 20. sqq. Lucian. somn. (Themist. orat. XXII.) *etc.* 1218 premia *1. 2.*

Quam loqueris, vivit? quis cautius ocia vitat
Officii memor? aut quis plus prodesse laborat?
Hinc vos, o statuæ (neque enim vivique virique) In quorundam luxuriam
Pontifices, oculos advertite, vita petatur
Huius ab exemplo! vos in præsentia tantum
Proclives animis vitam consumitis omnem,
Ignari quæ vos deceant, venatibus apti
Ociaque infami secordia ducere somno,
Vina, dapes, choreas, cantus bona summa putatis;
Pascitis ingluviem; quid, quod dixisse pudendum
Huic foret, at vobis etiam fecisse decorum,
In Veneris ludum et fœdas descendere sordes?
Non possum laudare bonos rectumque tueri,
Non odisse malos crimenque incessere lingua.
Horum isti nihil est: in relligione diurnas A cura religionis.
Nocturnasque vices disponit et anxius ambit
Officio satis esse suo; non ille ministro Vide singularem laudem
Committit peragenda sibi sua sacra, videtis
Admota tractare manu proprioque canentem
Ore deum laudes. Cui mens fuit ista priorum,
Cuive istud studium, similisque in rebus agendis
Sedulitas? primo ingressu collapsa tot annis A sedulitate.
Restaurare parat. quis munera largius unquam A liberalitate.
Dispersit, cum tempus erat, quisve inter egenos
Profudit tam lætus opes? quis sæpius artes
Affecit lucro et meritis bene dona rependit?
Surgite, Virtutes, experrectæque reverti
Usibus humanis gaudete! immensa merenti
Præmia proposuit. despecta, attollite rectas
Cervices, Studia, et redivivam apprendite palmam!
Invitat precio virtutem et moribus altum
Egregiis aperitur iter. Clementior illo A clementia.
Non fuit, insanam cohibere tenacius iram
Qui posset stimulosque suos arcere premendo:
Quis videt iratum? neque tunc cum audita fuisset
Causa Pepercorni tetrique adaperta veneni Pepericornus Iudæus tinctus.
Scrinia in exitium sibi facta suisque videret,

[1226] Hi versus Febris dialogi quasi prodromi sunt. [1231] Otiaque *6.* [1238] *Hoc et sq. lemma om. 3.* religione *6.* [1247] Cf. vol. I. p. 105. num. XXXIIII. [1250] experectæq; *5* [1252] Premia *1. 2.* [1254] pretio *6.* [1259] Cf. supra p. 347. v. 83. p. 349. §. 3. Pepericornus *in lemmate habet 3. sequentibus lemmatis omissis.*

Pro causa doluit; quodsi miseratio haberet
Hac in fraude locum, potuit vel tollere pœnam
Vel lenire modo. Dic, nunc cur ista recuses
Tam merito præstata tibi? cur plaudere vulgum
Et clamare vetes, lætosve inferre triumphos?
Aut sæpe ista feras, aut sis non talis oportet:
Sis tamen et sæpe ista feras: tibi carmina promant,
Te festo clamore notent populusque patresque:
Qui meruit, bonus est, non qui detractat honorem.
Tu quoque nativum blando moderare rigorem | Ab affabilitate.
Affatu, moresque tuos ex tempore dulci
Temperie misces: hinc factum, ut amabilis esses,
Utque tuis charus. Ne circunstantibus armis | A gratia et amore apud omnes.
Excubiisve ducem, cives, defendite vestrum:
Hoc melius præstabit amor: quis tenderet isti
Insidias animo? aut quæ non iam ingressa rediret
Fraus perculsa retro? nemo est qui te oderit, omnes,
Hi quoque quis gravis illa potest fortuna fuisse,
Natura suadente colunt; et si ipse requiras,
Unde suus sit cuique favor, tam tu ipse fereris,
Quam virtus tua, causa rei; tua gratia fines
Expaciata suos extrema per omnia venit.
Huic aliquem poterat non omninoque pudendum
Suffecisse loco Rhenus, quot obambulat urbes,
Quot populos, et se vicina a gente tueri?
Venit ab extremo qui cætera vinceret Albi
Spectatæ virtutis honor; suffragia solvit
Ambiguis tua fama viris, fama illa tuorum
Nuncia parca operum, quam tu maiora ferendo
Ostendis non esse parem virtutibus istis.
Cui non fama ingens multorumque ora tulerunt
Dignum aliquid meritis, huic nos æquale feremus?
Mole gravor rerumque immensum panditur æquor:
Centum in te linguis centenoque ore sonandum,
Utendum Phœbo quæque augent omnia Musis,
Immensasque foret vires consumere dignum.
Nunc satis est celebri venientem inducere plausu

1262 potuit] i. e. ea fuisset animi clementia, ut tolleret pœnam *sive* si per iustitiam licuisset, aut non aut levius quam factem est, Iudæum puniisset. 1273 circumstantibus *2. 6.* 1276 i. e. quæ iam ingressa non rediret. 1282 Expatiata *6.* 1287 suffr.] cf. ad v. 139. 1289 Nuntia *6* 1291 centenoq3; *5.*

Læticiaque ornare diem cantuque iocisque:
Quod nos non pigeat, quod tu fœliciter omen
Accipias possisque omnes meminisse per annos!

SYNCERITER CITRA POMPAM
ZELO VIRTVTIS.

Syncæriter *1.2.* Sinceriter *6.*

VLRICHI DE HVTTEN
EQVITIS GERMANI
IN MISERABILEM
IOANNIS DE HVTTEN
GENTILIS SVI
INTERITVM
DEPLORATIO.
[*a. 1515.*]



AD LECTOREM EDITOR.

Communis fere eorum qui lessum funeris causa faciunt et maxime qui consolatione solatiisque luctuosos parentes adficiendos student sors fuerit quædam argumentationis ariditas inmatura doloribusque acerbis et interioribus auditoris animi cruciatibus parum congruens eloquentiæ, sive loquacitas ea est, gravitas: in primis autem pallium philosophicum eis qui miseriis haud reparabilibus urguentur, ab aliis superiniectum frigidam durum fatum lugentis animi vestem esse omnes consentiunt. nihilo vero magis et veteres et recentiores ab eo vitio sibi cavere videmus, inque idem nostrum quoque incidisse, qui ipse nondum expletis legis Plætoriæ annis nimiam sapientiam doctrinamque adhibuit, quasi alterum Senecam audires, ut senem gentilem suum, strenuum quidem honestumque equitem, sed rudem a doctrina hominem et (qui huius generis etiam tum communis mos erat) evitato litterarum ingeniique cultu cottidianis suis, familiaribus ac gentiliciis utilitatibus deditum virum, de filio ornatissimo crudeliter interempto eoque ipso tempore misere ex hac vita erepto, quo prorsus magnificam felicitatem incohasse videri poterat, iustis versibus heroicis, omnibus præceptoris laudibus dignis, consolaretur. Quæ utut vera sunt cum de hoc carmine tum de consolatoria epistula ad lugentem patrem kalendis Aug. a. 1515. ex arce Steckelbergia missa (vol. I. p. 46. sqq. num. XXVII.), ita, ne claudicet de his scriptis sententia, debemus non neglegere quod ipse Huttenus ad amicum Fuchsium paullo post carminis conpositionem Moguntiæ idibus Iun. a. 1515. (vol. I. p. 41.) scripsit, „nos ex officio ac pietate interemptum deploravimus carmine quod ad te mitto, tali quale mœstissimo tempore condi a me potuit: debebam hoc iuvenis innocentiæ: debebam patris illius immensæ erga me benignitati, nec minus Huttenorum nomini, cuius tam insignis hoc scelere contemptus est quæsitus". similia etiam statim ut horrendum nuntium diutino morbo laborans Huttenus in thermis Emisensibus acceperat, litteris ad Marquardum de Hatstein datis (vol. I. p. 39. sq. num. XXV.) humanissime professus est. itaque naso licet hæc consolatoria scripta suspendas, bene meritam scriptori laudem non denegabis.

De reliquis ad Virtembergensis ducis scelus spectantibus scriptis, quæ passim in singulis nostris Huttenianis voluminibus occurrunt, huius loci non est monere: carmina tantum duo minora illud perstringentia, quorum alterum ante, alterum post Orationes in Ulricum ducem sedet, ne iterem, memorabo, i. e.

AD LECTOREM. „Telorum veniat quanquam id genus *et c.*
volum. V. p. 2. et
AD LECTOREM DE SE ET LIBRO. „Non odisse librum, potes hunc odisse *et c.*
ibidem pag. 96. exhibitum.

In adnotatione hisce signis usus sum: *1.* = Indic. bibliogr. Hutt. num. XXIIII. 1. 𝕮 *2.* = ibid. num. 3. *3.* = ibid. num. 5. *H.* = Huttenianæ emendationes, de quibus dixi ad XXIII. 5. — Eobanus Hessus (Ind. bibl. Hutt. num. L.) hanc deplorationem omisit, itaque etiam a Grutero in 'Delitias poet. Germ.' (ibid. num. 61.) non recepta est.

VLRICHI DE HVTTEN
EQVITIS GERMANI
IN MISERABILEM
IOANNIS DE HVTTEN GENTILIS SVI
INTERITVM
DEPLORATIO.

Ergone post varios, iuvenis miserande, labores,
Post casus morbosque meos seriemque malorum
Tu luctus mihi causa novi? tu causa querelæ
Sic confectus eris? nec adhuc inimica facessit
Lædendi Fortuna modum? quæ si omnia vellet
Invidia mutare mei, te turbida in uno
Debuit esse minus, nec in hoc temeraria dici.
Seu Fatum hoc loquimur, seu Sors quæ te abstulit hæc est,
Indignum tulimus, nec vidit acerbius ullum
Aetas ista nefas: nam quo tu insontior esses,
Hoc pressit graviore malo, simul omnibus usa
Sævitiæ numeris. Et nos regnare putemus
Usquam aliquos aut esse deos, trepidique feramus
Non audituras devotum munus ad aras?
Tu tamen innocuos mores vitamque secutus
Sperasti meliora deos, nimiumque solebas
In pietate tua subitos contemnere casus.
Quid iuvat insontem vixisse? eadem omnia pravis
Cum sint atque bonis: non est dignoscere qua nos
Solemur mercede pii, metus omnibus idem
Atque eadem spes est, errat discrimine quisquis
Innocuos locat atque malos vitæque necisque.
At tibi simplicitas horum causa una malorum.
Ex te censueras alios unamque putabas
Omnibus esse fidem, quoniamque his ipse careres,

' Ulrichi Hutteni *2*. [1] Ergo] Cum planctu erumpit mæstitia. [3] novi] post Eitelvolfi a Lapide mortem. [4] nec adh. in. fac.] et quæ etiam nunc inimica manet, quotiens potest a lædendo non abstinet. [8] Fatum, cæcum; Sors a deo destinata. 'fati sortisque futuræ' coniunxit *Verg.* Aen. X. 501. [13] alios *3.* [19] Cum sint *corr. H.* Cedunt *1. sqq.* [19.20] nos Solemur *corr. H.* se Solentur *1. 2.*

Credebas non esse dolos. hinc illa tuorum
Mœstitia est, hinc ille dolor lachrymæque coactæ
Et, quas non fortasse capis sentisve, querelæ:
Quæ tibi causa necem, nobis quoque movit acerbos
Morte tua luctus: quid enim luctabile vidit
Teutona terra magis vel quid se indignius unquam
Quam tua cum virtus pœnam invenisset et acre
Supplicium probitas, et quæ tu infanda tulisti?
Ah poteras tantum esse bonus? confidere tantum
In diis, in pietate tua? nec te ille tyranni
Admonuit vultus truculentoque horror in ore?
Nec dedit ille tamen tanti non signa furoris
Sæpe prius? tu, te illæsum fore, moribus istis,
Sperasti, quodque in multos ferus ante fuisset
Cuique dabas culpæ, tantum hunc deceptus amabas?
Quid quod te oppositum mediis in cædibus hosti
Pro duce nulla tuo vitasse pericula dicunt?
Illum aut tentantem pugnas aut pace fruentem
Spectasti proprior, tum sæpe a clade reductum
Servasti infelix, ut qui te perderet esset.
Nulla dies sine te, sine te nox nulla videbat
Aut somnos carpentem aut quicquam in rebus agentem;
Ipse quoque invictum sibi te iactabat amicum
Perfidus et magno simulabat amore teneri:
Hæc fraus prima fuit, te primum hac arte petebat,
Quodque pudet dici, nos hæc commenta faventeis
Atque istum cepere patrem. neque causa dolendi
Credulitas tua sola fuit: speravimus omnes
Credidimusque omnes: te procubat error in unum,
Et, quæ multorum est, in te unum pœna resedit,
Nacta errore locum: quid enim proh Iuppiter istis
Moribus indignum pœna magis? Has ego fundam
Nec possim ulcisci lachrymas? hæc vulnera tangam,
Te, scelus, incolumi, neque diis quicquam excidet æquis
Qua mercede luas tanti delicta furoris?
Quo tu igitur, furiose, nefas committere ductu
Aut qua spe poteras? vel quæ te immanis adegit

45 Pacuvi apud *Suet.* Cæs. 84 cf. Orat. I. in duc. Virtenp. §. 100. 46 Ita Wingfieldi quoque epistula quam dedimus vol. V. p. 506. 48 iactavit *5.* 51 faventes *3.* 52 istum p.] ad quem hæc deploratio scribitur. 54 error quasi noxium corpus in te unum inruit. 56 Iupiter *2. 3.* 58 lacrymas? *3.* 59 Te] duce interfectore. quidquam *3.*

Vipereas molita comas et verbera collo
Tisiphone? aut obiit soror huncce Megæra laborem?
Quæcunque est quæ te Furiarum his ictibus egit
Ad scelus, haud unquam peiori excanduit æstu
In genus humanum, te totum invertit et uno,
Quo maius nequeas, crimen committere iussit.
Ah potes has violare manus, ex hoste salutem
Quærere quæ studuere tibi? potes in caput istud
Exerere hostiles gladios, vigilantius ullum
Quo non compertum est pro te? potes, impie, tantam
Non spectare fidem, sub qua fidutia fixa est
Summa tibi? potes hoc ferro configere corpus,
Quod corpus servare tuum, se opponere nullis
Non discriminibus consuevit, ut integer esses,
Tutus et incolumis? Non hoc pro munere reddi
Debuit exitium. Sed te neque sanguine natum
Humano perhibenda fides, neque carne coactum:
Quæ genuit fera mater erat, quæque ubera parvo
Præbuit Hyrcana quiddam de tigride suxit,
Sævitiam factura tibi, factura furorem;
Credibile est atras etiam nutrire leænas
Ingenio quiddam cognatum et moribus istis,
Aut aliquo serpente satum, quem dira Cyrene
Fœta venenoso solita est producere partu.
Te Rhodope, te tristis Athos Riphæaque cautes
Edidit, aut Scythici borealia murmura Tauri
Caucaseæque nives et desolata pruinis
Hercinii nunquam nemoris iuga, quæque patenteis
Exonerant terras nebulis et nubibus Alpes.
Infera te rabies misit, te mater Erinnys

---

[64] Tisiphone] una ex tribus furiis ,,Continuo sontis ultrix accincta flagello Tisiphone quatit insultans torvosque sinistra Intentans anguis vocat agmina sæva sororum". *Verg.* Aen. VI. 570. sqq. "Sæva Tisiphone caput Serpentibus vallata". *Senec.* Herc. fur. 984. hunc *omnes. correxi* huncce. Megæra, *Μέγαιρα*, ,,Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ, Quas et Tartaream Nox intempesta Megæram Uno eodemque tulit partu paribusque revinxit Serpentum spiris ventosasque addidit alas". *Verg.* Aen. XII. 845. sqq. Cf. *Cic.* de LL. I. 14,40. [73] fiducia *2. 3.* [81] cf. *Verg.* Aen. IV. 367. Cf. Triumph. Reuchl. v. 528. [83] *Catull.* 64, 154. ,,Quænam te genuit sola sub rupe leæna?" atras] *non tam ad colorem quam ad sævitiam refertur.* [85] Cyrenaica, locustis magis quam serpentibus obnoxia, pro Africa, quæ tota serpentium nutrix, h. l. nominatur. [87 sqq.] Ferorum saltuum montiumque exempla. [90] patentes *3.* [91] Exonerant] nebulas et nubes in sese contrahentes ab illis liberant adiacentes regiones. [92] Erinys, furia, animos homi-

Invisam terris sobolem produxit et ira
Implevit tumida pectus sentosaque diris
Ilia criminibus: te nil crudelius unquam
Odrysiæ peperere nurus; tu pessima quintæ
Progenies Lunæ, tu Terræ filius, omni
Centimano ferior, Typhoeo immanior omni,
Quid faceres, qui te ferro petiisset et arma
Ferret in exitium iurata tuumque tuorumque,
Aut qui pacta, fidem tibi falleret, aut tibi furtim
Fraudem intentasset? patereris acerbius hosti
Qui te obiecisset, per quem tu proditus esses?
Innocuos adeo mores et fraude carentem
Invasisti animum, qui cum tibi cuncta dedisset,
Pro te cuncta tulit, sed nec decor ille iuventæ,
Hæc movit species. Dabis hoc, Germania, corpus
Pulchrius unquam aliquod, aut qua compagine vinces
Membrorum hos habitus, aut se speciosior ista
Ostendet terris facies? dabis in meliori
Corpore maiores animos factisque fideque?
Quas pugnas gesturus erat, quæ bella parabat,
Quam patrias auxisset opes! fuit indole ab illa
Spes patriæ livorque hosti. Quod cum ille videret
Flore vigens primo secumque immensa pararet,
Abs te orditus opus teque est conversus in unum
Quem sibi demereat, sub quo primæva relinquat
Virtutis monumenta suæ: comes ille tuorum,
Ille operum socius, neque tu quenquam ante locabas,
Spectatamque fidem et studium, scelerate, probasti.
Et iam se his gradibus cuncta ad maiora ferebat,
Cum tu has obiiceres furias cursuque bonorum

---

num in furorem et atrocia facinora inpellens. [94 sq.] sentosa ilia] horridus animus. [96] Odrysiæ (i. e. Thracii regis Terei) uxores, Philomela et Procne Itym filium patri epulandum adposuere („Flet Philomela nefas incesti Tereos, et quæ Muta puella fuit, garrula fertur avis". *Martial.* XIV. 75. „Quas illi [Tereo] Philomela dapes, quæ dona pararit". *Vergil.* ecl. VI. 79.) Cf. dialog. Phlarism. §. 29. vide *Hygin.* fab. 45. cf. infra vv. 244. sqq. et Phalarism. l. c. [96. sq.] quint. Prog. Lunæ] *i. e. infeliciter nati.* Cf. *Verg.* Georg. I. 277. *Hesiod.* Opp. 802. *Ita i. f. principis edit. Epp. O. V. vol. II. est:* „Quinta luna Obscuros viros edidit". Etiam *Quarta luna natus, τετράδι γέγονας* dicebatur cuius vitæ principia male auspicata essent. *Zenob.* VI. 7. *Apostol.* XVI. 34. *Cognati* syll. v. *ἐν τετράδι γενηθῆναι.* Terræ fil.] Cf. vol. IIII. p. 271. §. 3. [98] Centimano] Ægæone et Briareo. Iliad. I. 402. sqq. *Verg.* Æn. X. 565. sqq. Typhœo *1. 2.* Typhæo *3.* Tartari Terræque filius centiceps. cf. e. gr. *Hygin.* fab. 152. [119] quemquam *3.*

In medio raperes? at non tamen ille timebat,
(Nam te quid timeat qui sic amet?) usque supremam
Credidit infelix tibi, nec diffidit ad horam.
Hoc poteras celare nefas, sic fallere amantem
Tunc quoque cum cæsurus eras? præfatus amicum
Abduxisti inopem fraudis tuaque ille secutus
Iussa celer cadit ante diem interruptaque linquit
Per scelus ampla tuum. da quod te auferre dolemus.
Et patriæ spem redde suam, positoque dolore
Nos temere flevisse refer, mentem omnibus affer,
Ut tua facta infecta putent, contingat ut istum
Frustra adeo luxisse patrem falsoque peremptum
Crediderit natum: sed nec te reddere velle
Sublatum nec posse fides! ah quæ tibi tristis
Innata est rabies, quæ tam exagitavit acerbos
Dira ferox animos? Sol, qui iustissimus omneis
Aspicit eventus, media inter nubila cæcos
Occuluit vultus pallentique abstulit omnem
Ore diem, fugitque nefas voluitque reverti:
Et poteras, si non curru semel ante reducto,
Phœbe, Thiestææ damnasses prandia mensæ,
Tunc poterant mutata retro passim omnia ferri
Tristitiam testata novam: tunc sydera lumen
Obscurare suum et solito, immanissime, cædem
Aversata tuam desistere flumina cursu;
Humanum miserata genus sunt numina, fraudi
Non parsere tuæ. Vos nunc, matresque virique,
Flebitis extinctum; quanta est Germania, tristeis
Induat affectus, se destinet undique luctus,
Omnia conturbans; nullas non ille puellas
Morte tua, iuvenis, moveat dolor, ite frequenti
Circum hæc busta choro, lugubrem inducite pompam
Passo crine omnes et pullis vestibus omnes,
Virgineumque arcete decus, nec ferte coronas
Comptæ aliquas, isti nisi quid iactare sepulchro
Est honor (atque honor est), violas cumulate, Napææ,
Et molles cumulate rosas, tum lilia plenis

---

[126] cælare *omnes posito? post* nefas *sed non post* eras. [138] omnes *3*. [142] cursu *3*. [143] De Thyestea mensa cf. dial. Phalarism. §. 20. adnot. [144] passim *corr. H.* subito *1. 2.* [145] sidera *3.* [150] q. e. Germ.] cf. Triumph. Reuchlin. v. 5. tristes *3.* [152] conturbans *corr. H.* conturbet *1. 2.* [155] pulla vestis h. l. luctus, non sordidi generis indicium est. [158] *Ναπαῖαι*, nemorum nymphæ.

Ferte deæ calathis, hæc ornamenta supremo
Mandentur cineri; manes aut ante sepultos
Ista superstitio iuvat aut censenda iuvare est.
Plangite, Francorum proceres, effundite fletus,
Et quos Mogus adit populi, et quos Dubera rauco
Amne celer iuxta est, et quos Begnisus inundat,
Quos parvi secat unda Salæ, sparsique bibentes
Flumen Iacchisti, vos qui sulcatis aratro
Vitiferi ripas Kocchi, quos Sinna pererrat
Hutteno lapsus nemore atque e montibus illis,
Quod iuveni genitale solum, contendite luctu
Et mœstum celebrate diem; vos, flumina, tanti
Flete viri casum: tu, Suevice Neccare, regi
Nuntia fer Rheno; tu, Rhene irate, superbas
In scelus hoc iras exerce et fluctibus arce
Si quam comparat ille fugam; tu fœdius isto
Vera tulisse nihil fama est, ergo omnibus edic
Tristitiam Nymphis et quæ tibi numina circum
Herbiferos colles et mollia gramina servant,
Quæ saltus fontesque colunt vallesque virenteis;
Nusquam aliquis toto Satyrus se exerceat anno
Ante tuas saltator aquas, neque misceat ullos
Nympharum tua ripa choros. siqua ultio poscit
Vim contra scelus hoc, tum duc in bella feroces
Teutoniæ populos, nulla ut vicinia possit
Dedecus hoc nobis impuni adscribere culpa.
Sit vindicta neci, motique exurgite Franci,
Invictum virtute genus, reparate superbam
Nominis invicti laudem; Germania, vestram
Iam toties experta fidem, suspensa tuetur
Qui velit ulcisci. neque enim hæc iniuria solos
Spectat ad Huttenos, Francorum e milibus unum
Ista pati commune malum; dehinc sanguinis huius
Non minimo fuit ille loco. Ne quærite gentis
Facta retro nostræ, nisi quid cessavimus unquam

[161] *pro* ante *quod cum 3. ut versus sibi constet, dedimus*, una *habent 1.2. quod spondeum, ut nec* urna, *Huttenus non scripserit.* [164] Mogus] *Main.* Dubera] *Tauber.* [165] Begnisus] *Pegnitz* in *Regnitz* fl. vese effundens. [166] Sala] *fränkische Sale.* [167] Iacchistus *Iaxt.* [168] Kocchus *Kocher.* Sinna *Sinn.* [169] Hutten-Thal und Wald *prope* Solitariam, *Schlüchtern.* ex *3.* [172] Neccarus, Nicer s. Niger Latine. [179] virentes *3.* [181] misceat *corr. H.* conciat *1.2.* [182] poscit *corr. H.* possit *1.2.* [184] poscit *hic quoque 3.* [191] ex *3.* millibus *2.3.*

Nativum cumulare decus factisque decoris
Egregiam vobis laudem et memorabile nomen
Quærere: si rupta miscere necesse tumultus
Ante quiete fuit, pacique immittere bellum,
Si vos ira prius, si qua indignatio movit
Ulcisci autores scelerum, hic tempusque deusque
Arma volunt, Equites. an hoc iste patrarit inultum,
Cum sint hæ vires? ita vos contempserit ullus,
Ausus ut hoc fuerit? vel postera dixerit ætas
Francum orbis quondam domitorem a fortibus actis
Degenerasse patrum mollesque inducere mores
Segnitiemque novam? certe hæc vos causa pudendo
Afficiet deserta probro, defensa superbo
Extollet decore et factis æquabit avitis.
Nec magis hic meus est clamor quam sanguinis huius:
Insontes hoc agunt manes, nec desinet unquam
Flebilis umbra queri, dum vos ultricibus armis
Iusta parentetis, tumulumque hostile cruentet
Corpus et iratum soletur victima bustum,
Inferiæ mœsto cineri. Vos moverit iste
Præterea luctus et quæ ploratibus auras
Anxia turba ferit, pater hic mœstique perempto
Fratre pii fratres, soror et mœstissima coniux,
Quique propinquorum grex est equitumque catervæ.
Quid miserabilius, quid conturbatius unquam
Hoc sene vidistis? num spes huic ulla superstes
Ex tanto mansit cumulo? namque omnibus istum
Ante bonis tulerat miser, hæc solatia fessis
Rebus alens sperabat opem effœtæque senectæ
Præsidium optarat; plenis læta omnia votis
Hinc sumpturus erat, tantum spectarat in illa
Indole virtutis, fuit inclinare voluntas
Robur in hoc defectum ævum viresque caducas.
Ah frustra speratum ægro! tu, frivola, falso es,
Sors, blandita seni. sed et hæc nil certius abs te
Spe suspensa tulit, sedet en mœstissima coniux
Dimidiumque sui queritur miseranda iugali
Sola relicta thoro: tum vix gustata voluptas

---

[200] decusque *3.* [208] fact. avit.] *ut* honores avitæ laudis *Lucan.* ad Pis. 33. [217] mœstiss.] ita etiam v. 230. mœcha *rectius hæc diceretur. Cf. oratt. in duc. Virtenp.* IV. V. [221] aptarat *edd., corr. Hpt.* [228] At (*pro* Ah) *3.* [230] cf. ad v. 217. adnot.

Occurrit raptique ioci interruptaque cursu
Gaudia præcipiti et nondum satiata cupido,
Sed rapto succensa animo viduataque dulci
Infelix consorte dolet, nec amabile carmen
In medio versat luctu. sic mœstus adempta
Affligit se turtur ave fletuque fatigat
Et querulo frangit gemitu solusque relicto
Considit nido desertisque involat umbris
Amissa lugens socia, nec iam appetit ullos
Ultra concubitus, nudoque per arida ramo
Prospicit et turbante sitim restinguit ab unda;
Nec questu graviore sonans lachrymabilis implet
Commotum Philomela nemus mœretque canendo
Threicium pia mater Itym. Quis credere posset
Tot tam triste bonis sese obiicientibus ultro
Irreptum ire malum et media inter læta repente
Turbatum induci tempus, fallace sereno
Qualia contecto involvunt se nubila sole
Ereptumque diem infuscant? Quas anxia fratrum
Turba movet lachrymas? quas non affecta minori
Mœsta dolore soror? Talis se funere planctus
Movit ab Hectoreo tunc cum miserabilis auro
Cæsa redemisset genitor sua pignora, circum
Orba sedet mater, sedet implacabilis uxor
Et nullo lachrymas fletu minuente sorores,
Evelluntque comas et tonsæ pectora palmis
Ungue genas lacerant; miseri lugubria fratres
Corpora in igne locant flammisque rapacibus urunt
Spes patriæ Danaumque metus, tota urbe vagatur
Mœror, ut exclusis dubites stare integra Grais
Pergama et intra ipsos quæras arma Attica muros;
Iliades plangunt matres patriæque perempto
Præsidio cives, uno sese omnia planctu
Atque uno clamore movent, Sygæa refundunt
Littora quos capiunt sonitus. Nos segniter isti
Si teneant motus atque hanc torpente fleamus
Tristitia cladem, poterunt sylvæque feræque

---

[235] succisa ? *Hpt.* [244] sonat *H. sec 3.* lacrym. *3.* [245] Philomena *1.2.* Cf. ad v. 96. adnot. [252] lacrymas, *3.* [253] v. 253. sqq.] Cf. Odyss. XXIIII. i. f. [257] lacrymas *3.* [262] Mæror *3.* *recte, sed contra auctoris consuetudinem.* Grajis *3.* [266] Sigeum Troadis promontorium, ubi ostia Simoentis. [269] silvæque *3.*

Et super attonitæ poterunt deflere volucres;
Hic potis Alpestres dolor intervertere rupes,
Hercinium mollire nemus; miseratio duras
Moverit hæc cautes, iratum exciverit æquor
Adriacosque in se fluctus: te, perdite, nullæ
Impellunt lachrymæ, nullis ploratibus iras
Ponis, ut exoneres possessam crimine mentem
Corque capax scelerum; sinis incrudescere multo
Contractum livore malum, nec abire facultas
Qua cupias rabie, tantum hic efferbuit æstus.
Quæ se igitur species qua tu mitescere possis
Tam mœsta obtulerit? iacet en miserabile visu
Ense tuo pulchrum hoc olim, nunc sanguine multo
Et quo versasti fœdatum in pulvere corpus:
Nec manet ille decor vel quæ fuit illa venustas,
Omnia sunt a se mutata, haud nosceret istam
Mens rediviva domum quamque inspiraverat ante
Carnem animus. viden' ut pallorem e corpore toto
Fugerit ille rubor? quales qui pollice flores
Virgineo quondam demessi languida mittunt
Paulatim folia et succo arescente recumbunt
Dissimilemque sui præbent faciemque coloremque,
Haud manet ille vigor priscus, neque surgere flacco
Caule queunt: heu turpe nefas, heu infanda nec unquam
Visa prius feritas, quam nulla agnoverit ætas!
Hanc tibi mercedem dederit tua candida virtus,
Insontes dederint mores! miserere, deorum
Quem magis ista movent! sinis an superesse nocentem
Qui tam sponte nocet, nec in has erit ultio fraudes?
At te hostile nemus, iuvenis, sontesque tenebunt
Cæde tua terræ, nec quæ tibi clauderet istos
Expiranti oculos coniux fuit aut tibi lumen
Poneret admotæ refugo iam sanguine dextræ,
Diceret extremum contacto vertice murmur,
Mundaret tumidas absterso sanguine plagas.
At nos, quæ superest pietas quæque una facultas,
Mittimus inferias, et siquid thura precesque

---

271 Alpestres] Alpinas. *solet aliquid audere poeta.* 275 Impell.] Immutant *corr. H.* lacrym. *3.* 285 a se mut.] *ut* 'quantum mutatus ab illo' *Verg.* Aen. II. 274. Mens red. d.] anima in suum corpus rediens. 285 Fugerit] i. e. fugarit. 293 turpe *1. 2.* triste *H.* 299 nemus] Böblingense. 301 Expirantes *3.*

Solantur cineres, pro te damus omnia mœsti
Omniaque obsequimur, neque si tua busta iuvabit
Tristis honor, deerunt lachrymæ fletusque tuorum.

DEPLORATIONIS
VLRICHI DE HVTTEN
EQ. GERMANI
IN MISERABILEM
IOANNIS DE HVTTEN GENTILIS SVI
INTERITVM
FINIS.

---

309 honos *3.* *Subscriptionem omiserunt 2. 3.*

TRIVMPHVS DOCTORIS REVCHLINI

SIVE

IOANNIS REVCHLIN

VIRI CLARISSIMI

ENCOMION.

Habes, ſtudioſe lector,

IOANNIS CAPNIONIS

VIRI PRÆSTANTISSIMI

ENCOMION,

TRIVMPHANTI ILLI EX DEVICTIS OBSCVRIS VIRIS

ID EST

THEOLOGISTIS COLONIENSIBVS ET FRATRIBVS DE ORDINE

PRÆDICATORVM

AB

ELEVTHERIO BYZENO

DECANTATVM.

PRÆFATIO EDITORIS.

Qui nuper Hutteni vitam scripsit, doctissimus David Fridericus Straussius, de huius Triumphi auctore, utrum is Hermannus Buschius an Ulricus Huttenus fuerit, disputans (I. p. 216. sqq.) rationibus et argumentis tantum non omnibus (nam adhuc omnia nemo conferre potest) quæ pro altero utro faciunt, multa diligentia et sagacitate conlatis sibi denique persuasit Huttenum quidem carminis a Buschio cœpti principalem auctorem esse, sed 'Alles löst sich wohl am leichtesten durch die Voraussetzung, daß die Schrift, wie sie jetzt vor uns liegt, während der vier Jahre [1514... 1518.], die sie in den humanistischen Kreisen umlief, von verschiedenen Verfaßern überarbeitet worden sei'; eandemque sententiam in fine libri (II. p. 369.) Triumphum inter ea scripta, quæ Hutteno aut tota non aut non tota adscribenda essent, conlocando repetiit. Fateor in simili opinione, cum Straussius scriberet, me quoque fuisse, quamvis 'de diversis auctoribus poema retractantibus' non consenserim cum concederem indiciis vestigiisque demonstrari „daß Hutten der Redacteur und wol auch Hauptverfaßer der merkwürdigen Schrift, diese übrigens eine ihm mit Busch gemeinsame Arbeit sei; von Buschens Triumphus ist daher auch später nicht mehr die Rede", aut cum scriberem (vol. I. p. 236. i. f.) carmen commune Buschii Huttenique opus videri. nunc autem Triumphum Hutteni opus esse, (nam de ipso Reuchlino auctore nemo sanus hodie cogitarit, puto, neque si illius ad Questenbergium epistulam, supra vol. I. p. 458. sq. repetitam, non legisset) non secus atque cetera indubitata Hutteni poemata, mihi deliberatum constitutumque est; neque tamen unum alterumve locum vel versum aut ipsorum amicorum scriptum poema legentium commonitionibus moti aut ultro retractantis auctoris emendationes expertum esse negaverim (nam limam non recusabat Huttenus); centonis aut consarcinati operis formam, qualem Epistolas obscurorum virorum passim prodere recte quis dixerit, in Triumpho nemo puto deprehendet, cuius continuatio et tenor ac series tam rerum quam verborum non minor nec minus simplex et naturalis, sine fuco, quam ceterorum Hutteni scriptorum omnium est. De Buschiano Triumpho Capnionis, sive de ratione et ordine sive de metri genere sive de ipsa rerum descriptione argumentique expositione quæras, plane nihil constat; carmini sub Accii Neobii nomine scripto adhæsisse Hutteni epigramma extemporale ex uno teste Conrado Mutiano (vol. I. p. 31. sq. n. XVII. XVIIII.) scimus, quæ omnia huic nostro Triumpho, quem nemo æqualis testis Hutteni non esse dixit, non conveniunt. illud Buschii poema, postquam amici manu scriptum, non typis descriptum legerant, evanuisse puto, forte ipso Hutteniano triumpho inritum factum; Hutteni autem epigramma aut cum Accio Neobio oblitterari aut aliis verbis conceptum in carmen nobis servatum facile transire potuit. Itaque cum Eobano (vol. I. p. 240. n. CV. cf. p. 238. v. 24. sqq.) iam non dubito amplius Huttenum triumphare pro Capnione, penitusque Huttenus noster factus est Eleutherius, quamvis nolim iurare cum Hesso, qui nulla alia de causa paulisper, donec legeret, de auctore dubitasse videtur, quam quod Hutteni carmine sibi oblato similem Triumphi inscriptionem atque olim a se lectus Buschii Triumphus gesserat (vol. I. n. XVIIII.), conspiceret, similesque opinor versus heroicos, simileque quod res ipsa ferebat argumentum: inter mensem Augustum a. 1514. quo Buschii Triumphum viderat, et lectionem Hutteniani carminis Eobanus tot poemata legerat scripseratque, ut facile uno momento de diversitate illorum duorum carminum incertus hærere posset. equidem ut Huttenum carminis auctorem esse cum Eobano nunc adfir-

mem, non tantum moveor argumentis singularibus sive iam prolatis sive novis, qualia etiam ex iis qui de Pepericornis leguntur et ex Epistolarum O. V. locis inter se conlatis legi possunt, quantum pro Hutteno pugnantium testimoniorum Hessi (vol. I. p. 453 §. 4. citt. p. 238. v. 24. sqq. et in primis p. 240. n. CV.), Camerarii (vol. II. p. 361. sq.) et ipsius Erasmi (vol. I. p. 261. §. 8. vol. II. p. 274. §. 71. p. 318. §§. 376. sqq.) maiori pondere et evidentia (taceo de Münchii narratione ipsum Ulrichum Huttenum pro deleto Eleutherii Byzeni nomine verum suum nomen exemplari cuidam inscripsisse, de qua vide vol. I. p. 236. not. ad v. 3.) atque universi carminis conpositione partiumque colore ac tinctu cum aliis Huttenianis scriptis (et maxime iis quæ hac parte exhibemus adnumerata pro Capnione intercessione) mirum in modum convenientibus, dum contra Buschianum stilum non solum non prodat hic Triumphus, sed versus 578...581. Buschium neque auctorem neque socium esse satis aperte ostendant: nihil in toto carmine video quod Hutteni esse non possit, multa vero quæ præter Huttenum nullus ita scripserit; nam quæ de mendis, maxime prosodiacis, questi sunt Eobanus Hessus, Christius, Straussius, non tam Hutteni, nec typographorum Hagenoensium quam ipsius Hessi neglegentiæ adscribenda esse facile viderit qui crimini data verba e nostra editione contulerit. At siquis, quod verissimum est, opponat, Huttenum sua sine suo nomine aut ficto nomine adscripto edere solitum non fuisse, hac replicatione intentio nostra defendi poterit, a typographis, non ab ipso Hutteno editionem curatam esse (vol. I. p. 135. v. 9. p. 248. §. 5. cf. p. 130. §. 3.), unde etiam factum est, ut non nulli nævi remanerent, quos si ipse auctor supremam operi manum inposuisset, obiter tondisset (cf. Hess. l. c., vol. I. n. CV.). tum etsi volente auctore Triumphum publicatum esse fictumque Eleutherii Byzeni ex Zenobio depromptum nomen (quod eum fefellit qui Capnionis defensores vol. I. num. XXXXVII. enumeravit, ut Hulderichi de Hutten et Eleutherii Byzeni, qui Triumphum in Capnionis victoriam scripsit, ut diversa duorum vivorum hominum nomina, nec Buschio omisso, recenseret) ab ipso Hutteno inscriptum fuisse neutiquam addubitamus, tamen eadem de causa ψευδώνυμον carmen prodisse qua Epistolæ O. V. ἀνωνύμως editæ fuerant, manifestum est: nam Triumphi Reuchlini cum Epistolis illis tanta adfinitas est, ut utrumque poema (non inprudenter Epistolas poema adpello) apte uno volumine coniungerentur; quod ipse ne facerem, Epistolarum a societate profecta conpositio me movit, dum Triumphum uni Hutteno adiudicandum esse censeam. Tigurinos etiam Conradum Gesnerum et Iosiam Simlerum Hulderico Hutteno Triumphum Capnionis apertissime adscribere, neque de encomio Reuchlini ab Ioanne Murmellio conposito verba facere, ne memorarem quidem, nisi monendum esse videretur falsum esse quod Melchior Adamus in Ioannis Murmelii vita [cf. supra p. 84.] scripsit „Miræus tamen vult obiisse eum [Murmellium] Monasterii, idque „anno 1513. Sed si anno 1516. scripsit *encomium Reuchlini*, ut Gesnerus in Biblio„theca confirmat: utique ille fallitur". aut cæcutio aut non legitur ut neque aput Miræum, ita neque in Bibliotheca sive Gesnerianæ sive Simlerianæ editionis neque sub Ioannis Capnionis neque sub Ioannis Murmellii neque sub Eleutherii Hermannive Buschii nomine id quod Adamus ibi legi scripsit. legerat sine dubio Adamus hæc Hamelmanni verba (Opp. geneall. Lemgov. 1711. 4°. p. 172.) „Epigrammata eius [Murmellii] quædam ad Philippum de Horde ... prodiere Monasterii anno 10. et Daventriæ alia quædam parænetica anno 16. prodierunt, quo etiam tempore scripsit *laudem de Reuchlino*", quibus verbis, fortasse de epigrammate Murmelliano in Reuchlini laudem scripto mihi non noto accipiendis, Adamus cum suam Murmellii vitam ex Hamelmanno et Miræo consarcinaret audieratque

de celebrato 'Encomio Reuchlini', in perturbationes erroresque illos inductus videtur. illam Murmellianam 'laudem de Reuchlino' inveniri, numquam autem Murmellium Triumphi auctorem probari posse nisi ei qui nasum non habet puto.

Eleutherii Byzeni in encomium triumphanti Capnioni decantatum ad principem *[sic]* ac populum Germanorum præfationem, carmini præeuntem, et quæ 'autor theologistis' in fine libri conminatus est, supra (vol. I. n. CII. p. 236...238.) exhibuimus. in quibus partibus, post ea quæ supra disputata sunt, nemo Hutteni epigramma extemporale, de quo Mutianus ad Henricum Urbanum et Eobanum Hessum scripsit (vol. I. n. XVIIII.), se possidere opinabitur.

IN TRIVMPHVM

IOANNIS REVCHLIN ALIAS CAPNIONIS

EX DEVICTIS THEOLOGISTIS COLONIENSIBVS
ET PRÆDICATORVM ORDINIS FRATRIBVS
ENCOMION

ELEVTHERII BYZENI

INCIPIT.

Dicat Io, si se novit Germania, dicat
Virtutemque suam dignis concentibus æquet:
Ecce triumphantem excisos Capniona sophistas
Et debellatos recipit sua patria fratres;
Nec tamen una capit, quanta est, Germania, partem
Plena viri defert et ab hoc splendore nitescit,
Integer ille tamen patriæ redit: abiice curas,
Siqua tibi belli est, sive est tibi, Phorca, gerendæ | Capnionis patria.

De *1...6.* vide Indic. bibliogr. Hutten. num. XVI. p. 26*. sq.

Pro nomine Eleutherii Byzeni (Bizeni *2.*) *in 3. est* Vlrichi ab Hut. Eq. Germ. Cf. vol. I. p. 236. adnot. ad v. *3.* Zenob. parœm. epit. II. 63. „*Βυζίνη παῤῥησία. ἐπὶ τῶν σφόδρα πεπαρρησιασμένων. ἀπὸ Βυζίνου τοῦ Ποσειδῶνος μετὰ παρρησίας ἀεὶ διαλεγομένου*". Byzina dicendi libertas, de iis qui libere et ingenue loquuntur, a Byzino Neptuni filio. [Pro *Βυζίνου* Huttenus recte puto *Βυζήνου* legisse videtur, ita ut nomen idem ac Byzantis, *Βύζαντος*, sit.] *In 4. hæc inscriptio est:* In Triumphum Ioannis Reuchlin, alias Capnionis. [1] Cf. *Ovid.* art. am. II. 1. „Dicite 'Io Pæan' et 'Io' bis dicite 'Pæan'. Germaniam tandem sese noscere, cognoscere, agnoscere, oculos recipere debere et similia innumeris locis monent Huttenus et sodales. [5] Cermania *1.* partem] Phorcen *2.6.* Cf. deplorat. in Ioa. Hutteni interitum v. 150., item Exhort. ad Maximil. v. 171. edit. I. et vol. II. p. 40. v. 7. partem viri, non totum (nam is totius litterati orbis est) deferens, i. e. sibi servans, Germania sese explet, i. e. satis habet quo fruatur eius exemplo et doctrina atque gloria talem virum genuisse. [7] Integer] Victor redit, non discerptus ab hostibus theologistis. [8] *Lemmata marginalia nulla habent 4.7.*

Ulla rei, studiumque unus sibi vendicet omne:
Unus enim decori est. Quodsi unquam mœnia posset
Helvetius delere furor populique bibentes
Exiguos Rheni fonteis et sortis iniquæ
Te premerent casus, ruerent turresque domusque,
Occideret populus, solo hoc tuo staret alumno
Fama super, scirentque tuum venientia nomen
Secula. quid, cives, fortunam aut arma timetis?
Iandudum est aliquid muro vivacius isto, Capnionis immortalitas.
Turribus ac templis istis tectisque domorum:
Munera quæ vester vobis largitur alumnus:
Invitis equidem fortunæ osoribus amplæ
Et quibus in voto est famam allatrare bonorum,
Qualis erat stat adhuc stabitque cadentibus istis
Contemptum in cinerem: namque hac compage soluta
Corporis ille tamen vivet, mors iuris habebit
In Capniona nihil: iam vertice sydera tangit,
Iam divinus homo volat et mortalia temnit
Invidiaque sua maior nec tangitur ulli
Nec curat quenquam. merito tu, patria, gaude
Læta tuo: quod enim genuisti, hæc ille rependit
Præmia, ut in seros maneat tibi fama nepotes.
Vos etiam ante alios certate et vincite, cives:
Vester hic est et ut est passim iactare licebit;
Quod foret exitio populi vestroque parandum
Sanguine, desidibus vobis et pace solutis
Ille dedit peperitque suo discrimine famam
Nominis æterni quæque omne supersit in ævum.
Dicat Io, si se novit Germania, dicat
Ingeminetque iterum; bis Io Victoria clamat
Et secum clamare iubet Capnione recepto.
Huc, iuvenes, huc ite, senes, celebrate triumphum, Invitatio ad celebritatem.
Turba ruat matrumque virumque et læta puellæ
Agmina, compti omnes et festis cantibus omnes
Serta gerant, floresque viis et olentia spargant
Gramina, dent frondes et primos veris honores,

---

tibi *1.3...5.7.* [10] nunq̄ *2.* nunquam *6.* Quodsi] Res quæ fieri possint, non quæ factæ essent, sunt hæ Pforzhemii per Helvetios eversiones. Incidunt hi versus in tempora Ulrici ducis Wirtenbergensis cum Helvetiis fœdere coniuncti. [17] Iamdudum *3...7.* [23] Nanq3 *1.* Nanque *5.* soluto *4.* solutæ *7.* [25] sidera *3. 4. 7.* 'Sublimi feriam sidera vertice'. *Horat.* od. I. 1. i. f. [40] *Lemma ad marg. ut et in sqq. conplura om. 3.*

Dent manibus teneros frondenti ex arbore ramos;
Sit demissa viris toga vestis, sit vaga castis
Instita matronis longæque volumina pallæ,
Præterea lectæ peregrino ex æquore baccæ
Inclusæque auro gemmæ cum torquibus aureis,
Sit stola, sint limbi vinctoque monilia collo,
Sericaque et raræ vestes precioque coloreque
Et strophium et capitis velum, quod cum nive certet,
Quicquid et ornatus, quicquid cultusque nitorisque
Et quod quæque potest et quod sua quamque facultas
Ferre sinit, quæ cuique domi stat copia rerum:
Candida succinctas commendent galbana nymphas
Et zona virgineumque astringens fascia pectus
Coraliumque teres, rubicundi insigne pudoris,
Quæque alibi molles signant gestamina mores,
Hic etiam castas deceant: sint vertice nudo
In terga effusis, quos verberet aura, capillis,
Pexaque contortis circundent tempora sertis.
Una omnes hi voce canant, uno ore loquantur
Quam sibi servarunt Capnione superstite laudem.
  Dicat Io, si se novit Germania, dicat:
Vix melior, cur dicat Io, se causa dedisset
Cæsare ab Euganeis nacto spolia ampla tyrannis: Digressio ad Cæsarem Maximilianum.
Forte tamen melior, sed non pugnavit in armis
Noster hic, haud gladius præfixaque robora ferro
Pugnantis gestamen erat, neque casside vertex
Splenduit et nullus munivit pectora thorax;
Certatum ingenio est, vicit tot millia solus.
Victor ab oppressis Venetis Galloque subacto
Citra Athesis tumulos et onustas nubibus Alpeis
Terrarum dominus siquando ad vota redibit,
Quæ diis persolvat patriis, augustior illo
Plausus erit populi et pro conditione triumphus;

---

[45] tęneros *1.* [46] demiss.] i. e. non ad labores præcincta. festus dies esto. [47] longæ velamina *vult Christius, i. e. cum* velamina, *ut 3. 4. 7. habent, scripsisse Huttenum putasset, syllabam* que *abundantem notavit.* Christius enim (De morib. scriptis et imaginibus Ulr. ab Hutten. Hal. 1727. 4°.) exemplo *3.* huius carminis usus est. Palla vestis est exterior talaris, ampla et fluens, propria sec. Nonium honestarum feminarum. bastis *4.* [54] quanqȝ *1. 2.* quāqȝ *3.* quanque *6.* [56] galb.] vestimenta mulierum delicatiora. [57] Et zŏna] *ponas* Zonaque [61] tergo *3. 4. 7.* [62] circumdent *7.* [64] superstite] super *5.* [67] Eug. tyr.] Venetis. [69] gladios *edd.* [72] milia *2.* [74] Alpeis] cf. Deplor. in Io. Hutt. v. 91.

Altera tum scænæ facies erit, altera pompæ,
Et perhibenda oculis alio spectacula ritu:
Fulgidus ipse auro et curru sublimis eburno
Post Venetas se ostendet opes, quosque Adria longo
Tempore tot spoliis populorum aggessit in unum,
Thesauros vehet, et raptas prædonis iniqui
Divitias portabit aqua terrisque petitas;
Et spoliatorum misere patrimonia regum
Ibunt et scelerum authores in vestibus atris,
Fune ligati omnes vinclisque tenacibus omnes;
Nec se iam Venetos dicent aut esse putabunt.
Terga prement equites atque auxiliaria belli
Turba ducum ereptique armis et ab hoste recepti
Captivi cives nitidisque exercitus armis,
Et quæ non locus est ut nunc ex ordine dicam.
Omnibus argentum Germanis, omnibus aurum
Ex præda dabitur, gemmæque et purpura et ostro
Distinctæ vestes et si preciosius istis
Esse potest aliquid. diversis tunc quoque surgent
Fixa trophæa locis, victorum æterna subinde
Virtutis monumenta suæ; memorabile nomen
Sentiet hoc miroque feret nova gaudia Rhenus
Et se lætitia ripa diffundet utraque.
Exultabit agris et campo ludet aperto,
Qualis erat, cum te reducem victricibus armis — Carolus Magnus.
Orbe pererrato victisque quot orbis adisses
Marte æquo populis tumido lætissimus amne
Acciperet domitis regnantem, Carole, Gallis,
Deque tuis genti tradentem nomina Francis;
Aut certe quam lætus erat patiente supremam
Italia cladem, rigida Fridericus ab Alpe
Cum transportaret Suevisque exponeret arvis
Terribileis aquilas mortemque ferentia castra.
Sentiet hoc secumque Ister feret amne secundo
Perculsura feros tristissima nuncia Turcas;
Ultimus arctoum transibit rumor ad Albim,
Isque tibi gaudebit ovans hilaremque perinde
Ostendet vultum et pleno lasciviet amne,

---

[78] scœnæ *3.4.* [85] autores *3.4.6.7.* [95] pretiosius 7. [97] trophœa *3.4.* [103] perarato *3.4.7.* *pro quo* pererrato *sive* peragrato *propos. Christ.* [111] cf. v. 99.

Ac si forte suos iterum cognoscat Ottones,
Victores Latii, patriam componere pacem:
Scilicet excisis Venetis Germania ducet
Longe alium in morem tibi, Maxmiliane, triumphum:
Nunc locus est merito Capnionem inducere plausu | Capnion ingenio triumphat.
Ingenioque viri dignas persolvere grates.
Ingenii labor est, sint præmia digna labori;
Par animo referatur honos, neve haud sit honorum
Auspiciis vicisse tuis. sine, Cæsar, ovanti
Pro lauro molles hederæ decerpere frondes;
Quanquam etiam lauri quam tu cum præmia magnis
Confers ingeniis, hac vatum tempora cingis;
Non petit ipse quidem, sed nos decerpimus illi.
    Dicat Io, si se novit Germania, dicat,
Obviaque incedat parvæ prope mœnia Phorcæ
Quanta potest numero Capnioni læta reverso:
Ille redux curru vehitur victisque triumphat
Hostibus et secum sceleratæ agit agmina turbæ:
Vicit enim victosque iubet se ducier ante
Conspicuam populo prædam. ne quære 'quis hostis?'
Spectator: monstra ipsa vides, monstra omnia, monstra
Herculea mactanda manu. sed ab Hercule certe
Res acta est vicitque senex victorque triumpho
Domminici Fratres duci iubet; hostibus illis
Confectum est bellum. tum qui adiuvere trahuntur
Ante triumphales Capnione sequente paratus:
Ex Ubiis delecta manus, tu, Tungare, frustra
Nunc mœrens, quique insignes, Ortvine, furores
Attuleras tecum, vanam sine viribus iram.
Hic comes et belli scelerata ligatur origo
Ad Christi temere sectam traductus Apella,
Quem sequitur numero non enarrabile vulgus
Triste Sophistarum vinctique a fune Magistri,
Ausi omnes immane nephas ausoque repulsi.
Quos quia nunc spectat manibus post terga ligatis

---

[116] Otones *5.* [119] Maximiliane *3. 4.* [120] plausis *4.* [126] etiam lauri frondes. Huttenus, cum hoc encomion scriberetur, lauream coronam nondum acceperat. [139] Domminic. *scribitur ut syllaba longa sit;* Dŏminic. *hexameter non fert.* Dominici *4. 5. 7.* [142] Ubiis = Coloniensibus. Arnoldus de Tungris. [143] Ortvinus Gratius *sive de Graes.* [144] ut 'tenuem sine viribus umbram' *Verg.* Aen. X. 636. [146] Ioannes Pfefferkorn, ex Iudæo Christianus. [148] Theologorum scholasticorum Magistrorumque Nostrorum grex. [149] nefas *3. 4. 7.*

Nil ultra audere et victorem agnoscere victos,
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
Iam vacuum curis atque ambitione solutum
Quomodo petitus Capnion.
Viventemque sibi reliquoque suavius uti
Tempore quærentem studia inter sancta librosque
Lite relegata fessum effœtumque senecta
Invasere senem innocuum, nil tale merentem.
Caussa viros movit, quia nil superesse videbant
Post Bernense nephas, quo se inquinare liceret:
Vide lector.
Respexere diu, placuit Capnione reperto
Exerere invidiæ stimulos solitumque venenum;
Sollicitis, quo principio se accingere possent
Flagitio, curas recutitus apostata solvit
Io. Pfeiferkorn Iudæus.
Consiliumque dedit, sed versu dicere durum est
A piperis grano Germanum nomen adepti.
Hunc olim pœnas fugientem, extrema secutum,
Opprobriis coopertum hominem famaque sinistra
Flagitiique reum, simulantem ac multa voventem,
Ad Christi traxere fidem: præstabat in illa
Relligione mori et pro factis solvere pœnas
Quam bellum ac fœdas nobiscum accendere lites.
Nescio quæ stolidus commenta edenda pararat,
Certe aliquas nugas, patriæ secreta relictæ
Quomodo lacessitus Capnion.
Sacra recludebat Iudæosque igne cremandos
Censuit esse libros, passimque hæc edita iussit
Esse palam populoque legi, iamque id fore magnum
Crediderat nugasque suas laudabat ineptus;
Tum dare consilium nostris magnatibus ausus
Bellus homo gravibus caussam de rebus agebat.
Contra aliquid Noster facto consultus eodem
Scripserat, ignarus quid proposuisset Apella.
Arripit hic ansam, ventum est ad iurgia, movit
Magnum animum Iudæus homo, scelus omne refellit
Et pro se dicit Capnion, iterumque rebellem
Et quiddam sceleris molitum insigniter acri

---

[156] Exeunte anno 1455. Ioannes Reuchlinus nascitur. [158] Causa *3.4.* [159] nefas *3.4.7.* De Bernensi scelere et Ietzero Wigandoque Wirt satis alias adnotavimus et conferendi sunt infra versus 315. sqq. se inquinare *male.* [161] Erexere *3.4.7. quod recte sed in non merenti Hutteno vituperat Christius.* [163] Peperkorn *3. in marg.* Nomen Pfefferkorn creticum facit quem non recipit hexameter. [169] illa] Iudaica. [172] ædenda *3.4.* [175] ædita *3.4.* [177] laudabit *2.6.* [179] causam *3.4.7.*

Impete congressus fudit: vidistis euntem
Fronte humili, cives, audistis humillima verba
Ridiculi capitis, ut qui nil Marte valeret
Fraude nova peteret, demisso ibi perfidus ore,
Pallidus, informis (quanquam est hoc semper) et atra
Flebilis in tunica, monachos adit, haud ita facti
Ignaros, ut Apella dolo prætendit, ut ipsi
Hoc simulant. tunc falsa movet miseratio Fratres — Causa theologistarum.
Continuo et bellum Capnioni triste minantur,
Ni siqua ediderat damnet verbumque retractet:
Esse aliquid scriptum damnabile seque peritos
Hinc inde arreptos varie distendere sensus
Et monstrare nefas, quemque ignoraverit ipse
Eluere errorem, solos se cernere verum,
Idque ab se quæri. negat ille errasse, paratur
Iudicium, accusat Capnionem et iudicat idem — Hochstratus accusator et iudex.
Acer Hogostratus, scriptis quoque lædere quærunt;
Allexere Ubios Fratrum ad se cœpta Sophistas,
Una omnes ruere et pugnam miscere parati:
Pallidus in primis et olenti Tungarus ore — Tungarus.
Ultro scribit opus, cui putidiore Minerva
Ebrius Ortvinus scabris se versibus addit; — Ortvinus.
Deinde alii certant. Hos tu, Chrysippe, Meneni
Non addes populo? vel non damnabis aperte
Ostensum nulla Anticyra purgabile virus?
Ridiculum bellum illud erat; sed grande periclum,
Ni fatuos ausus et dementissima cœpta
Ingenium notæque viri facundia laudis
Ostendat cunctis, Capnioni instabat et ignis
Caussa gerebatur, quam quo graviore periclo
Rem confecit, eo devicto lætior hoste
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
Fletum Heraclites, risum Democritus iret — Stultitia theologistarum.

---

[191] monachus *4.* [195] si quæ *3.4.* Nisi quæ *7.* ædiderat *3.4.* [198] quenqȝ *1.2.* quenque *5.6.* [199] solo *4.* [200] ille] Noster, Capnion. [201] Indicium *1.2.5.6.* [202] Hogostratus (*una* t) *contra quam quod solent, h. l. habent etiam 1.2.5.* Hogostrattus *3.4.* [205] imprimis *3.4.7.* [208] „hoc quoque volgus | Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni". *Hor.* sat. II. 3. 286. sq. cum Porphyr. schol. [209] pop. Men.] inepto, stulto. [210] Antic.] pro helleboro, qui in ea maris Aegæi insula lætissime nascitur. [214] ignis] hæreseos pœna. [215] Causa *3.4.7.* [218] Heraclit*e*s temere sibi fecit auctor ex Ἡράκλειτος. Ita 'Risum Heraclitæ est' incipit epigramma partis II. Epistolarum O. V.

Stultitiam immodicam vel quod se audacia tantum
Extulerit, vel quod, cui totum insania pectus
Possideat, recte sapere et se dicere credat:
Persuasum tamen est illis sese omnia solos
Cernere quid verum, quid falsum, quid sit iniquum,
Idque ita non Phœbi tripodas Deloque petitum
Respondisse deum Dodonæasque volucreis,
Corniger et siquid Libycis in syrtibus Hammon
Rettulerit vapido de sole calentibus Afris,
Omnia vera minus: sed nescio quid mihi tandem
Succurrit, reor hoc ipsos, ubi pessima dicunt, Theologistæ ultro errant.
Non nescire, sed ex animi contendere atroci
Nequitia, ut rectum vertant iterumque revertant.
Certe his innatum est scelus hoc naturaque primum
Insevit, vires paulo post indidit usus
Roboraque incussit radici acremque vigorem
Nil timidis scelus in quodvis genitisque nocere:
Tanquam hæc cum superis habeant commertia divis
Obstrictosque deos in vota nefaria possint
Cogere, cum placeat vel cum sua dira libido
Immanisque velit livor mentesque superbæ
Per fas perque nefas gerere omnia, dicere rursumque
Inficias dicta ire, prius confessa negare,
Nunquam stare animi decreto: non ita Proteus
Vertit se in varias species et vincula ludit
Captantum, plures nodos haud novit eundi
In facies multorum hominum Vertumnus et ora.
Artibus his pugnam miscentibus obvius astat Capnion in theologistas.
Noster et intrepido fatuos secat ore malignos,
Emittitque libros, mordet laceratque necatque,
Occidit, facit infames subigitque tacere,
Enumerat scelera et mores; pro numina, quantis
Viribus ignotus prius et nil tale putatus
Posse dedit documenta sui, quantusque petitus
In clypeum surgat, monumento apparuit uno.
Tum fremere atque intra irati se rumpere Fratres,
Ille exultare et palmam ostentare retentam,

[219] audatia *2.* [224] Cf. Epigr. ad Max. 18ᵃ. [225] Dodoneasq. *edd.* [230] examini *5.* [233] Insæuit *edd.* [235] nihil timentes et in quodvis scelus genitis. [236] commercia *3...7.* [242] Protheus *edd.* De Proteo cf. impr. *Ovid.* met. VIII. 730. sqq. [244] pluresque nodos *edd. sed omisso* que *versus erit ut auctor scripsit.* [245] De Vertumno cf. *Ovid.* met. XIIII. 642. sqq. [252 sq.] cf. *Verg.* XI. 284. sq. [253] monum.] *Reuchlins Augenspiegel.*

Iudice non modico, cui non sententia præceps
Excidit, assensu vires Germania latæ
Addidit et miro Capnionem evexit honore,
Iamque triumphales iubet introducere currus.
Dicat Io, si se novit Germania, dicat,
Totaque in occursum Capnioni effusa frequenti
Excipiat plausu victorem et læta salutet:
Tam bonus et vita tam frugi, rectus ad unguem,
Unus homo vicit tot millia: dicite, Fratres, Apostrophe ad Fratres.
Unde est tantarum vobis prudentia rerum,
Quæ quis vera sciat, nescire ut oporteat illum,
Irrita si vobis videantur? an impius omnis,
Qui non est vestri, dicetur sermo, cuculli?
An quicquam est quod vos rarum atque necesse sciatis,
Lauriger ignoret Capnion, nisi de scobe si quid Theologistarum studia
Scripturæ legitur? vestræ artes, indita vestris
Disciplina animis, quam nec nescire pudendum est
Nec scire ingenuum vel agendis utile rebus?
Quæ vos Eumenides igitur vel qui furor egit
Summum hominem pugnam legisse potissimum ad illam?
Si certare libet vel si superare docendo,
Vestri aliquem similem de vestra afferte farina,
Væcordes! quid enim superis conferre paratis
Effractoque Iovem in terras detrudere Olympo?
Nec cerebrum vobis nec pectora; sanior esset,
Quanquam tot Furiis rationi ereptus, Orestes,
Sanior, occisum quæ Penthea portat, Agave.
Nemo ita delirus, nemo a se alienus et extra
Se positus, qui non errorem agnosceret illum:
At sapere hoc vobis et, quæ dementia vestra est,
Mentis opus visum est sanæ: 'nam Spiritus' aiunt Theologistæ de spiritu sancto.
'Quod nunquam poteras ullo didicisse magistro,
'De sacra quoties est relligione loquendum,
'Simpliciter doctis, tantum credentibus inflat'.
Spiritus hoc sanctus? certe is. at cur potius non
Quicquid in hac dictum est a vobis lite vel actum
Phantasus hoc voluit, Somni, prædicere, frater,

---

[256] Iudice] Spirensi episcopo. [257] latæ *1. 2. 5. 6.* [275] Vecordes *3. 4. 7.* [280] pectora sanior *(sine interpunctione) edd. sed* pectora, sanior 7. Tragico illo Oreste dementiores estis. [282] Agave, Cadmi filia, Pentheum filium quod Bacchi sacra contemneret, furore acta manibus suis dilaceravit. cf. e. gr. *Ovid.* met. III. 692. sqq. [292] De his Somni somniorumque divis. cf. *Ovid.* met. XI. 633. sqq.

Aut varius noctu Morpheus fallaxque Phobetor?
Namque ego quondam inter carpenteis pensa puellas
Sæpe aliquid simile et vestris æquabile nugis
Audivi tenuique puer: didicistis aniles
In triviis arteis et 'sanctus' dicitis 'illud
'Spiritus infudit': qui si inspirare volebat,
Cur non hoc potius Capnioni a labe remoto
Sancto homini, cuius vitam non polluit ullum
Dedecus, in cuius mores nil præter honestum
Venit, at est animus multa illustratus ab arte?
Aut si sanctus is est dicendus qui dedit istud
Quique novi semper quiddam vel hiantibus inflat,
Dicite, qui fuerit qui sacrum armare veneno

Attende Fratrum Prædicatorum scelera.

Edocuit Christi corpus mortisque medelam
Exitii causam facere et fomenta salutis
Credita perpetuæ in crudelem vertere cædem?
Num male nota cano? male nota: sed occidit illo

Henricus imperator sacramento intoxicatus.

Septimus Henrichus gladio, mixtamque perenni
Cum vita interitum mensis accepit eisdem
E manibus, Pauline, tuis. 'Non hoc scelus' aiunt
'Nostrum est, qui multis ipsi successimus annis'.
At vester cocus ille fuit qui miscuit artis
Condimenta novæ: 'Semel' inquis 'fecimus illud'.
Berna negat, sceleris affert monimenta secundi

Bernense nefas.

Tempore iam nostro, tum vos ussisse sopito
Vulnera Iessero et sanctum voluisse videri,
Francisci fratres iactent ne scilicet ultra
Autori concessa suo hæc insignia soli.
Fert eadem simulata deum responsa iocosque

Fratris Wigandi Wirt immensum scelus.

Mentitæ Mariæ per vosque infecta veneno
Sacramenta palam monstrat scelerata Vigandi
Vox habita ad populum, diroque asserta libello,
Deinde remansa labris, conceptam in crimine matrem.

---

294 Nanq; *1. 2.* Nanque *5. 6.* 297 artes *3. 4. 7.* 305...312 Cf. Panegyr. Alb. Mog. 998. sqq. et vol. V. p. 377. Ad versus 309. sqq. cf. Intercessionis pro Capnione v. 41...48. (vol. I. 139.), qui de eisdem sceleribus similiter scripti sunt. 310 Henricus *7.* 313 ipsi *om. edd. omnes.* 315 cf. Ep. Obsc. Vir. I. 22. i. f. 316 De Bernensi scelere etiam Huttenus e. gr. vol. I. p. 139. 166. 167. 237. et sæpius. 317 sŏpito. *Possis* vos sopito ussisse, *quod tamen pulchrum non est.* 318 Lessero *5.* (Jetzer miselli nomen erat.) 319 Franciscus scilicet Assisias vulnera Christi in suo corpore reiterata gerebat. 321 De Vigando Wirt cf. vol. I. l. c. et vol. VI. h. v. 322 Marie *1.* 324 libell.] Cf. Epist. O. V. II. 7. 325 rem. labris] "revocavit, cassavit, extirpavit et annullavit" Epist. O. V. I. 47. (Append. 6.)

Parrhisiense delictum.

Iam vetus historia est; quod Galla Lutetia narrat
Unius est anni, quoddam de plebe cadaver
Restituisse animas vestrasque, ut crederet, arteis
Decepisse rudem populum pœnasque dedisse.
Vestra hæc sunt, et adhuc alios deposcitis igni?
Num veniæ locus est? non est locus; urite, flammæ,
Et si non æquum est, solo in Capnione furenteis
Tot saltem vitiis dignos necis urite, flammæ,
Domminici Fratres, morbosam exurite gentem,
Tot scelerum autores! tu, qui Capnione subacto
Arsurus fueras, dignam, roge, concipe flammam!
Ite omnes, conferte struem, componite fasces!
Dedecus immodicum flamma ulciscemur in illa:
Ferte picem, miscete faces. date sulphura, cives,
Et reliquum vulgus pœnis abolete secundis
In Capnione nocens et adhuc graviora relictum
Dedecora ausurum! lætos tamen ille triumphos
Et plausus ferat ante suos, læteque ferenti
Dicat Io, si se novit Germania, dicat!

Invehitur in prædicatores.

Frater Iacobus Astarothus inquisitor hæreticæ pravitatis habitus.

  Nec det Hogostratto in populo componere lites
Aut damnare bonos; funesti e fauce latronis
Insonteis animas rapiat! sed iam ille ligatis
Post tergum manibus frendensque et vincula mordens
Conspiciendus adest: venienti, Phorca, triumpho
Da pompæque locum, foribus sint templa reclusis,
Sint ornatæ omnes, quibus hostia concidat, aræ;
Sparge viis flores, vernali gramen odore
Disiice, privatas ostendant singula posti
Serta affixa domus. vos, quicquid nobile, cives,
Quicquid habetis opum, ruite e penetralibus imis,
Quicquid inest pulchri, quicquid mundique venustique,
Utque ea spectentur, sublimibus edite tectis;
Pendulaque e pictis hinc inde aulæa fenestris

Paratus triumphalis.

---

[326] vetus] a. 1507...1509. Galla] Gallica. De hac Dominicanorum fraude alibi non legi equidem, sed non addubito. Similia iam olim de indulgentiis Portiunculanis Franciscanorum narrabantur. Ceterum 'Et quod Parrhisia exemplum manavit ab urbe' inter scelera cucullatorum memoratur etiam Intercess. pro Capnione v. 47. (vol. I. p. 139.) Parrhisicum delictum *3. in marg.* [327] plæbe *1. 2.* [330] et] sed *3. 4. 7.* [334] Dominici *5. 7.* [336] d. rogo conc. *3. 4. 7.* [339] fafces *edd.* [345] Hogostrato *7. (ubique una* t *ut in nomine* Domminic. *una* m, *nam non vidit quid moverit auctorem, ut litteras duplicaret, ut nec ipse videram, cum vol.* I. *p.* 139. *v.* 26. *pro iusto* Domminici *darem* Dominici. [357] ædite *3. 4.*

Ornatura latus demittite parietis ampli.
Vos quoque, finitimi, speciem hanc augete, Suevi,
Vestrarumque aliquod date signum divitiarum,
Et festum celebrate diem: celebratior ibit
Vix alius, qui vera magis det gaudia vobis:
Vos ornate urbem proprioque extendite cultu
Mœnia; vos portas vectoque aliunde paratu
Conspicuo muros turreisque implete domusque!
Vester honor, vestrum decus est vobisque propinquo
A Capnione redit, quam nobis, gloria maior:
Prodiit a vobis: omnes audete, Suevi, | Ad Suevos.
Vestrum ornamentum plausu iactare superbo;
Hunc præferte aliis solitosque excellere solos
Ingeniis Italos fama ferte esse minores,
De primisque alicui vestrum componite civem:
Nos etiam audemus, Germaniaque obiicit omnis
Id Latio decoris, fulgentemque omnibus horis
Tempore perpetuo pro se et pro laude suorum
Ostendit lucem et monachis sinit ilia rumpi:
Inferior tamen hoc reliqua est Germania vobis,
A Suevis toti decus hoc quod prodiit unis,
Dicat Io, si se novit Germania, dicat,
Victoremque suum nullo fraudetur honore.
Iam celebri pompa spoliis curruque propinquum | Fercula in triumpho Capnionis.
Prima vehunt iuvenes tabulasque et signa colossosque
Armaque devictorum imbellia sumptaque furtim
Instrumenta viris, telum imbecille librosque
Et spolia et fracto figenda ex hoste trophæa
Mille argumenta hic, et mille feruntur elenchi, | Arma theologistarum.
Et multis nocuum murmur, linguæque prophanæ,
Sacrilegæque manus, promptique invadere rictus,
Exertique labris dentes, nasique recurvi,
Luminaque obliquum deflexa, superciliisque
Contractæ frontes, oculique horrenda tuentes,
Lividulæque genæ, et rabiosa silentia pressis

---

[360] finitimi] Pforzhemiensibus Badensibus. Reuchlinus Stutgartiæ domum habebat. augete] augere *4*. [365] Conspico *5*. [373] h. e. et carminibus vestrum civem, Reuchlinum, celebratissimo cuicumque indigenæ Suevo conparate. [374] Nos] Expectaris ab Hutteno Franconiæ suæ brevem laudationem. [375] horis] *malim* oris. [379] toti] Germaniæ. [381] fraudetur] *Recte hanc licentiam vituperat Christius* „puto legendum 'defraudet': illud nescit Latium". [390] labris ... Luminaque *omnia exciderunt 5*. [391] superciliique *5*.

Intercepta labris, plenique errore cuculli;
Et sævi simulacra ignis, quo perdere sueti | Ignis.
Insonteis animas atque utiliora docenteis;
Prandiaque et luxus, ventresque, unctique catini, | Crapula.
Et lances sapidæ et pandi nidore palati;
Tum scelera et labes et morum monstra suorum, | Vide.
Parrhisiumque nefas, et reproba verba Vigandi,
Et quam Berna dedit novitas, sibique ipsa malorum | Berna.
Conscia corda dolique agiles et iurgia et iræ, | Conscientiæ.
Venditaque in populo levis indulgentia Romæ, | Indulgentiæ.
Crimen Hogostratti, et qua se falsarius arte | Hochstratus.
Muniit Arnoldus, dehinc qua veterator Apella | Tungarus.
Proditione dedit caussam belloque triumphoque, | Pfefferkorn.
Improbaque Ortvini Musa et lutulentus Apollo, | Ortvinus versifex.
Factioque exitialis, et ausa calumnia multum,
Et rapti precio tituli, nullisque negata | Ambitio theologistarum.
Nomina docticulis et opinio vilis honorum,
Sanguineique styli, et multis funesta papyrus,
Et plutei infames, graphiumque, et inutile tempus
Consumptum studio, et citra ullum industria fructum,
Quæque capax scelerum est, in pingui mantica tergo.
His armis soliti in magnis progressibus uti
Fracta dolent, spectantque vehi, quæ deinde sequuntur,
A se oratarum simulacra erecta dearum,
A quibus auxilia et cœpti munimina belli | Numina theologistarum.
Speravere rudes, quibus ambitiosa quotannis
Thura precesque ferunt stolidi, quæ numina primo
Constituere loco, quarum omnes resque minasque
Cœpere auspiciis, quibus et siquando secundis
Casibus e bello reditum furiisque fuisset:
Grata relustratis posuerunt munera templis.
Prima Superstitio est, contemptu ignavior omni, | Superstitio.
Tota pusillanimis, digna atque indigna ferendo
Anxia, tristis, iners, manibusque ad sydera passis,
Omnia credenti similis similisque sequenti,
Sæpeque respiciens, timido abiectissima vultu,
Multa putans, puerile loquens, alta omnia sperans,

---

396 Insontes *3. 4. 7.* 400 Pharrhisiumqȝ *4.* Cf. supra v. 326. sq. 321. sqq. 401 Cf. supra v. 316. sqq. 405 Appella *1. 5.* 410 nomina] Magistrorum nostrorum. 411 Sauguineiqȝ *3.* 415 spectamque *7.* 417 oratorum *4.* oraturum *5.* 425 contempta *7.* 427 sidera *3. 4. 7.* 428 fevuenti. *1.*

At nihil inquirens, versata in sorde lutoque.
Hanc primo posuere loco. sedet arce secunda
Rustica Barbaries, tota aspera, tota rebellis, Barbaries.
Horrida, vilis, atrox, contempto sordida cultu,
Omnis munditiæ fugiens fugiensque nitoris,
Lauta nihil, nihil urbanis se moribus aptans,
Neglectæ rationis egens stat pectore crasso,
Fert sublime caput, perplexæ in vertice vepres
Impexique rubi, totoque in corpore sentes,
In toto stimuli: manuum sunt arma pedumque
Extantes solidique et acutæ cuspidis ungues,
Et mucronatæ circum fera pectora spinæ;
Ora situ squallent, in olenti est squama palato,
Plumbea lingua iacens; ea diva inamabilis ultro
Nec quenquam vocat et nulli se adiungere certat:
Sacra deæ primi faciles fecere Sophistæ.
Tertia in extructo sedet Ignorantia lecto, Ignorantia.
Languida, deses, iners, et obeso ingloria ventre,
Impetuosa, vorax, semper levis, ebria semper,
Digna odio, deformis, hebes, rudis, omnia iactans;
Non aures, non illa oculos habet, utitur una
Plus nimio lingua, sinit ora explere ferinam
Utilia ingluviem, nullum est in fronte cerebrum,
Nullus inest sensus, manibus pedibusque vagatur
Incertum, tenebris gaudet, nutritque profunda
Obscuros in nocte viros, gerit ordine nullo Obscuri viri.
Res nulloque modo, sæpe hæc sibi displicet ipsi,
Miraturque viros, qui, quod sua numina adorent,
Accipiunt titulos doctique in plebe putantur.
Quarta loco misera Invidia est, turpissima rerum, Invidia
Non despecta tamen, sed culta frequentibus aris,
Domminici primo dignantur honore sodales;
Ipsa ascendenti similis summumque petenti
Torva, minax, truculenta, furens, nisi pelle tegatur
Ossea, macra genas, neglecto pallida somno,

---

[431] inquirent, *1.5.* [435] mundiciæ *3.4.* [438] Fer *4.* [443] Orta *7.* inolenti *5.* [448] Lauguida *3.* obesa *2.6.* in gloria *7.* [452] sinit] sunt *2.6.* ore *1. 3...5. 7.* [456] in *1.* geritur *2.* [459] plæbe *1.2.* [460] Quarto in loco misera invidia *3.4.* *unde Christius, qui prima exempla non novit, adnotavit* „Putavit Huttenus syllabam 'in' posse corripi: quia concursus consonantium litterarum non existeret, nisi ex muta et liquida N et L. sed eius rei idoneum auctorem non habet". [462] Dominici *4.*

Tristis, inops, sine vi semper, mœstissima semper,
Prompta nocere bonis, alieno læta dolore,
Læta malo, cumque haud possit quos perdere vellet,
Quassatos acuit tacito sub murmure dentes
Sanguinis huic nihil est, nihil intra viscera succi,
Felle viget solo, piceique alimenta veneni
Esuriem vincunt. sed cum sine tegmine tres sint
Hæc ferrugineo sola est velamine cincta.
  Fercula spectastis fœta armis, fœta ruinis,
Quodque hosti spolium quæque est ablata supellex,
Hosticaque ut veris concedant numina divis;
Idque fuit gratum: nunc deinde sequentia, cives,
Aspicite atque hilari Capnionem accersite plausu:
  Dicat Io, si se novit Germania, dicat:
Quod cupiit factum est, depressa minacia Fratrum
Colla tulere iugum, tum, quæ servire negabant,
Cervices domitæ sunt, in spectacla coacti
Et rabidi Fratres et amantes vana Sophistæ.
Lugeat et planctus Agrippinensis acerbos | Schola theologica Coloniensis
Det schola, humoque oculos lugens defigat et huius
Pœnituisse mali, det signa, et aperta relinquat
Erroris monimenta sui, veniamque precetur,
Et pacem infœlix, undeunde extorqueat, oret;
Dedat captivos etiam, sua crimina, Fratres
Domminici torvosque, nefas crudele, Sophistas
Dedat, opem si quis tulerat, ferat omnia supplex,
Fœdus adorato saltem ut Capnione reportet.
Quam mallet laqueo vitam finisse vel ensi | Frater Iacobus de Hochstraten.
Quacunque impellente manu latus obdere apertum
Teter Hogostrattus quam pompa inducier ista;
Sed neque perditior neque flagitiosior alter
In Capniona fuit tunc cum tu, perdite, iudex
Lectus et absurdis in litibus arbiter esses
Idem accusator. dic quo, væsane, pudorem
Fert omnem tibi livor edax? I, perdite, vinclis
Nexe feras post terga manus, da grata ruenti
Ante tuos tractus socios spectacula vulgo.
Ite, deis inimica cohors, tamen ite, Sophistæ,

---

468 cunq3 *1...3.* cunque *5.6.* 471 Felte *5.* 472 tres] supra descriptæ deæ. 475 Hostica (*om.* que) *3.4.7.* 488 infelix *3.4.7.* 490 Dominici *4.5.7.* 495 Hogostratus *5.7.* 496 flagiciosior *1.* pernitiosior *3.4.* perniciosior *7.* 499 vesane *3...5.7.*

Obscuri, prodite, viri, turba indiga lucis,
Obscuri viri.
In nullo versate die, prodite, Sophistæ,
Lustrales animæ scelerisque piacula tanti;
Ite, graves Monachi: nam quæ mora? convolat omnis,
Ut videat, populus: vos nunc miracula recte
Facti estis, parta est nunc primum gratia vobis.
Verum inter socios Sapientum octavus et alto
Tertius e cœlo lapsus Cato nomine gaudet
Dives Hogostrattus peregrina ab origine sumpto:
Vel Cato vel Cacus dicetur, sed puto Cacum
Vide.
Ore exhalantem furiales dicere flammas
Præstiterit, sanctis inimica incendia Musis,
Mandentem cruda et libros ipsosque vorantem
Librorum autores. Vome, perdite, et egere sumptos
Assueta plus parte cibos; confundite succos,
O medici, miscete herbas, absorbeat æger
Purgandus ab insania Hochstratus.
Bis duo veratri pondo: nisi viscera purget,
Vix equidem speres isti superesse triumpho:
Ut fremit, ut ferus est, ut se indignatur in istis
Sævitia Hochstrati.
Spectari choreis ferroque et fune ligari,
Excorni iam fronte minax: da cornua fronti,
Da digitis ungues, væcordem, Iuppiter, arma,
Ut quantum est iræ, tantum sit roboris, ibit
Sævior excitis Bemorum e montibus ursis
Tigrideque Hyrcana, si quando amiserit absens
Imbelles catulos; Pœnos superare leones
Qui possit, furor est, Afroque ferocior angue
Et morsu petere et iaculari e fauce venenum.
Dic aliquid sacra de relligione deoque,
Hochstratus ad ignem.
Dic, hospes, magna de re, clamabit 'ad ignem',
Et subito damnare volet, si scripseris, idem
Et te scribentem et scriptos abolere libellos

---

[504] Etiam Intercess. pro Capnione vv. 17. sqq. (vol. I. p. 138. sq.) Hogostratus ebrius Ortvinus, Tungarus totaque phratria Dominici perstringuntur. [510] 'Sapientum octavus'. *Horat.* sat. II. 3, 296. [511] 'Tertius e cælo cecidit Cato'. *Iuv.* sat. II. 40. [512] *nomine* Astaroth, idoli Sidoniorum. [513] Cato, iustus. Cacus, Latinus latro Evandri temporibus ab Hercule occisus, *Κᾶκος*, de quo *Liv.* I. 7. *Ovid.* Fast. I. 542. sqq. *Serv.* ad Aen. VIII. 190. *et alii.* [520] veratri] hellebori albi, contra maniam scabiemque remedii. [525] vecordem *3...5. 7.* [526] Cf. v. 563. [528] Hyrcanæ tigres. *Verg.* Aen. IV, 367. [529] Poenos leones. *Verg.* ecl. 5, 27. [530] 'peior serpentibus Afris'. *Horat.* sat. II. 8. i. f. [533] Præfat. in Nemin. §. 30. „'Ad ignem, ad ignem!' ingeminant. (vol. I. p. 184.)

Igne volet; poscet flammas, clamabit 'ad ignem',
Si verum est, 'ignem', si falsum scribitur, 'ignem',
Si iustum est, 'ignem', si iniustum quod facis, 'ignem':
Igneus est totus, vorat ignem, vescitur igni,
Igneus est pulmo spiratque e gutture flammam,
Igne iecur, stomachus calet igne, ipse omnia adurit;
Quod loquitur flamma est, flamma est quod scribit; 'ad ignem'
Semper in ore gerit, prima hæc atque ultima vox est;
Igneus est nasus, duræ sunt lumina frontis
Ignea, candenti cor e carbone coactum est;
Ipse etiam in vinclis ægre se continet, 'ignem'
Quo minus exclamet, volet hunc ardere triumphum;
Se medium quoties quicquam audit, clamat 'ad ignem',
Et quoties legit, atque aliquos hoc perdidit igne.
Hanc bis sex iuvenes ferratis cogere vinclis
Non potuere feram, solo a Capnione ligari
Sustinuit, quanquam sæpe ingeminaret 'ad ignem',
Evomeretque ignem. non se priore tuetur | Ignis Hochstrati.
Igne triceps Lycio metuenda Chimæra colono,
Non ita quod Cacus, non quod spuit Aetna, timendum est,
Appetiturque metu Typhoea flamma minori;
Quo se, quo mundum Phaethon pæne usserat igne,
Et quo Troia perit, minor est; nec vincitur illo
Colchides Aemonium quem flant in Iasona tauri,
Aut quo se Eumenides vel quo se Cerberus armat;
Scilicet hoc uno nihil est violentius igne,
Si successus alat, si se fortuna furori
Misceat et quantum est iræ, vis tanta sequatur.
Dii te agitent, Ortvine nephas, ut tu in capite isto | Ortvinus Gratius Daventriensis.

---

543 hec *1.* 553 peiore] priore *1. 3...5. 7.* 554 Chymæra *3.* A Chimæra Lyciæ monte, leonibus, capris circa ignes erumpentes pascentibus et infra serpentibus habitato monstrum illud „Chimæra .. mediis in partibus ignem, Pectus et ora leæ, caudam serpentis habebat", ut *Ovid.* met. IX. 646. sq. 555 Cacus] „Huic monstro Volcanus erat pater, illius atros Ore vomens ignis magna se mole ferebat". *Verg.* Aen. VIII. 198. sq. 556 Typh.] „.. sub qua [Aetna] resupinus arenas Eiectat flammamque fero vomit ore Typhoeus", Gigas ab Iove fulmine ictus. *Ovid.* met. V. 352. sq. 557 Phaëton *1. 6.* Phaeton pene *edd.* De hac fabula ipsius Hutteni 'Inspicientes' conferantur. 559 Aemon.] Thessalicum: Argo in Thessalia facta erat. tauri] „Ecce adamanteis Volcanum naribus efflant Aeripedes tauri ..." *Ovid.* met. VII. 104. sq. 560 se *ante* Eumen. om. *2.* Eum.] „Adsint ab imo Tartari fundo excitæ Eumenides, ignem flammeæ spargant comæ". *Senec.* Herc. fur. 86. sq. Cerberus] „et sparsit virides spumis albentibus agros". *Ovid.* met. VII. 415. 563 Cf. v. 526. 564 nefas *3. 4. 7*

Virus habes urisque oculis, ut tu omnia visu
Consceleras; Naso vates quem carmine pingit
Invidiæ vultus non multum abludit ab illo.
Ne mihi dic studium, ne dic mihi, pessime, vitam,
Neve inconcinnos mores, verissimus index
Omnibus est vultus, qui te docet esse malignum,
Esse levem semperque malum semperque paratum
Officere. ut taceas, quid iam septem egerit annis,
Forsitan haud dicam, dicam haud, at verius omni
Coniiciam vero: te cuncta audere nihilque
Posse negas? at te produnt tua carmina: sed cur | Ortvini versus pessimi.
'Crimina' non potius? neque enim videoque legoque
Putidius quicquam: totum infla versibus utrem,
Infla ambas buccas, ut te uno carmine vincat
Buschius aut aliquis Musarum mactus alumnus,
Isque tuis similes, si quid certaveris, uno
Mille die versus faciet. tu te esse poetam
In populo iactas, quia, quo te insania ducit,
Huc potes emuncto pituitam mittere naso?
'Carmen' ais 'scribo': dicam, indoctissime, carmen
Quod pecus Arcadiæ pecora inter inertia rudit,
Et quod cantat epops, et quod feralis ab alto
Nunciat Ascalaphus? tibi non rudiore Minerva
In Sicula Polyphemus aqua contendere posset.
Quæ cum ita sint, cur tu Capnionem invadere mavis | Furor Ortvini
Quam furere ista domi et tecum insanire seorsum?
An potis es furere hunc intra conclave furorem?
'Non sum' ait: exerce miseris latratibus ergo
Et linguam et dentes et quæ tibi plumbea vena est.

---

[566] Naso] Metam. II. 768. sqq. „... Pallor in ore sedet, macies in corpore toto, Nusquam recta acies, livent rubigine dentes, Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno; Risus abest, nisi quem visi movere dolores; Nec fruitur somno vigilacibus excita curis, sed videt ingratos intabescitque videndo Successus hominum, carpitque et carpitur una, Suppliciumque suum est ..." [569] in concinnos 7. [572] Septem anni post 1510. efficiunt a. 1517. [577] Cf. *Hor.* sat. I. 4, 9. sqq. [578. sqq.] Hos versus ipse Buschius certe non scripsisset. Cf. præf. nostr. [580] tui *3.4.7.* [581] faceret *3.4.7.* [582] ducit *1.* [583] Inurbanius hoc quam solebat Huttenus. [584] ait *3.4.6.7.* [585] pecus Arcad.] asinus. [587] Ascal.] Acherontis et Avernalis s. Stygiæ nymphæ filius, in bubonem conversus tristium rerum præsagus nuntius. *Ovid.* met. V. 538. sqq. *Verg.* Aen. IV. 462. c. *Serv.* [588] Sycula 7. Polyph.] *Verg.* Aen. III. 673. sqq. „Clamorem inmensum tollit, quo pontus et omnes Contremuere undæ penitusque exterrita tellus Italiæ curvisque inmugiit Aetna cavernis". [593] uæna *1.2.*

Aude iterum, cerrite, nefas, fure, corripe, morde!
At si quem punire statim pia numina vellent,
Cum tabula capsisque tuis pluteoque librisque
Ambustum facerent collapso desuper igni.
Aspice ut intorquet vultus oculosque minaceis — Fascinantes Ortvini oculi.
Improbus, et quærit furiali offendere circum
Intuitu. quodsi salvos nos esse volemus,
Lictor, ades, frontemque liga, ne fascinet omnes!
  Invitus saltat concentum Ortvinus ad istum:
Sed gratum est unum hoc, socio quod Tungarus illi — Arnoldus de Tungaris.
Agmine contigerit, contra Capnionis honorem
Prævia quod tulerat magno vexilla tumultu
Et duce Hogostratto sævibat in ordine primus,
Ortvino perflante tubam doctoque sonoro
Aere ciere viros martemque accendere cantu.
Ausus hic in Capniona libros conscribere passim — Scripta Tungari in Capnionem
Edidit in famam, relegique a Cæsare iussit:
Ocia Cæsar habet, vacet his ut, inepte, fabellis?
Ulterius tamen insanis, flammamque minaris,
'Errat enim' exclamas 'Capnion', iterumque ais 'errat':
Hoc abs te dici capitale est, Tungare, cum te
Tota errare via cuncti videamus; at illud
Propositum est, ut fama operis te proferat huius,
Atque isti certasse viro te, utcunque feratur,
Egregium ducis. tanti facis, improbe, famam, — Tungarus ad famam aspirat.
Artibus ut pravis, fœdo ut certamine quæras?
Forte parum fuit hoc, quod adhuc falsarius audet,
Depravare libros sanctosque invertere sensus,
Unde alicui possit Capnion errasse videri:
Mallem ego perpetuæ, cives, oblivia famæ,
Quam sic esse super, quam sic mihi quærere nomen.
At quia signa tulit, quia primus atrocia sumpsit
Arma, tulit precium iam nunc certaminis ingens
Tungarus, et gaudet saltem a Capnione notari,

---

[594] cerite nefas *1. et e.* cernito *2.6.* Cerritus = furiosus. *Plaut.* Amph. II. 2,143. *Hor.* sat. II. 3,277. *Nonius, Paul. Diac. et glossogr.* [598] vultum *edd. sed corr. Christ.* „aliter numeri non constant". minacces *3.4.* [601] 'I, lictor, conliga manus'. *Liv.* I. 26. *etc.* [603] socioque (socioq; *pro* socio ꝙ) *edd. sed iam Christ. rectum viderat.* illi] ille *7.* [605] quod] ꝗ *1.2.* quod, *pariter atque v.* 603. [608] Aëre *5.* [610] Aedidit *3.* in fam.] contra Capnionem calumniosos. [611] fabellis] libellis *3.4.7.* [613] exclamans *7.* [617] certare *3.4.7.* [618] improbo *5.* [626] præcium *1.5.* pretium *2.6.7.*

Qui te pestiferis iaculis petiere tuamque | Digressio ad Capnionem.
Non extinguibili famam livore secantes
Mortem affectarunt, his tu, sanctissime, vitam
Ingenii largiris ope? his tu tanta refundes
Præmia, ut his moveas æternos nomen in annos?
Poscit enim quocunque modo immortalis haberi
Tungarus, et scelere hoc, quia non virtute meretur,
Accipit, inque tuis fert poni utcunque libellis.
At tacitus dolor est, quod sanctis moribus illud
Non potius capiat, quodque haud facit haudque laborat,
Vellet habere tamen: vis magnum, Tungare, nomen,
Vis memores nos esse tui, vis sanctus haberi,
(Namque ita velle scio) atque istis hoc moribus ambis?
Quin bibis helleborum et, quibus hic furor exeat, herbas!
Cum quateres dextra tædam in Capniona peruncta, | Somnium Tungari.
Nocte ferunt media patriam tibi voce minanti
Iratæ similem, similem ulciscique volenti,
His visam monitis: 'Quo tu in quem turbine præceps,
'Quo, Catilina, ruis? quo te furor impius urget?
'Qua pice, sulphure quo cladem minitaris iniquam,
'Arsuras succincte faces? tune alta superbæ
'Teutoniæ ornamenta paras consumere flammis,
'Pernicies patriæ? nescis, heu, perdite, nescis
'Quem tu hoc igne petas'. sed nec tibi cœpta vetantis
Consilium matris, neque notus profuit error:
Insanire tibi libuit, libuitque perire:
His furiis istoque odio, quod te secat intus,
Nec si te affligas, aut si te ruperis intra
Viscera, perficies quo te minus omnibus annis
Omnis posteritas odio condemnet acerbo
Execrentque tuum venientia secula nomen
Summum ob flagitium et magni Capnionis amore,
Quem petis invidia, de quo spolia ista reportas.
I nunc, aude iterum divinum incessere vatem, | Insultatio.
Aude acri certare viro, et virtute potenteis
Insectari odiis, aude, insulsissime, scriptis | Tungari scripta.
Munitam invicta virtutem excindere fama:
Quo studio, quave arte, miser, qua vi genioque

---

640 Nanqȝ *1...4.* Nanque *5.6.* 642 tedam *1.2.6.* 644 *alterum* similem *om. 7.*
646 Qua *7.* 652 notus error] cognitio erroris. 658 Excerentqȝ *4.* Exerent *5.*
664 Mumeam *3.4.7.*(!) famæ *2.6.*

Scribis, ut istud opus venturo tempore quenquam
Qui legat esse putes et olentes stercore libros?
Diis, miser, iratis et Parca nate sinistra,
Quos cadis in laqueos? ex quo tibi gloria cœpta
Sperata est, hinc pœna redit: Phlegethonte sub imo
Nullus aperta legit crudelius ilia vultur,
Intolerabilior nulla est rota, nullaque peius
Tantaliam movet unda sitim, leviusque feruntur
Horrida Sisyphias saxa exercentia vires,
Quam pœna est, quamque hæc, quæ te intus et in cute rodit,
Conscia mens scelerum cruciatque ac viscera mandit. | Conscientia Tungari.
Dissimulare tamen vis et nil tale videri:
Quæ tibi præcipua est versutia nataque tecum, | Dissimulator Tungarus.
Contra quam facis et quam tu es componere vultum
Obstipo capite, et panda cervice oculisque
In terram fixis sanctos præmittere mores;
At qui te norunt morosum difficilemque
Impurumque vocant, simulatoremque peritum,
Et nugatorem, tumidumque atque oris amari;
Idque palam sensit Capnion, ultusque repente
Has tibi compegit manicas, hæc vincula capto
Intudit, inque suo iubet apparere triumpho.
I, miser, ut spectere miser. verum esse laborat
Vinctus Apella miser tecum, laterique propinquum | Ioannes Pfefferkorn Iudæus tinctus.
Se conferre tuo. sinis hinc tecum ire, potesque
Huic par esse loco? 'Possum' inquit: nam dedit illi
Quosdam olim monitus, quoddam hoc didicisse magistro
Tungarus ipse refert, tuncque est armatus ab illo,
Cum pugnam adversus magnum Capniona pararet:
Dux fuit Arnoldus cœptorum, hic prodidit hostem: | Pepercornus proditor Capnionis.
Non equidem melior, non es tu, Tungare, purus
Hoc magis ingenio. sed me prius omnia perdant
Numina, quam patiar nebulonem hunc ire superno
Vertice et evinctis sublimem insistere plantis,
Et cœlum spectare oculis istoque triumpho

---

668 nata *3.4.7.*(!) 670 Phlegetonte *3.4.* 671 Nulla *2.6.* Nullius *1.3.5. ut septem pedes versus habeat*, *unde Christ. propos.* Nulli adaperta. De Prometheo, Ixione, Tantalo, Sisypho supervacaneum est adnotare. 672 Intollerabilior *1.* 674 Sysiphias *edd.* 675 quanque *5.6.* Cf. *Pers.* sat. 3,30. 681 „*legendum* promittere" Christius. *Nil muto:* præmittere *est* præ se ferre. 690 senis *4.* 695 Lemma in *5.* est: *Peperdi-|tor Ca- nionis.* 699 evinctis *2.6.* evictis *1. et ceteri, falso.* 700 cælum *3.*

Esse homini similem: fure nunc, canis improbe, torvo
Nunc fera dente seca, sumpto nunc percute cornu
Et Suevum et iuvenes pro Suevo tela ferenteis.
Huc mihi (namque meum est hunc instaurare triumphum),
Carnifices, clamate duos; vos omnibus armis,
Pepercornus quo modo trahendus in triumpho
Vos cruce, vos laqueis et adacto funibus unco
Hanc mihi, carnifices, operam date, ponite primum
Ut facie in terram versa genibusque supinis
Nec cœlum aspiciat, nec nos contaminet istis
Attactos oculis, quoniamque impura locutus,
Mordeat ore solum et quiddam de pulvere mandat.
Quæ mora, carnifices? quin vos huic ore retorto
Excipitis linguam, magnorum prima malorum
Semina, ne medio possit non fanda triumpho
Dicere! quin nasum atque ambas avellitis aures,
Inseritisque uncum pedibus, trahitisque supino
Pepercornus unco trahendus.
Poplite verrentem facieque et pectore terram!
Proderit excussos etiam disperdere denteis,
Ne maneat labris, quo quenquam lædat, in istis.
Interea, quanquam trahitur post terga redactis
In ferrum manibus, digitos truncate supremis
Unguibus. 'Immane est' dicit mihi Tungarus 'istud':
Immane est; at vos tormento immanius omni
Ausi estis facinus. 'læto committe triumpho
'Hunc saltem integrum, ne mœstum hæc gaudia monstrum
'Turbet'. at hic nemo est cui sit miserabile quicquid
Contigerit vobis; vestri miseratio nullos
Hic movet affectus, rident puerique virique,
Et faciles doluisse nurus facilesque puellæ
Una omnes rident, plausuque favente sequuntur
Hunc Iudam appensis pedibus, tractumque supino
Pepercornus Iudas.
Occipiti, et scabros revomentem in sanguine denteis,
Confossumque unco, lingua nasoque carentem,
Atque exarmatum digitis, auresque videntem
Ante suas nunquam visas. Num, perfide, malles

---

701 Recidit auctor in spumantem acerbitatem qua in Exclamatione contra alterum Pepericornum de dignitate sua vehementer discessisse mihi videtur. 703 Reuchlinum Reuchlinistasque. 704 Carnificinam inmanem facis triumphum. Miror tam tetra odiosaque cuiquam nisi carnifici placere, neque intellexisse poetam ex sua indesinenti crudelitate aput humanos lectores Pepericorno favorem exoriri. 709 cælum *3.* 712 qui *2. 5.* 719 Nec *2. 6.* 722 Dicunt tibi alii quoque. 734 i. e. auribus abscissis. Indignus lusus, ut hæc omnia.

Non fugisse necem, meritam pro crimine pœnam,
Quam nunc esse miser? sed, quæ tibi ferrea mens est,
Lætaris vidisse prius, te semina dante,
Te caussamque malis, Capniona quiete carentem
Turbatumque senem, lachrymasque in plebe refusas
Pro condemnato, punitosque igne libellos.
At tu, cui gratum est omnem turbare quietem,
Et miscere viros pacique inducere bellum,
Ut Christi discorde pecus pastore vagetur:
Nam neque tu Christum (simules quanquam omnia) servas: Pepercornus quomodo de Christo.
Quodque aliquid tulerit Capnion, nunc aspice eodem
Lumine victorem, teque hoc in pulvere tractum
Pectinibus patulis, aptoque ad verbera tergo
Conscindi flagris et iniquo fuste domari;
Qua cum te invidia misere cruciaveris, intra
Ilia tabescas, et lenta morte supremam
Exhales animam, multis exempla daturam.
Huc agit ingenti celebris Moguntia plausu Moguntia.
Urbis monstra suæ, bene de Capnione mereri
Non nunc incipiens, commotaque eiicit ira
Te, Bertrame, odio dignum caput, omnia nisum, Ioannes Bertram de Naumburg plebanus Moguntinus.
Omnia conatum, si quid convellere posses
De Capnione bono. sed dic cur, pessime, tandem
Iam cupis in studiis quicquam elaborasse videri,
Cum vita fuerit studiorum nulla priori
Cura, nec ullus amor? quid vita fecit in omni?
'Christi pavit oves': immo hunc crapulosa vorago
Pavit aqualiculum, quemque hanc vix portat in urbem;
Cura saginandi semper fuit unica ventris:
Cernite, glutones, comedones, cernite, ventres,
Vestrum hic opprobrium: bene pastum hunc et bene potum
His ego coniunxi sociis, palearia pendent
Pectus ad extremum, collum caput urget obesum;

---

739 causamqꝫ *3.4.7.* 740 plæbe *1.2.* 749 fusce *1.2.5.6.* 750 Non nunc] Iam d. 11. Oct. a. 1513. Hochstratus cum suis tamquam hiantes lupi e Moguntia discedere coacti fuerant. 756 Triumviri Bertramus, Zehender et Mayer, alias etiam ab Hutteno non laudati, laudantur Epist. O. V. II. 33. De Mayero et Decimatore in primis etiam Hutteni ad Nuenarium epistola d. 3. Apr. a. 1518. scripta (vol. I. p. 165. §§. 5. 6.) conferenda est. nisum, servas *5.* 759 elabŏrasse. (versus male elaboratus.) 762 Imò *3.4.7.* crăpulosa. 763 quenqꝫ *1...4.* quenquā *5.* quenque *6.* 764 sagniandi *4.* 765 'Vivite lurcones, comedones, vivite ventris'. *Lucil.* ap. *Non.* v. Lurcones.

Vix aliquid loquitur, loquitur tamen omnia nostræ
Partis in exitium: quod dii prius omen in ipsum
Convertant, recidantque suæ dira omnia linguæ.
Quo te, venter, agis? quin hunc odiique malorumque
Adiungis socium? Mitte huc te, vipera, ferro
Inde manus dignumque puta si fune ligeris,

Bartholomeus Zehendner qui et Decimator dicitur concionator Moguntinus.

Sive cathenatus magni Capnionis ad urbem
Tractus eas: neque enim peiori canduit alter
Invidia, nulli rupit magis ista quietem
Cura atque iste dolor: sta nunc, Decimator, in illa
Sublimis cathedra, diris clamoribus aureis
Nunc rudis infesta populi, atque in simplice turba
De Capnione refer, vigila, cruciare, diurnis
Arde suppliciis, nocturnum abrumpe soporem,
Ilia duc, tacitos gemitu testare dolores,
Palle hac invidia, et quoniam clamare vetaris
(Quæ fuit una tui livoris et una nocendi
Insita vis animo), lento consumere tabo:
Ad Capniona nihil clamor tuus et tua præceps
Pertinet ira nihil, livor nihil et nihil huius
Palloris rabies. Sed quo te, Mayre, reponam,
Petre, loco? quove ore tuos pro tempore reque
Exponam mores? tu, qua se Mogus in urbem
Fert mediam, partim de Francis nomen habentem,

Petrus Mayer plebanus Francofordiensis.

Partim a Saxonico dicentem mœnia bello,
Ingens, iracunde, malum summumque citasti
In populo, furiose, nefas: tantum infima plebes
Et vulgus muliebre animi dedit, auxit avaræ
Impetus invidiæ. qua nunc, vanissime, rumpes

Vanitas Petri.

Materia iecur hoc, quove exercebis amaram
Ex odio linguam, quo nunc sermone placebis
Huic populo, quem dente petes, quemve ore maligno,
Quandoquidem licet in Capniona nihil, nihil ista
Amplius in caussa? quantum est potuisse furentis
Iudicio vulgi stolidæque placere cohorti!
At siquando tibi ridet leviora loquuto,

771 recitantque 7. (!) 775 catenatus *3. 4. 7.* 778 sta] Ita *3. 4. 7.* 786 lento consumere tabo] '*es verzehre dich schleichende Schwindsucht*'. turpe optatu. 789 Mayre ponam *edd. Aliquid corrigendum esse, ut versus sibi constet, in 1. 2. 5. 6. posito asterisco ante* Sed *indicatur.* reponam *Hpt.* Maier *in marg. 2. 6.* 792 *Frankfurt.* 793 *Sachsenhausen.* 795 plæbes *1. 2. 5.* 797 rump. iec.] cf. *Iuv.* sat. VII. 117. „rumpe, miser, tensum iecur". 802 causa *3. 4. 7.* 804 locuto *3. 4. 7.*

Aut siquando oculos fanti lugubria tergit
E populo quisquam vel de mulieribus istis,
Tum sublime caput tumefactaque nubibus effers
Labra tenus, plaudisque manu mollique triumphas
Continuo gestu, tunc te hæc suggesta tuumque
Vix capit hoc regnum, tunc tu omnia voce lacessis
Omniaque exuperas et inanem percutis auram,
Tunc tu victor ovas et tanquam e cæde recenti
Poscis serta redux laurique e fronde coronam;
Hosque inter plausus et in hac, nequissime, pompa
Vis humilis dici Galilæi e plebe magistri
Discipulus, solumque refers a nomine Christum,
Solum a veste refers; qui si te immiserit hosti,
Ut doceas, tunc terga dabis placidamque quietem,
Desidiose, petes atque hæc suggesta relinques;
His titulis atque hoc prætextu in plebe notari
Non magni facies, ultro Christumque negabis.
Utcunque hæc aliquis tamen æstimat, omnia vincit,
Quæ tua præcipua est, puræ simulatio mentis.
Præterea nemo est ex vulgo indoctior isto, ¶ Petrus Mayer indoctissimus.
Audax nemo magis; sed enim qui pessimus omni
Creditus e numero est tantum hoc sibi censet iniquum,
Quod tecum ingreditur, quodque hoc servile triumpho
Tecum ferre malum vel eandem cogitur iram.
Francia, magnanimæ semper fœcunda iuventæ, Francia orientalis Petri patria.
Nobilitate virum nullis regionibus impar
Et nulla inferior, dic quid magis ante pudendum
Produxti hac sobole? te scilicet ista cicatrix
Dedecet, ista vomex; tu, perdite, nominis huius
Atque huius labes populi, tu stigma pudorque
Inventus fueris, neque te prius omnia pessum
Numina, sic meritum, dederint. Sed iam ista triumpho
Una mora est. I, dira lues, i, pessima mundi
Progenies, multis pudor et scelus, at decor uni,

---

806 muliĕribus. *Possis* vel si muliercula mollis (*s.* simplex). 814 nequissima *3. 4. 7. quod etiam versus vetat.* 815 Vix *edd. omnes.* Gal. mag.] Christi. plæbe *1. 2.* 817 refecs *3.* qui si *feci ex edd.*, cuius. *Hpt. addidit* te. „docete omnes gentes" *Matth.* XXVIII. 19. *etc.* 820 plæbe *1. 2.* 829 magnanime *1. 5.* 832 Prodŭxtĭ. *Possis.* „.. dic quam magis ante pudendam Produxti sobolem? 833 vomex] *pro* vomica. 836 isto *edd. Hpt. corr.* ista *Christius* adn. „Corripit syllabam quam non decebat [istŏ]. Grammatici etiam contendant debuisse scribere *isti,* non *isto.* Grammatici inquam: usus antiquorum non æque". 838 uni] Pepericorno.

Vivere quem nolint omnes, quem vivere solus
Hactenus haud nolit Capnion et gaudeat unus
Isto fune trahi, atque istas mordere cathenas.
Dicat Io, si se novit Germania, dicat, Plaudendum triumphanti Capnioni.
Quoque videt propius festos accedere currus,
Hoc magis ingeminet bis Io, bis Ioque sonando.
At quisquis clamabit Io mecum, hoc aget unum,
Pullatumque gregem captorum et inertia Fratrum
Agmina missa libens faciat, nec spectet euntes
Ultra ipsosque duces, et adhuc sine nomine vulgus
Numinaque et spolia et cessantia deserat arma,
Fercula nulla oculis obeat, nec cogitet ultra,
Sint ea grata licet, quæcunque occumbere iussi
Amisere hostes, solo in Capnione moretur,
Hunc oculis, hunc mente virum gerat, illius istum
Det celebretque diem fortunæ et casibus æquis.
Ventum est ad currus: ita nos fœdissima frustra
Detinuere diu turba spectacula inanis.
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.
Hæc armenta atque hos auratos cornua tauros, Hostia Capnionia.
Corpora lecta, iubet sacras sibi victor ad aras,
Voti compos, agi: superis ea victima salvo
Pro Capnione cadet. sequitur factura ruenti Musici Capnioni canentes.
Lætitiam populo Musis gratissima turba;
Omnibus unicolor tunica est et candida vestis,
Serta gerunt capite et nexas e fronde coronas
Populea, tenduntque manu frondentia palmæ
Victricis folia sparsumque in termite fructum;
Pars cithara, pars voce canunt, pars cornua rauco
Implent curva sono, perflant tibicine mixto,
Ille tubas, alius triplici tortum ordine circum;
Sunt qui fila lyræ, sunt qui testudinis amplæ
Transadigunt nervos digitis chordasque pererrant,
Barbitos huic dulces, huic dat sua tibia ludos,
Huic pulsatur ebur, sonat huic cita pectine buxus,
Ferratos ferit hic crates, ille ordine iunctos
Folle premit calamos tresque elicit impete voces
Diversas uno; sunt et Corybantia matris

---

841 catenas *3...5.* 842 Dicas *2.* 864 e *omis. 3.4.7. unde* „Hiatus est metricus [i. e. capite et] sed nimis insuetus". *Christius qui non nisi 3. ad manus habuit.* 866 folia] spolia *7.*(!) termine *7.*(!) cythara *3.4.7.* 872 Barbatos *edd.*

Aera Phrygis, dantque ingentem percussa boatum
Tergora tensa boum; feriuntur sydera cantu,
Accipiunt montes acceptaque carmina reddunt,

Lætitia in triumpho Capnionis.

Percussæ reboant valles, sylvæque vicissim
Exaudita canunt; mirantur numina ruris
Faunique Dryadesque et quæ sua flumina servant,
Quæque deæ fontes et florea prata nemusque
Et virides curant saltus, Capniona canenteis
Observant numeros repetuntque ea gaudia secum.
Interea lecti iuvenes puerique suavi
Concentu mulcent aures et grande coacta
Harmonia modulantur epos, concinnaque mixtis
Addunt verba modis Capnionis habentia laudes.

Laudes Capnionis insertitæ.

Hic vir, hic est, cives, quem vos paulo ante petitum
Mille dolis, mille insidiis atque arte maligna,
Promissa doluistis ope, hæc venerabilis illa est
Canicies sancti capitis, cui debet honorem
Et cui semper habet plenis Germania votis,

Fortitudo Capnionis.

Virtute illustrata viri; hic est ille ferorum
Intrepidus domitor monstrorum invictaque mastix,
Qui temere Fratres ausos temereque Sophistas,
Laudis opus plenum et memorandum in secula factum
Contudit, et multa trepidos formidine sternens
Intactam asseruit ab iniquo iudice famam;

Innocentia Capnionis.

Qui debellatis infanda parantibus omni
Exuit opprobrio sese, ementitaque liquit
Post tergum scelera, atque e suspicione remersit,
Quam facti temuere rudes; hæc gloria, cives,

Invidia Capnionis apud malos.

Hæc illa invidia est, multorum exercita nisu
Atque uno defensa animo; diis gratia nunquam
Non scelera ulcisci vetitosque volentibus ausus.

Capnionis res gestæ in fastos.

Dicat Io, si se novit Germania, dicat,
Inque inculpatos referat clarissima fastos
Facta viri, memorique omneis æternet in annos
Decreto titulisque, et quos decernit honores
Victori populorum et qui se in sanguine mersit
Hostili, quique armorum præcelluit usu,

---

[878] sidera *3.4.7.* [880] silvæque 7. [882] Faunique Dryopesque *edd.* Dryopes, Epirotas, non voluisse auctorem, sed Dryades, satis apertum est, quamvis nemo adhuc dixerit. [896] μάστιξ, flagellum. Capniomastigum nomen tum populare fuit. [900] ab Hochstrato. [902] opprobria *edd. præter 5.* [903] e] et 7. suspĭcione [906] defenso *3.4.7.* [910] omnes *3.4.7.*

In magnum Capniona ferat, qui sanguine nullo, | Victoria Capnionis.
Nulla hominum strage et nullo fœlicia ferro
Prœlia confecit, quibus haud sua nomina tantum | Capnion communis libertatis assertor.
Extulit, atque a se feralem propulit iram
Liventis populi, verum communia multis
Verbera sustinuit, clypeoque excepit acerbam
Invidiæ plagam et pro multis irruit unus:
Millia tot Fratrum rapturamque omnia flammam
Præcipiti extinxit saltu, quæque impia non sunt
Scribendi proprio reparavit iura periclo,
Neve unis liceat Monachis unisve Sophistis
Libera verba loqui, illius virtute peractum est.
Vos, quibus invidia est, Lethæo occludite somno
Liventes oculos, sinite immortale triumphet | Capnionis immortalitas.
Qui decus immortale meret vivitque volatque
Dotibus ingenii, quem nos conferre superbo
Possemus Latio, cui non mutabilis aufert
Annorum series quicquid sua facta dederunt.
Hic vir, hic est, cives, qui non torporis inerti | Capnionis industria
Segnicie secordis agens quæsivit honores,
Verum acri studio atque opera multoque labore;
Qui gravibus rebus quæsitus Cæsaris egit | Capnion de Cæsare benemeritus.
Et patris et nati caussas; qui plurima fecit,
Plurima qui docuit, non ventri obnoxius unquam
Et nunquam indulgens; quique, ut nos vera doceret, | Capnion pro vero
Quæ non dura tulit, cui non se inferre periclo
Est ausus? qui si temere non Ennius olim | Capnion quatuor corda habet.
Adscripsit tria corda sibi, nos quattuor isti
Iure bono dabimus scribenti apteque loquenti
Quattuor in linguis, patria Græcaque Latinaque
Et tandem Hebræa. quare infantissima Fratrum
Plebs sileat; quis enim melius multa ardua scribet, | Capnionis opera.
Rectius et dicet quam qui multa ardua novit?
Hic vir, hic est, cives, qui, quam quis legerit alter,
Plura dedit calamo, qui primus comica scripsit, | Capnion comicus.

[915] felicia *3...5.7.* [916] Prælia *3...5.* numina *3.4.7.* [917] protulit *1.3...5.7. falso.* [922] Reuchlinus innocuos Hebraicos libros ab igne vindicavit. [924] unisve] uniusúe *3.4.7.* [933] Segnitie 3.4.7. [936] Friderici III. et Maximiliani I. causas *3.4.* [940] si] se *1.2.6.* qui se non temere Ennius *3.4.7.* quatuor *1.3...5.* „Quintus Ennius tria corda habere sese dicebat, quod loqui Græce et Osce et Latine sciret". *Gell.* N. A. XVII. 17. [939] Quatuor *1.3...5.7.* [945] Plæbs *1.2.*

Germanisque suis scœnam patefecit et amplam
Ostendit caveam vetuitque silere theatrum;
Plurima qui numero, qui plurima lege soluta
Condidit, invenit qui multa incognita nobis,
Optimus interpres, qui certe pluribus annis — Capnion iure consultus.
Ante duces summos in Cæsareoque senatu
Ius dixit quam quis studuisse putabitur alter;
Qui, quo non verum argueret verumque doceret, — Capnionis syncerita s.
Nullius expavit vires iramque minasque,
Simpliciter semper, sine pompa semper inani,
Citra omnem invidiam, nisi quam sua lucida virtus,
Ut fit, apud sciolos peperit sibi docticulosque.
  Hic vir, hic est, cives, cui si Germania posset
Ipsa loqui, tota in vocem consurgeret unam,
'Macte gravi virtute senex, tu moribus istis — Germania Capnioni loquitur.
'Atque isto ingenio paris immortalia laudi
'Ornamenta meæ, per te, ne barbara dicar
'Aut rudis, effectum est; te nunc ego grata saluto,
'Te grata amplector, te grata remunero pro tot
'In patriam meritis: quicquid debetur honoris
'Qui servat bello vel qui me liberat armis,
'Accipe. præterea iubeo meminisse nepotes
'Et nomen celebrare tuum. salve, inclyte vindex,
'Victor, ave, dilecte deo, dilecte parenti;
'Fœlix prole tua, fœlix tu, Phorca, superbo
'Semine, fœlices etiam, materque paterque,
'Qui mihi, qui vobis talem genuistis alumnum!'
Diceret hæc certe, caneret Germania certe:
At nos interea, quando hoc ita tempora poscunt,
Grata triumphanti canimus; ne dicite, cives,
Quenquam istas laudes merito maiore tulisse.
  Dicat Io, si se novit Germania, dicat:
At iam se novit, sensit te, sensit ad unguem,

---

[949] scœnam *3.4.* scenam *5.* Scænica progymnasmata, Argentor. 1497. 4°. edita posteaque sæpe repetita. Sergius sive Capitis caput, quæ comœdia ante illam scripta, post eam autem publicata est diversis editionibus. Cf. *Erhard* Gesch. d. W. d. W. II. p. 152. n. 4. 5. scæn. patef.] Heidelbergæ primum aput Dalbergium, a. 1497. [950] theatr.] mysteria, moralitates et similia; sed nimium h. l. Reuchlinicis comœdiis tribuitur. [954] Reuchlinus inter triumviros I. D. Suevici fœderis Cæsarique a consiliis fuit. [958] Hutteni dictum χαρακτηριστικόν. [960] Ut sit, *7.* [965] Ita Huttenus (vol. I. p. 106. §. 6.) de Erasmo et Reuchlino „Duos Germaniæ oculos omni studio amplexari debemus: per eos enim barbara esse desiuit hæc natio". [973] Felix *3...5.7. et sic in sqq.*

Et succlamat Io miro lætissima plausu.
Dicite Io, cives, et Io bis dicite, cives,
Visite honore deos, onerate altaria donis | Supplicatio
Et votas offerte preces, date munera grati
Pro conservato Capnione: idque omnibus annis
Constet opus titulo, neve obscurata vetustas
Eximat hoc famæ; titulo superaddite carmen,
Pro debellatis, Capnioni dona, Sophistis.
    Hos inter cantus, hæc inter carmina et inter
Plaudentis populi strepitum pulcherrimus alto | Currus triumphantis Capnionis.
Invehitur curru Capnion et lumina pascit
Spectantis turbæ, pulchras agit ipse quadrigas,
Non tamen ex auro, solido non ex argento;
Quo vehitur, quo victor ovat, qua mole triumphat,
Cedrinæ iunxere trabes et vivida buxi
Robora, iuniperique leves et vimina daphnes:
At folium teretes hederæ complectitur axes,
Vestit idem radios: at curvatura supernæ
Cincta rotæ violis et rore innexa marino;
In totoque rosæ, in toto sunt lilia curru,
Pulegiumque virens et odoræ gramina minthes,
Et myrtus Veneri et Phœbo nascens hyacinthus,
Salviaque et nullis obnoxia ruta venenis,
Et saliunca recens et amaracus additur istis,
Aureus abrotani flos, hyssopique virentis
Germen, et ex omni quicquid congessimus horto
Frondentis vel odoriferi. stat florida sedes,
Floridior sedet ipse super, cui prima venustas | Capnion triumphans
Et primus decor est albentia tempora canis,
Quæ mixtim nexæ lauroque hederaque coronæ
Circumdant, capitique instat victoria duplex;
Dextra Oculare manus Speculum tenet: illius ergo | Speculum Oculare Capnionis liber.
(Nomen enim libri est) Fratres in bella coacti
Atque Ubiæ schola gentis erat, rapuit vafer ansam

---

[985] efferte *5.* præces *1.* [996] Cēdrīnæ. *Possis* Hanc cedrinæ *etc.* Poetarum omnes dilectæ arbores. Sequentia diligentem historiæ naturalis Plinianæ studiosum produnt passim. [999] radius *3.4.7.* [1000] roræ *7.* [1002] mintha, mentha, menta *etiam Romani scribebant.* [1004] Saliuaque *1...3.6.7.* [1006] abrothani *1...3.5...7. Propie* abrotoni (ἀβρότονον), *sed legitur etiam* a. Iucunde gravi odore olere hunc florem aurei coloris Plinius H. N. XXI. 10,31. dicit. Artemisiam abrotanum dicunt hodie, Germani pervarie adpellant. hysoppique *7.* virenris *4.* [1011] mixtum *7.* [1013] *Augenspiegel* s. l. et a. (Tubing. a. 1511.) prodiit in 4[0].

Verpus ab hoc Monachisque dedit quod turbine moto
Imbelles acuere iras; hinc illa repente
In Capniona viri conflata est factio, livor
Hinc vagus emersit, præter qui Teutonas urbes
Et doctam Italiam et fuscos impleret Iberos,
Pannonas et populos quos Rhæticus alluit Ister,
Quotque secat Rhodanus, quot inundat Sequana gentes,
Quæque Caledonios penetravit turba Britannos;
Hic liber est atque hoc congesti insigne duelli,
Notum laude sua, quod cum phanaticus igni
Ferret Hogostrattus, Capnion victrice Minerva
Eripuit, tutumque tenet semperque tenebit,
Ingenii monumenta sui, monimenta pericli.
Læva gerit teretem victrici ex arbore ramum,
Cæsareas aquilas thorax, victricia signa,
Pictus habet; virides circum est effusa quadrigas — Qui post currum Capnionis
Iure perita cohors vatumque exercitus omnis,
Ingenioque omnes clari studioque frequente
Laudati, quosque effecit doctrina celebreis,
Quive aliquo meruere coli pacto. omnibus istis
Mens erat in flammam supremaque funera victo
Cum Capnione trahi et medio in certamine siqua
Forte laborasset, prompti concurrere, prompti
Auxilio succedere erant summisque periclis
Fœlices animas dulcemque exponere vitam:
Centum Italos video, centum hac ex gente poetas,
Et totidem iuris doctos, sed nomina nondum
Omnia nota mihi: video a Capnione notari
Quemque suo titulo, video impertire salutem;
Omnibus his non vilis honos, omnesque virenti
Fronde coronat helyx. Da nunc, da, Phorea, triumpho,
Da pompæque locum; nunc tu, communiter omnis
Nunc læta atque hilari percussa ad sydera voce
Dicat Io, si se novit Germania, dicat.

1016 Verpus] circumcisus Ioa. Pepericornus. quod (ꝙ *1. 2.*) *edd. præter* qui *5.* 1018 Capnione *edd.* viri] Pfefferkorni. 1021 Rhœticus *3. 4.* alluit *omis. 2.* 1023 Calydonios *edd.* Correxi quamvis ab ipso auctore errorem pro sui temporis pravo usu conmissum esse putem. 1028 monum.] monimenta *3. 4. 7.* 1029 Leua *1. 2. 5. 6.* 1030 Pictis *edd.* 1040 Felices *3...5. 7.* 1041 hac] Germanica. 1043 Cf. Reuchlinistarum exercitum vol. I. p. 130. sq. 1044 Quenqȝ *1...4.* Quenque *5. 6.* impartire *3. 4. 7.* 1048 sidera *3. 4. 7.*

Hoc omnes vincant, hoc omnes iure triumphent, | Parasceue
Moribus atque animis istis, virtutibus istis.
Quique sequestratis vitiis et fraude remota
Vixerunt quique immunes scelerumque malorumque
Exegere dies, studiosaque pectora veri,
Innocuique omnes et quorum libera corda
Pro Christo fuerant et relligione parentum,
Et certare viris et ferre extrema parati,
Quique odio Fratres enervatosque Sophistas
Ob scelus aut certe ob cuncta ignorantia corda
Sectati fuerant, iterumque iterumque triumphent,
Et titulo Capnionis ovent, sua gloria dignis
Eveniat! sed nunc Capnioni ex omnibus uni
Dicit Io, quia se novit Germania, dicit.

Sequitur in *1. 2.* quam vol. I. p. 237. sq: num. CII. 2. exhibuimus auctoris ad theologistas adlocutio „Laqueum sumite, Theologistæ". *et r. cui 5. superscripsit* „Compellat autor ad extremum Theologistas his in prosa oratione conceptis verbis".

[1050] uincunt *3. 4. 7.* triumphant *edd. sed cf. v.* 1060. sqq. [1056] religione *7.* FINIS Triumphi *3. 7.*

VLR. DE HVTTEN

EQ.

AD CARDINALEM HADRIANVM

VIRVM DOCTISS. ET GERMANORVM IN VRBE PATRONVM

PRO CAPNIONE INTERCESSIO

legitur vol. I. p. 138...141. num. LIIII.

Pictura Triumphum Reuchlini representante, quæ fere versuum 129.sqq. et 990. sqq. linearis explicatio exemplo Indice bibliogr. Hutt. XVI. *1.* descripto et ad Münchianum exemplar (XVI. *7.*) parum accurate transcripta addita est, libenter hanc quoque editionem exornarem; sed cum eius repetendæ sumptus utilitatem nimium superare atque ipsius Reuchlini effigies magis etiam inlustrando huic operi nostro inservire videretur, malui hanc imaginem subici quæ ad exemplum vitæ Reuchlini a v. cl. Lamey Germanice docte descriptæ (*Pforzheim.* 1855. 8°.) additum felici imitatione expressa est. De ea editor hæc aduotavit „*Die Umrisszeichnung ist von Herrn Rahn in Giessen nach dem Oelporträt gemacht, welches aus der Verassenschaft des Professors Mai, eines Pforzheimers, des ersten ausführlichen Biographen Reuchlins* († 1719.) [cf. Ind. bibl. Hutt. XVI. *5.*], *in der dortigen Universitätsbibliothek aufbewahrt wird und bereits Thorwaldsen für die Walhallabüste gedient hat. Das Facsimile hat Hr. Wehrle dahier, welcher den Steindruck besorgte, aus einem der hebräischen Codices in der grossh. Hofbibliothek zu Karlsruhe entnommen*".



Joannes Reuchlin phorcensis LL. Doctor.

HVTTENI POEMATVM

PARS QVARTA.

CONTRA ROMANISTAS PRO LVTHERO.

[a. 1519...1523.]

Ad carmina de rebus ecclesiasticis in primisque Lutherianis ab Hutteno composita pertinent etiam tum ii versus omnes quos dialogis Germanice ab ipso editis aut præmisit aut adiecit, ut exeunte anno 1520. edito quattuor dialogorum exemplo Germanico,

Zu dem leßer der gesprächbüchlin [Feber, Vadiscus ꝛc.]

vol. I. p. 450...452. exhibiti, itemque singularibus additi, ut in fine Germanicæ Febris primæ

Das Feber zum Curtisanen.

vol. IIII. p. 40. sq., præfatio Vadisci quæ inscribitur

Das Büchlein spricht.

vol. IIII. p. 147. sq. eiusdemque dialogi epilogi Latinus et Germanicus

De triade Romana epigramma,

Zu dem leßer von dißer Römischen dreyfaltigkeit.

vol. IIII. p. 259., præfatio dialogi Die Anschawenden,

Vber das nochfolgend Büchlin zů dem leßer.

vol. IIII. p. 270., tum egregia duo carmina a. 1521. condita, Latinum alterum, ad *Helii Eobani Hessi, ut Christianæ veritatis causam et Lutheri iniuriam armis contra Romanistas prosequatur* [Huttenus] *Exhortatorium.*

vol. II. *p.* 68...71. *exhibitum et*

Hulderichi Hutteni carmen responsorium.

ibid. p. 71...75. editum, alterum Germanicum,

Ain new Lied herr Vlrichs von Hutten.

vol. II. p. 92...94. cum duobus Conradi Lœffeli odis Germanicis (ibid. p. 94...98).

Singulis quæ hac parte continentur carminibus singulas præfationes præmisimus.

IN INCENDIVM LVTHERIANVM
EXCLAMATIO
VLRICHI HVTTENI EQVITIS
ANNO DOMINI M.D.XXI.

Ein Klag
über den
Luterischen Brandt zu Mentz
durch
herr Vlrich vonn Hutten.
[1520.]

EPISTOLA
VDELONIS CYMBRI CVSANI
DE EXVSTIONE LIBRORVM LVTHERI
ET
MONACHORVM DOMINICANÆ FACTIONIS NEQVITIA
AD
GERMANIÆ PROCERES ET CIVES.
ITEM
CHVNRADI SARCTORIS SAXOFRANCI
DE EADEM RE
AD GERMANOS ORATIO.

Das teutsch Requiem
der verbranten Bullen vnd Bebstlichen Rechten.

PRÆFATIO.

De Hutteni carminibus, Latino et Germanico, in Lutheranorum librorum Moguntinam combustionem, de qua vol. I. p. 436. v. 29. p. 438. num. CCX. et vol. II. p. 4. v. 4. sqq. mentio facta est, sufficit hoc loco ad Indicem bibliograph. Hutten. n. XXXIII A. XXXIII B. studiosum lectorem rettulisse. Libellorum, quos addidi, Udelonis Cymbri Cusani sive Chunradi Sarctoris Saxofranci vel Francosaxonis, quod utrumque nomen simulatum esse videtur, exempla eiusdem Indicis p. 63*. descripsi; prius in adnotatione significatur numero *1.*, Goldastiana repetitio littera *G.*, Sartoris transformatio numero *2.* De vero libelli auctore mihi non constat, nisi quod 'Lutheri discipulus' et a Persianarum satirarum lectione recens fuit; neque ficta illa nomina in Vincentii Placcii theatro anonymorum et pseudonymorum legimus. ceterum puto de hoc Udelonis libello verba Lutheri intellegenda esse, quibus utitur in epistula die 28. Nov. a. 1520. ad Ioannem Langium scripta (*Schütze* II. 36. *de Wette* num. CCLXXI.), hæc: „Idem Alcander famoso, sed ingenioso libello incessitur multis vitiis", quamvis eadem verba Wettius ad Litaneiam Germanorum (vid. vol. II. p. 53.) rettulerit. certe Hutteni in Aleandrum invectiva (vol. II. num. CCXXVIIII.), cum Lutherus illa scriberet, nondum prodierat. Iuvabit autem cum Udelonico de Aleandro iudicio conferre quæ de eodem nuntio apostolico Lutherus ipse ad lectorem Actorum academiæ Lovaniensis a. 1520. præfatus est (Opp. Lat. ed. Witeberg. tom. II. fol. 34a. sive ed. Ienens. tom. I. pl. ccccxcvia.) „Venit his diebus Hieronymus Aleander, vir sua opinione longe maximus, non solum propter linguas, quas eximie callet, siquidem Ebræa illi vernacula est, Græca a puero illi coaluit, Latine autem didicit diutina professione, sed etiam mirabilis sibi videtur ob antiquitatem generis. nam Iudæus natus est, quæ gens immodice gloriatur de Abraham vetustissimo se originem ducere. An vero baptizatus sit, nescitur: certum est eum non esse Pharisæum, quia non credit resurrectionem mortuorum, quoniam vivit perinde atque cum corpore sit totus periturus, adeo nullum a se pravum affectum abstinens: usque ad insaniam iracundus est, quavis occasione furens; impotentis arrogantiæ, avaritiæ inexplebilis, nefandæ libidinis et immodicæ, summum gloriæ mancipium, quanquam mollior quam qui possit elaborato stilo gloriam parare, et peior quam qui vel conetur in argumento honesto. At ne nesciamus, cessit felicissime simulata defectio ad Christianos: nactus enim sic est ansam illustrandi Mosi sui et obscurandi Christi gloriam, quæ hoc seculo cœpit reflorescere flaccescente superstitione et pestiferis hominum traditiunculis. Itaque instructus literis pontificiis nuper venit perditurus (quantum potest) optima quæque. Vale. Id vos candidos lectores scire volui".

Libellum Das teutsch Requiem, quamvis perparvi faciendum, cum inde Hutteni exclamationi in incendium Lutherianum Germanicæ inscriptio facta esset in Münchii farragine Hutteniana, aliique deinde fuerint qui Hutteno eum adiudicarent, ut tam vana suspitio refellatur, repetendum esse videtur. Auctorem, quisquis fuerit, Latine sua scripsisse ac postmodum Germanice vertisse crediderim. Exempla inter libros meos hæc tria habeo, singula quaternis foliis in 4^0. s. l. et a. indicatione edita: *1.* = ¶ Das teutsch Requiem der ver=|brãnten Bullen vnd Bebst=|lichen Rechten. *(Paginæ altera et postrema vacuæ sunt.)* *2.* = Das Teütsch Requiem über die | verbrãnte Bull, vnnd | das Bäpstlich | Recht. | *(Paginæ altera et duæ posteriores vacuæ sunt.)* *3.* = Das Teütsch Requiem der | verbrãnten Bullen | vnd Bäpstlichen | Rechten. | *(Altera et postrema paginæ a scriptura vacant.)* — Non nullas tantum variantes scripturas ex *2.* et *3.* subnotavi.

IN INCENDIVM LVTHERIANVM EXCLAMATIO

VLRICHI HVTTENI EQVITIS.

Ergo tot insomnes rapient incendia noctes
Sanctaque veriloqui morientur scripta Lutheri?
Hoc flammæ dederint scelus? hoc peccabitis, ignes?
Auxilium ferat unda piis, cadat imber ab alto
Extinctum ferale malum! Da, Christe, tuorum
Hoc votis precibusque piis, si scribere dignum est
Et servare diu nunquam mutabile verum,
Testamenta tui si recte adsumimus oris.
En pereunt tua verba, pater, tua dogmata triste
Dantur in exitium; mundo, quam tu ipse dedisti,
Pessum it libertas; inmiti oppressa tyranno
Servit et indignum tua fert Ecclesia regnum:
Non licet ingenua verum depromere lingua,
Aut leges mandare tuas; humana iubemur
Credere, divinæ decreta silentia legi;
Impius Ausonia dominatur ab urbe sacerdos
Regna super mundi, sublimem vulgus adorat
Pontificem, lubet ille deum se intendere ritu
Deposcitque coli vice numinis, idque revinctus
Purpurea mollis chlamyde, et squallentibus auro
Induitur tunicis, triplici diademate vertex
Cingitur. huic autem, quoties se ostendere vulgo
Atque palam proferre libet, sua terga repente
Subiiciunt bis sex iuvenes: ea libera turba est
Et, puto, Germana est: ruit innumerabile circum
Scribarum vulgus et turba ignobilis oci,
Quique notant, quique inveniunt, fraudumque magistri

LVTHERANVM *4.* Lutheranum *5.* VLR. H. EQ.] *omis. 5.* [1] insontes *3.* [6] pręcibusqȝ *1.* præcibusqȝ *2.* [7] nunq̃ *2.* [11] immitti *4.* Immiti *5.* [14] tuas? *3.* [16] IMpius *4.* [20] chlamide *1. 4.* chalmide *2.* squallentib. *1.* squalentib. *2.* [23] palam *omis. 3.* [26] ct *omis. 2.* [27] i. e. notarii, protonotarii, bidelli et q. r. s.

Et techuarum omnisque doli scelerumque satores
Sartoresque mali: tua nunc Ecclesia, Christe,
(Namque hoc prætextum est, quo toti illuditur orbi)
Hæc persona boni est tantum complexa malorum:
Quod tu, Christe, videns statues sine fine ferendum?
Tandem intentatam, vindex iustissime, fraudem
Et factum toties tibi fucum ulciscere tandem!
Ecce tui adsertor verbi, qui multa docebat
Multaque scribebat, quo vindice pulsa redibat
Lex tua, pro levibus revigebant vera fabellis,
Nominis ille tui præco, quem vera docentem
Dilexere pii, turba aversata malorum est,
Dat nunquam meritam sub iniquo iudice pœnam.
Quo tu oculos, pie Christe, tuos frontisque severæ
Tende supercilium, teque esse ostende neganti:
Namque hæc haud quisquam faceret qui te esse putaret:
Qui te contemnunt igitur mediumque tonanti
Ostendunt digitum, tandem iis te ostende potentem.
Te videat ferus ille Leo, te tota malorum
Sentiat inluvies, scelerataque Roma tremiscat
Ultorem scelerum; discant te vivere saltem
Qui regnare negant, sit quo terrere nocentes
Solarique pios licet; compesce superbe
Grassantem in leges et libera iura furorem;
Audaces cohibe mentes, obsiste tyrannis,
Insontes qui fraude necant vique omnibus instant;
Et nunc ardentes, tua fortia verba, libellos
Respice, magne pater, dirumque ulciscere factum.
Te petit hæc rabies, tua sunt opprobria, legi
Vis fit ista tuæ. contra scelus omne probatur
Laudaturque nefas. Tandem expergiscere, tandem,
Ut se quisque gerit, meritæ sint præmia vitæ;
Divinum superet verum, servetur honestum:
At pereat flammis Aleander Apella sub istis,
Authores scelerum pereant sævumque Leonem

[29] Christe? *3*. [30] Nanqȝ *3*. [31] Hęc *2*. [32] videns] rediens *1. 2. 4. 5*. [35] ECce *4*. [38] preco *3*. Preco *4*. [39] adversata *5*. [41] seuerę *1*. seueræ *2*. [42] negrnti *2*. i. e. ostende te esse ei qui te negat. [44] contemnunt *2*. qui Tonanti medium digitum ostendunt aptius hic dicerentur 'spernuntque divinum Omnipotentem patrem' vel aliter evitatis Iovis nomine et digiti ostensi figura. [46] ferus Leo] i. e. Decimus idemque de quo in sacris scripturis sermo est. [59] meritę *2*. premia *4*. [61] Appella *2*. apella *3*. [62] Autores 4. *5*.

Emissæ repetant furiæ, conflagret ab igni,
Quo nunc inocuum petit impia Roma Lutherum.

IACTA EST ALEA.

Eyn Klag
über den
Luteriſchen Bꝛandt zu Mentz
durch
herꝛ Ulrich vonn Hutten.

Jſts nun ach Got do kommen zů,
Das ſo haſt vnns geleret du,
Das auch nit ſtrafflich, ſonder war,
Den leüten nymandt ſagen gdar?
Soll nun deyn götlich woꝛt zergan?
Vnnd nemen alle mennſchen an
Was hat geſátzt eyn ſterblich man?
Ach gott ſoll warheyt haben endt,
Deyn heylig ſtifftunng werden ztrenndt,
Die du doch gſátzt auff feſten grunndt,
Gelernet haſt mit eygnem mundt
Vnnd wolteſt das die blyben ſtedt.
Nym war gott herꝛ deyn woꝛtt zergedt.

Exemplum ind. bibl. Hutt. num. XXXIII^{B}. 1. descriptum sequor, nisi quod multa in fine versuum plurimorum posita puncta aut omisi aut in minores interpunctiones, commata vocant, mutavi. Possederat exemplum quo usus sum, nunc Bibl. univ. Lips. („Ges. Werke. 522. n⁰. 24.), Fꝛobinus vonn Hutten, qui nomen suum primæ paginæ inscripsit. Exemplorum XXXIII^{B}. 2...6. tantum memorabiliores diversitates adnotavi, Schreiberianæ autem et Münchianæ contaminationis nullas. Exempli 5. non nisi prima et ultima pagina ad manus mihi est, Friburgi Brisgoviæ a me descripta: hoc exemplum interpunctionem nullam (neque puncta neque commata) habet nisi utroque loco post nomen Hutteni in inscriptione et in fine.

Post v. 3. Anno .M.D.XXI. *add. 4.*

Ain clag *5.* brandt der | Luteriſchen bücher zů | Mentz *5.* her *5.* von *2...6.* [1] gott da *6.* ů *non habet 4. sed* u *et hinc inde* ů. [2] ßo *4.* [3] auch *6.* ſtrefflich *4.* ſunder *6.* [4] leuten *4.* lüten *6.* nyemandt *2.* dar *2.3.* [5] Sol *5.* din *6.* gotlich *4.* göttlich *6.* tzergan? *4.* zergon? *6.* [6] menſchen *6.* [7] geſetzt *4.6.* ain *2.3.* *(et sic passim* ai *ubi* ey *sive* ei *habet 1.)* ein *6.* [8] warheit (*et sic ubiq.* heit) *6.* [9] hailig *2.* heylig *3.* ſtiftung *4.* zutrendt, *4.* zertrendt *5.6.* [10] geſetzt *4.* gſetzt *6.* grundt *4.6.* (*et sic in sqq. una* n). [11] Geleeret *6.* aignem munndt, *2.* eygnem munndt? *3.* [12] Vnd (*una* n *ubiq.*) *6.* bliben *6.* [13] dein *2.* deyn *3.* (*ut in sqq. utrumque exemplum solet.*) din *6.* zerget *5.*

Hie brendt des frummen Luthers gſchrifft,
Drumb das ſy deyn geſätz betrifft,
Vnnd das es iſt die warheyt bloß
Wie die auß deynem munndt erſchoß.
Hie brennen herr vil gůtter wort,
Hie wirt deyn götlich leer ermordt,
Hie thůt man gwalt der predig deyn,
Hie gibt man alles laſters ſcheyn,
Hie wirt deym gſätz entgegen gthan.
Hie heyſt man loben yederman
Das doch nie billich wart noch recht,
Hie wirt vnbillicheyt vorfecht,
Hie wirt der bäpſtlich ſtanndt geert
Vnnd vndertruckt was du geleert,
Hie lert man rauben ſey keyn ſündt,
Hie lobt man böſe liſt vnnd ſünndt,
Hie krigt man wyder erberkeyt,
Hie gilt nitt mer was du haſt gſeyt,
Hie wirt deyn Euangelium voracht,
Hie übt der Bapſt eyn vnnorſchampten bracht,
Hie wirt zů recht vnrecht gemacht,
Hie iſt war geyſtlicheyt vorlacht,
Hie geht vor billicheyt gewalt,
Hie hatt vnnſchuldt keyn auffennthalt,
Hie man bekümpt all dinng vmbs geldt,
Hie wirt all redlicheyt zerſelt,
Vnnd iſt bedort die ganntze weltt.
Hie gibt man ablaß vnnd genad,
Doch keynem der nitt pfenning hat,
Hie wirtt gelogen, hie gedicht,
Eyn ſünndt vorgeben ee ſy gſchicht.

---

[14] brenndt *6. In marg. huius versus* ☞ *est in 6.* [15] ſie *4. (et sic in sqq.)* din *(ubiq.) 6.* gſätz *1.6.* gſätz *2.3.* btrifft. *4.* bedrifft *5.* [17] vß *6.* [19] göttlich *4.* [20] thůt *4.* din. *6.* [21] ſchein. *2.* ſchyn. *6.* [22] würt *6. (ubiq.)* deyn *1.3.* dein *2.* deym geſetz *4.* dim gſetz *6.* [23] haiſt *2.* heißt *6.* yedermann. *1.* [21] wart *sic edd.* ward *6.* [25] vnbillichait *2.* billicheyt *(om.* vn*) 4.* [26] Bepſtlich *4.* geert. *1.* [27] gelert *5.* [25] Hye *6. (et sic in sqq. usq. ad v.* 41. *excepto v.* 31.*)* rouben ſy kein ſünd *6.* kain *2.* ſundt, *4.* [29] vnd ſundt. *4.* [30] kriegt *2.6.* [31] nit *2. (et sic infra sæpius, non semper.)* nit *6. semper.* gſeit. *6.* [32] veracht *2.6.* [33] vnuerſch. *6.* pracht. *4.* [35] gaiſtlichait veracht˙ *2.* [36] gat *6.* [37] vffenthalt. *6.* [38] bekumpt *4.* Hye man über kumpt alle ding *6.* [39] alle *6.* zerfel. *2.* [40] bedört *4.* verkert *6.* [41] gnad *edd.* [42] had. *4.* [43] wirt *2.4.* [41] ſundt *4.* vergeben *6.*

Darumb der ſchanndt tregt nyemandt ſcham.
Hie wirt vorſchworn deyn heylger nam,
Vnnd doch gehalten nitt eyn wortt,
Das recht gebraucht an keynem orth,
Hie wirt verkaufft der hymel deyn,
Geurteylt zů der helle peyn
Eyn yeder der hynwyder ſagt,
Hie iſt wer warheyt pflegt vorjagt,
Hie wirt teutſche Nation beraubt,
Vmbs geldt vil böſer dyng erlaubt,
Hie bdennckt man nit der ſelen heyl,
Hie biſtu hergot ſelber feyl,
Vnnd die deyn ſchaff befolhen han,
Alleyn die nůtzunng ſehen an.
Vorhůten nymandt dennkt deyn hert.
Was du geſagt, iſt ganntz vorkert,
Vnd iſt eyn Leo worden hirt.
Der ſelb deyn ſchåfflеyn ſchabt vnnd ſchirt
Vnnd würgt ſy nach dem willen ſeyn,
Gibt ablaß auß, nympt pfennig eyn,
Mitt ſeyner geſelſchafft, die er hat,
Die geben diſſen dinngen rat,
Vil ſchreyber, vnnd Copiſten vil,
Die machen was ein yder wil,
Vnnd ſchreybents dann der kirchen zů,
Als hetteſt das vorwilligt du
Vnnd ſey zů Rom die kirch alleyn.
Ach gott nůn mach dich wyder gmeyn,
Als haſt von anbegynn gethan,
Laß nitt die böſen herſchunng han,
Laß vnndertrucken nitt deyn ler.
Ach herr den ſynn des Bapſts beker,
Das er laß von der tyranney,
Vnnd ſte dem recht vnnd warheyt bey.

---

45 niemandt *4*. (*et sic infra*). 46 verſchworen din heyliger *6*. nam t *3*. 48 kaynen ort. *4*. keinem ort. *6*. 49 verkaufft *2*. hymell *4*. 52 veriagt' *2*. 53 Deutſche *4*. würt die tütſche *6*. beroubt, *6*. 54 pöſſer ding *4*. erloubt. *6*. 55 bedenckt *2*.*3*. ſeelen *6*. 57 beffolhen *6*. 58 uutzung *1*. 59 Verhüten *2*. 60 gſagt, *1*.*6*. *Versum* 60. *omisit 2*. 62 ſchefflеyn *4*. 63 wurgt *4*. ſin. *6*. 64 jn. *6*. 65 gſelſchafft, *6*. 66 diſen dingen *6*. 68 ain *2*. yeder *2*.*6*. 69 ſchribens *6*. 70 verwilligt *2*.*6*. 71 ſy *6*. 73 von *om*. *6*. gethon. *6*. 74 pöſſen *4*. 76 Bapſtes *1*...*3*.*6*. *sed a vet. manu* e *deleta est in 1*. 77 tyranny, *6*. 78 ſthe *4*. by. *6*.

Schaff das ſeyn mündt werd ab gewenndt
Von Eren, die baldt haben enndt
Vnnd von dem reychtumb dyſſer welt,
Das wirt in kurzer weyl zerfelt,
Vnnd dennckt alleyn auff geyſtlich ſach,
Do du yn auch hieſt ſtellen nach,
So wirt deyn warheyt haben ſtadt,
Vnnd dyſſen ſachen geben radt.
Dann deyner leer iſt nitt gemeß,
Das yemer hab der welt beſeß,
Vnnd ſich darneben vnderwynndt
Der geyſtlicheyt, vnnd ſo geſchwynndt
Herſch über deyn geſalbten ſchar.
Ach hergott nym der ſachen war,
Das werdt der glaub nitt gar zertrenndt,
Genommen ab deyn Teſtament.
Sich wie man deynen ſchäffer tregt,
Mitt ſeyden, purpur, angelegt,
Wie er ſo weyplich iſt geziert,
Wie mann ym ſchmeychlet vnnd hoſiert.
Sich wie er wolluſt treybt vnnd pracht,
Dadurch du werden magſt veracht
Beyn Heyden vnnd ins Türken lanndt,
Dann ſöllichs iſt inn wolbekanndt,
Vnnd wiſſen dich zu ſchelten nitt
Dann durch des Babſts verkärten ſyt.
Hyerumb ym gyb eyn anndern ſyn,
Das werdt gezogen boßheyt hyn,
Vnnd ſey eyn beſſer regiment.
Jedoch wirt Luther yetzt geſchendt,
Seyn gſchrifft vnnd gütte leer vorprenndt,

---

[79] abgewenndt. *1.* [80] eeren *6.* bald *6.* habenn *4.* (*et in sqq. sæpius quam supra* nn.) end. *6.* [81] rychtumb diſer *6.* [82] ynn *4.* wyl *6.* tzurfelt. *4.* [83] allein vff *6.* [84] yhn *4.* hyeſt *4.* Da du ouch jn hieſzt *6.* [85] Szo *4.* ſtadt. *1.* ſtatt. *6.* [87] gemäß *6.* [88] yemer *1.* Jenant (*sic*) *vet. m. correxit.* ye mer *2.* ymant *4.* beſäß. *6.* [90] geyſtlichheit *6.* ßo *4.* [93] zurtrendt. *4.* zertrennt. *6.* [96] ſyden *6.* [97] ßo *4.* wyplich *6.* getziert. *4.* [98] yhm *4.* man jm *6.* [99] wulluſt *1.* wolluß *3.* trybt *6.* [100] voracht. *4.* [101] Byn *6.* [102] Dem ſölichs *6.* inn *corr. vet. m.* nun *1...3.6.* yhn *4.* woll bekandt. *4.* [103] wyſſen *4.* [104] Bapſt *2.* vorkärten *4.* verkerten ſitt. *6.* [105] yhm *4.* [106] werd *6.* getzogenn *4.* [107] ſy *6.* [108] Jedoch *corr. vet. m.* Doch *1...3.6.* Je doch *4.* ietz *3.* [109] Sin *6.* geſchrifft *4.* güte *6.* verbrenndt. *6.*

Das ſey dir werder Chriſt geklagt,
Er iſt nie gefordert, nie bedagt,
Wiewol er ſich erbeüt zů recht.
Man thůt gewalt dem gottes knecht,
Umb das er warheyt gpredigt hatt.
Ach hergot gib unns hülff und radt.
Es iſt gewůtet ye genůg,
Du ſichſt yrn glimpff unnd auch yr fůg.
Dich aber liebſter brůder meyn,
Durch ſollich macht vorgwaltigt ſeyn,
Byn deynethalben ich beſchwert,
Doch hoff ich es werdt widerkert,
Unnd werdt gerochen deyn unſchuldt.
Drumb diener gottes hab gedult.
Möcht ich dir aber beyſtandt thůn,
Unnd raten diſſen ſachen nun,
So wölt ich was ich hab am gůtt
Nit ſparen noch meyn eygen blůt.
Got wirt es aber rechen baldt,
Vorwar du mir das glauben ſalt,
Dann er den grechten nie vorließ,
Da laß dich auff, es iſt gewiß.
Ich habs gewagt.
Ulrich vonn Hutten.

---

[110] ſy *6.* [112] woll *4.* erbüt *6.* [113] důt *5.* gottes *corr. vet. m. et sic 4.* gutten *1...3.* guten *5.6.* [114] warhait *5.* gepredigt *2...4.* geprediget *5.* predigt hat. *6.* [115] hulff *4.* hilff *6.* ratt *5.* [116] gewůttet yhe genug. *4.* gewüet *5.* [117] yhrn *4.* iren *5.* jrn *6.* yhr fug. *4.* iren fůg *5.* [118] min, *6.* [119] vorgwaltig *2.* vorgewaltigt *4.* vergwaltiget *5.* ſyn. *6.* [120] deynent *5.* dinent *6.* beſchwärt. *6.* [121] werd *6.* wyderkert. *4.* wyderkert *5.* [122] werd *6.* [123] Drumb Luther diener gots hab gdult *5.* [124] Mocht *4.* byſtandt *6.* [125] rathen dyſſenn *4.* [126] wolt *4.5.* an gůt *5.* [127] min *6.* aigen *5.* blutt. *4.* [128] würt *5.* balt. *4.* bald. *6.* [129] Fürwar *5.6.* glouben ſolt. *6.* ſolt. *2.4.* ſaldt *5.* [130] rechten *2.* gerechtenn *4.* gerechten *5.* verließ. *2.3.6.* verließ *5.* [131] uff *5.6.* gewyß. *4.* von hutten. | ☞ *5.* von *6.*

EPISTOLA
VDELONIS CYMBRI CVSANI
DE
EXVSTIONE LIBRORVM LVTHERI
ET
MONACHORVM DOMINICANÆ FACTIONIS NEQVITIA
AD GERMANIÆ PROCERES ET CIVES.

§. 1. Dominicanæ factionis Pharisæi, vulgus superciliosum, iam olim Iudæo male tincto, qui cum pipere trans mare venit, bonis literis eruditisque omnibus negocium instituerunt. Capnionem nostis? modestiæ ac literaturæ non vulgaris typum. Iidem nunc quoque suæ farinæ theologastris in partem vocatis Christianam tranquillitatem aliquot annis miris imposturis tentatam toto evertere audacter ingrediuntur, ut divinæ veritatis lumine extincto fraudium suarum crassissimam noctem mundo obducere et humani commenti tyrannidem substi-
§. 2. tuere possint. Venit huic negocio satis accommodatus Aleander, et idem Iudæus, Romano astu nebulo insignis, cui omnia venundari quæ mundus hic quæque cœlum habet potestas est, omnia quidem quam veritatem amplecti potest, nihil est quod non petat, dummodo avariciæ lorum non stringas, dummodo luxum in arctum non ducas Romanis; dignus hic qui apostolicæ scripturæ fucum faciat, qui pia et sancta invertat, honesta corrumpat, composita dissipet et mendaciis mendacia accumulet; dignus qui pseudochristianorum monachismo bonos quosque perdere | producatur. sitit profecto bestia hæc Cretensis Germanam libertatem, quærit ubique bullatis suis bullis, et ipse bulla, principes

CHVNRADVS SARCTOR FRANCOSAXVS
GERMANIS OMNIBVS
SALVTEM DICIT.

Dominicanæ — — tincto bonis — — negotium fecerunt. Capnionem modestiæ et — — typum nostis. Ii nunc — — Christianam integritatem suo pedore contaminare, impudenter, nullo adhuc prohibente pergunt. Accessit huic provintiæ Aleander, et idem Iudæus, necdum aqua salutari ablutus. Quod si aliunde non habeas, abunde quidem ex hominis moribus, et in omni ætate illaudanda vitæ scelestioris consuetudine. testis Parrhisiorum Luthetia, testis Roma, Bononia et Italia, et nunc tandem testabitur nostra quoque Germania. Dignus hic, qui Paulinæ et apostolicæ — — invertat, corrumpat, dissipet et mendacia mendaciis adglutinet; dignus ab pseudo christianorum monachismo bonos quosque perdendo producatur. — — Germanorum libertatem: quærit ubique bullans suis

---

[8] Iud. Ioa. Pfefferkorn. [20] §. 2.] Cf. Lutheri locum in præfat. transcriptum. Alexander *G.* indulgentiarius. [22] quam] præter. [23] avaritiæ *G et sic in similibus* t, *ubi* c *habet 1.* [27] Cret.] cf. Pauli ep. ad Tit. I. 12.

§.3 viros in capturam prædæ Italicæ abducere. Quod muneris a Romanensium decumano gygante iniunctum ut diligentius et cura maiore exequatur, omnes impudentiæ laxat habenas, nullis fraudibus dolisque hoc portentum abstinet, ad fallendum simplicium mentes impendio audax. At quid non auderet, semel amissa honestate, nebulonum malicia, qui quæque etiam nephanda, ubi spes refulserit nummi, patrare non recusant? Hoc est istud ulcus quod tangi nollent, cui novaculam addi posse negant: quoties enim aliquis ipsorum avariciam damnat aut recta revocare contendit, hic protinus in ecclesiam est impius, sacrilegus et siquid ullo nomine peius audit, iam non Christianus, sed hæreticus conclamatur. Dignus proscissor Aleander, qui pedicatores monachos defendat, et flagitiis fabricandis adiuvet, in id quidem Roma usque evocatus advenit. quorum malicia et inquinatissima morum libido toti mundo negocium iam diu fecit, neminem non prodidit, violavit, devovit et interemit. in quas respublicas pessimis artibus sese non insinuavit? quæ regna, ubi aliquando nidum suspendere cœpit, non extreme commovit ac seditiosissime turbavit? quos principes, reges Cæsaresque male tractando non infecit? cuius familiam non corrupit aut saltem sollicitavit? Nihil profecto ab horum salacia purum permanere diu potest. §.4 diris devovit olim Templariorum factionem Clemens quintus; quod si horum vitam cum illorum moribus conferamus, hi ex omni terrarum orbe proscribi longe quam illi digniores invenientur: sed altius quam ut evelli hæc labes possit, telluri insedit, nullo peniculo, sed rastellis et ligonibus abstergenda, ne pars syncera hoc putore infecta in præcipitium demittatur. Quis, bone Christe, ea scelera non auderet volvere et sine ingen|ti trepidatione cogitare modo, quæ impostores isti perficere non verentur: num Romanæ sedis Imperatorem sustollere, et, quod multo omnium horrendissimum, in sacrosancto eucharistiæ sacramento toxico de medio auferre ausi sunt? Quis in omni ætate atrocius flagitium unquam audivit quam quod Bernensis flammæ sanctus ille ignis cœlo ultore expiavit? ut Florentinum facinus et mille eius generis etiam taceam, quæ cum epistolæ prohibet brevitas, tum memorari quoque abhorret animus. unum hoc, quod recens et adhuc nuperum est, cuius gratia hanc epistolam potissimum scribere adgressus sum, tantum recensebo, ut quisque, cui cerebrum inest, clare intueatur quam impiorum hoc genus obeundis laboribus, quibus Christianæ synceritati imponat, patientissimum sit. At comœdiam §.5

Bullis, Principes viros in captivam spem prædæ — — ab Romano iniunctum gigante, ut commodius exequatur, — — fraudibus, mendaciis abstinet nullis. Nimium hoc monstrum ad fallendum simplicium animos vafritiis audax. — — malicia? Qui ubi spes refulserit numi, quæque etiam nephanda patrare non recusant. Probe morum mimesis hunc tali ductori gregem, et gregi talem invenit ductorem. Dignus — — defendat et adiuvet. Quorum — — non violavit, prodidit, devovit et interemit. Quas respublicas non corrupit? Quos Principes non maletractavit? Cuius familiam aut non infecit aut sollicitavit? Non Ro. sedis — — quod omnium — — ausi sunt. Ultricem apud Bernenses flammam, Florentinum facinus, et mille alia eius portenti flagitia libens taceam, quæ memorari cum abhorret animus, tum epistolæ prohibet brevitas. Unum hoc quod recens adhuc

---

9 andit *1.* 10 prosciscor *1. G.* qui *om. 1.* 17 solicitavit? *G.* 18 Clem. V. bulla *Faciens misericordiam.* d. 12. Aug. a. 1308. (Mansi XXV. 424.) 21 Henricus VII. a. 1313. 27 Quattuor hæresiarchæ ord. prædicatorum de observantia Bernæ combusti a. 1509. 28 Hier. Savonarola Florentiæ a. 1498. combustus.

ipsam nunc spectabimus: Martinus Lutherus, homo vitæ probitate eximie clarus et solidiore theologia nemini secundus, quinquennium abhinc spiritu domini eo evectus est, ut Christiano affectu mortales iuvare in vero dei cultu animose et constanter prodiret. nullus enim in Christianismo iam angulus pene extiterat, ubi non Christiano candore extincto nihil non commenti inductum esset: de Christi, me hercles, institutione præter bracteata nudi tituli tectoria aliud fere habebamus nihil; quo eiecto mera humanæ libidinis tyrannis in locum tam augusti regni substituta passim grassatur, Christo, paupertatis, concordiæ, pacis et spiritualium magistro relegato avariciæ, seditionum, pugnæ et carnalium doctor Leviathan in ecclesiam advocatus est: sic peccatis nostris, quibus acceptum tot seculorum malum referimus, iratus per annos plurimos Christus tam beniguiter ab integro misertus discussa errorum caligine veritatis solem mundo reddidit, et divinum evangelium, aliquamdiu ut protritum, nec sapien-
§.6. tum ingeniis dignum, in ecclesia antiquatum, prædicari passim voluit. Quæ res, cum procerum ambitioni, | qui de ecclesiæ habenis immodice gloriantur et fulmini posse imperare sese populo iactant, amaroris non parum allatura videretur, sacerdotum et pontificum avariciam in parte derasura, quæstui Romano, quo nundinatus Christianæ pietatis pudor vilissimis quibusvis prostituitur, modum aliquem præscriptura, non potuit hoc carcinoma cauterium, ubi in vivum pertrudi cœptum est, perferre: occurrere molientes Lutheri scripta et doctrinam, extra evangelium Christi nihil olentia, perdere ignominiose recta tenderunt, hoc modo suis fraudibus consultum iri arbitrantes. cœptum est caput Lutheri diris Romano episcopo devoveri, virum sanctum impietatis labe insimulare conati; quæ Christiana vel ipso Christo docente omnibus comperta sunt scripta, offensionis rea, erroribus scatentia et hæretica condemnata sunt: non potest enim quæ Christi sunt, ferre Belial. Hanc curam pessimis artibus exequi subierunt Dominicani monachi, Aphrum malum, antiqua pernicies, ducem secuti Aleandrum, anili dicacitate nobilem, quem Romanus sacerdos ad hæc mala enutritum nobis
§.7. urbe sævientem his diebus misit. horum opera Lovanienses theologastri æternum nomen sibi pepererunt, et Coloniensis synagoga, iam Reuchlino et ingenio et honore dignis coloribus picta, maiorem famam nacta est. Mensis est cum bacchantum et temulentorum more vicatim hostiatimque per omnes angiportus, ædes et dietas omnes passim discurrerent id genus nebulones, atque nunc hunc nunc illum ambiendo præhensarent, ut inventa aliqua suis dolis autoritate, innocentissimum et theologorum omnium Christianissimum Lutherum labe aliqua infa-
§.8. miæ denigrarent. Bone Christe, quæ Romanistarum impudentia orbi tum ibi innotuit, quæ temeritas et dementia monachorum comperta! veritate nihil pote-

et nuperum est facinus, Coloniæ mensem abhinc commissum: ubi quum diu temulentorum et Bacchantium more vicatim hostiatimque (, adde, retatim,) in urbe passim discurrerent, nunc — — prehensabant — — Martinum Lutherum labe — — denigrarent, et eius scripta, extra evangelium Christi nihil olentia, ignominiose perderent. Non potest enim quæ Christi sunt, ferre Belial. Bone Christe, quæ impudentia tum ibi orbi innotuit, quanta temeritas Monachorum comperta

---

2 quinq.] exeunte a. 1520. hic libellus prodiit. Cf. præf. 19 carcinomia *1.* 27 Aphrum] Afrum dici puto, „sicut turbines ex Africo veniunt" (Isai. XXI. 1.) Ceterum Afros versipelles esse refert Serv. ad Aen. VII. 724. 29 senientem *1.* 30 synagoga dicitur Coloniensis theologorum schola non propter Pepericornum, sed ex Matth. VI. 2. sive Apocal. II. 9. 31 autoritare *1.*

rant, mendaciis rem adgressi sunt, et quidem tam apertis, ut nemo non quantumvis lusciosus | clare videret. suggestu sacrificulus ille monachorum opera et commento instructus ad populum tanta impudentia detonare ansus est, ut mendacia, quorum bona pars auditorum etiam conscia fuit, perfricta fronte coram mentiri non erubuerit. Ad rogum quidem, Bernensis conflagrationis typo extructum, declamator ille nugivendus adstans imperatoriæ maiestatis et principum septemvirorum, penes quos Cæsarem designandi ius est et potestas, assensu Lutheri hæretici libros, monumenta, quæ ut posteritas coleret indigna, palam concremari, induratam hominis non ferendo errore insigni sacrosanctæ apostolicæ sententiæ facto pertinaciam testando. illorum item tam probando voto S. P. Q. Coloniensem constanter singulari quadam rei indignitate commotum subscribere, iis et longe pluribus impudentis mendacii sui næniis seculi iste sacerdos impietatem hanc adornare in plebe molitus est. Quo, Christe bone, §. 10 respicis? num hanc pestem fulmine aliquando disturbas? Audent, nullo aversante, nec deum hominemve ultorem tanti sceleris verentes, palam quæ diaboli fermento eruta sunt mendacia cum Christi evangelio mixta populo prædicare. Quis hoc serpentum et viperarum genus diaboli semen esse non dicat, qui patris ludo instituti tam inverecunde absque omni metu passim mentiri tam insigniter non erubescunt? Esto, imperatore connivente, quod ut credam perquam difficile inducor, ut ne mandasse quidem tantum heroa dicam facinus illud, per vos mira vaphritia commissum; adde et aliquot eiusdem unguenti, quos vel tyara Romano pontifici admodum devincit, votis vestris consilium opemque tulisse: tunc proinde, mendacissime prædicator, quotquot aderant principes viri, eos huic tragœdiæ involvere ausus es? credis tot hominum mille milia tam esse stupidos, ut multorum ignorantia principum scelus tuum adgressum te non videant intellegantque? Quorum si ali|qui etiam ex præcipuis adfuissent, mihi §. 11 crede, tu, ineptissime impostor, quam non procul a populi seditione in tuam perniciem abfuisse diceres? et dignus quidem hoc stipendio mendacissimus deblaterator. sed tu tibi prospice quam potes maxime prudenter, Kalendæ nondum abierunt, Senatus præterea quam ægerrime tuum infamandi rictum et mentiendi impudentiam tulerit, tute tibi abunde testis es, qui, ut pertinacius tuo flagitio posses patrocinari, sanctam tanti magistratus integritatem impurissimis oris tui

est. Veritate nihil poterant: mendaciis, et quidem tam apertis, ut nemo non videret, rem adgressi sunt. Quum enim cucullatus ille nebulo de suggestu ad rogum, quem ad typum Bernensis conflagrationis extruxerant, gaudialiter detonaret, et neniis suis aliquot aniculas in singultus excitaret, palam vociferare ausus est: Imperatoriæ maiestatis, omnium Electorum principum mandato, Lutheri hæretici libros nunc esse igni traditos: quorum item voto S. P. Q. Coloniensis constanter subscriberet. His verbis et multo longioribus ad plebem vociferans mendaciis tam impudentibus rem commendare conatus est. Multorum enim Principum ignorantia facinus tantum expletum. Et si quidam, quos Christus nobis diu servet, adfuissent, a seditione negotium hoc non longe abfuisse videres, et digna quidem Aleandro et monachis merces reddita. sed nondum kalendæ venerunt. Senatus item quam ægre tulerit hoc in se proclamatum a diabolo isto mendacium, eventus ipse docuit. Missum enim a patribus in ipsorum caeobum (cœnobium volebam, lapsus sum) quid talia in S. P. Q. Coloniensem ementiri palam

---

5 erubuit *1. G.* 24 millia *G.* 29 Kalendis exsolvuntur debitæ pecuniæ usuræque. 39 plębem *2.*

labiis contaminare atque huic fabulæ miscere haud veritus es; digna lingua quæ tam execrandi mendacii omnibus forpicibus pœnam et quam ocissime luat: hoccine satis bonos damnare innocentissime? etiam criminis tui socios ementiaris
§. 11. ac patronos. Quam diu quiescetis, iustissimi et iidem Christianissimi Germaniæ proceres? quamdiu bonos in universo mundo vestra gloria fraudabitis? quæ quidem erit, si hanc omnis virtutis et bonitatis serpigenam et alte sidentem maculam publicamque Christianæ religionis pestem ab omni Germania, imo universo terrarum orbe excutiendam curaveritis. Sed priusquam istos male loquentes male apud vos audire optarem, mallem omnem huius impiæ scenæ fabulam præ oculis vestris cavea eductam apparere; quod commodius futurum arbitror, si rem omnem, ut ab his infelicitatis contentionibus commissa est,
faciam autem debitum nomine meo, non tuo. Ex Græcis nihil secum advexit Georgius ad nostras nondinas / domi tamen habet quoscunque auctores tibi nuper in quodam indice notavi. Ioannes Herbipolita rediit ab Ubiis comitatus insigni pompa Baldistarum et Bartholistarum, nam musas dedignatur. Hunc ante dies X Moguntiam prætergredientem Erasmus Roterodamus, quem fortuna tum advexit, alloquutus est et ex Moller fecit Milium / signavitque in pugillari inter suos / quamvis ille nomen non admittit: contempnit scilicet ingesta magnifice non minus quam Herebordus tuus. Scribit mihi mira de eius humanitate et eloquentia extemporali; Multos de Erasmo prædicantes audivi. hæsitant in interpretando mores illius civiles, humanitatem, affabilitatem, comitatem et facundiam nestoream; Reuchlinus et Buschius obmutuerunt illo loquente anno præcedente Maguntiæ teste Hutheno meo. Nescio quo pergat. quæro ab Herbipolita. forte confert se ad Principem Karolum Burgundionem.

Vuldæ raptissime III. Eid. Iunii. Vale et cogita aliquid de rebus meis.

Mutuavi nuper Benedicto tuo coronam Gallicam non comode valenti permutare in argento aureum unum, quamvis non erat spes solvendi. Mala bestia / nescio siquid sciverit ex verbis Thomæ.

Crotus.

[Inscriptio:] Ad Kunradum Mutianum
totius antiquitatis consultum
tranquillitatis patrem
Amicum sanctiss.
Crot

Pag. 43. §. 32. *iam hæc adnotanda sunt:*

Vigilantium, quem æquales homines eruditi magnifice suspiciebant summisque laudibus efferebant, hodie parum neque fere nisi ex Becmanni farragine de litterarum universitate Viadrina congesta litteratis viris cognitum esse non mirabitur qui flores præclaræ indolis lætissimos, non fructuum uberum integram copiam scelere suo latrones, cum iuvenem in ipso ætatis flore occiderent, misere destruxisse resciverit. pauca Axungiæ scripta supersunt eaque inventu difficillima. spicilegium itaque, quod nunc dare possum, non dubito Hutteni operum studiosis gratum fore.

E libro (28 folior. in 4⁰.) *cui inscribitur* BELLICA PROGYMNASMATA A DI|uo Ioachimo Sa. Ro. Im. Sept. vi. Marchio|ne Brandenburgenſi. & Heinrico Ma-|gnopolitano duce Nouirupini ce|lebrata. & a P. Vigilantio la-|tinitati donata. Anno | dñi XII. ſup̃. M. D. *(Infra insignium depictorum quadratam tabulam:)* HOMO HOMINI

---

[1] grecis *MS.* [3] ab] *sic corr. pro deleto* ex *MS.* [4] De tempore parum accurate refert Crotus: die 1. Iun. a. 1515. Erasmus iam Antverpiæ scripsit Ioanni Sylvagio „Tandem explicui me e laboribus Basiliensibus ..." *i. e. ex Müller (s. Möller) fecit Mylium.* Cf. vol. I. p. 27. num. XII. cum addend. ad h. l. in vol. V. p. 513. Ad hunc Ioann. Mylium Herbipolitanum conplures epistolæ carminaque leguntur in Camerarii Libell. alt. epistolas complect. Eobani et aliorum. Lips. 1557. 8⁰. [8] Herebordus Margaritus ICtus, Mutiano amicissimus, ad quem huius epistolas conplures exhibet etiam Camerarii Libellus novus. Lps. 1568. 8⁰. [9] *Punctum ante* Multos *ego addidi.* [10] interp̃tando *MS.* [12] Maguntie *MS.* Hutheno] *Cf. cit. Hutt. ad Fuchs. epist.* quero *MS.* [13] Principem] *feci ex* P *MS.* *Erasmus Basilea in Angliam tum revertebatur.* [14] Vulde *MS.* [15] III Eid Iunii. *MS.* comode *MS.*

DEVS., *in cuius pænultima pagina legitur* ... Expreſſa Franco|fordij ad Oderā. ab Ioanne Hana|uio Calcographo: & finita die Mer|curij Kl'. Sept. Anno M.D.xij. *sequentia repetenda videntur:*

[*fol.* 2^a.] Reuerentiſſimo [sic] in chriſto Patri | ac domino : dn̄o Theodorico [*de Bülow*]: Lubuſi|enſi Epiſcopo : P. Vigilantius | Arbilla: Poęta & Orator. | S. P. D. | .... Ioachimū de Bulow : magnę ſpęi iuuenem . iam quinquennium in Italia ſub non penitendis pręceptoribus: mire in omni ſtudiorum genere ꝓficientē inſtituiſti & Heinricum de Bulow. tuumqȝ ex ſorore nępotem . Theodoricum Moltzan . hāc quantulācunqȝ eruditionem [*fol.* Aij^b.] meam atqȝ doctrinam maximi faciens: mihi tanq̄ minime contēnendo pręceptori erudiendos: docēdoſqȝ bonas literas tradidiſti . vnde ſperare licet in pluſculos annos non ſine ingēti honore: familiā tuā prorogatā iri: .... [*fol.* 5^b.] ...... Proinde hylaro vultu hunc libellum tuo nomini peculiariter dedicatū benignus accipe : o & pręſidium dulce decuſqȝ meum. & me cū mœrore nunc a te in Italiā abeuntem : vt facis ama: & bene vale Frācophordij ad Oderam octauo Idus Maij: Anno Duodecimo ſupra Seſquimilleſimum. [*subiecta sunt insignia episcopi depicta cum hac subscriptione* VIRTVTM DECS PONTIFEX:]

In oblatione libelli [pag. antepænult.] ad Ioachimum marchionem ab Achatio Philostorgo Francofurti die Solis. v. kl'. Sept. *a.* 1512. *scripta inter alias principis laudes hæc leguntur:* Idcirco. Publio Vigilantio Poetae: mihi amiciſſimo: defuncto: vt viuo illi pollicitus ſum: ſatiſfacere volens: quando abiens: opuſculum non contemnendum: haſticorum certaminum tuorum: Princeps Illuſtriſſime: tuam gloriam: tuasque laudes: non ſine pondere: ꝛ maieſtate quadam ferens: mihi emendandum reliquit: Reuerentiſſimoqȝ Pontifici: Cu[*fol. ult.* ^{a}.]bucen̄ . Dn̄o Throdorico: et omnium ſtudioſorum Patrono: et domino mihi pientiſſimo: ibipſum inſcripſit: dicauitqȝ: voluit viuus. Illuſtriſs. D. T. libellus ille: cum ſumma obſeruātia: et tui nominis veneratiōe: cultuqȝ offerretur: donum: munuſqȝ: ſempiternum rerum tuarum: *et c.* — Gundlingum hæc bellica progymnasmata Berolini a. 1718. in 12º. oblongo repetisse refert *Dav. Clement Bibliotheque curieuse* tom. II. p. 313., ex quo loco [non I. p. 313.] Strobelus Gesch. des Elsass. III. p. 549. per errorem sibi sumpsit Gundlingum edidisse 'poetica scripta' Publii Vigilantii.

Plura ad Vigilantii vitam sive mortem potius pertinentia habet hic libellus sex foliorum quadratorum ineunte, ut videtur, mense Augusto a. 1512. Francofurti ad V. publicatus, cui sic inscriptum est: NENIA HERMANNI TREBELII | Notiani Poetæ Laureati: & LL. Pro|lytę in obitu pudiciſſ. feminę Do|rotheę de Clunis [*Eitelwolfi de Lapide uxoris*]. Cum ali-|quot Epitaphiis P. Vigi-|lantij. Poetę. | LECTORI | Si me legerit improbus: | Fiet peſſimus omnium: | Si vero pius et bonus: | Diſcedet melior. Vale. | HOMO HOMINI LVPVS. | Hęc pro amore defuncti Ioannes Hananius | non Gothicis ſed Romanis | litteris excuſſit. |

Ex tribus huius libelli posterioribus foliis hæc transcribimus:

Petreius Aperbacchus Erphurdi-|enſis Hermanno Trebelio Rhetori | & Poetę eximio Amico chariſſ. | S. P. D. [*fol.* 4^b.] VEllem mi Trebeli iucundiora eſſe q̄ ſunt quę ſcribam: vt inde nobis auſpicatius ſumaret [*sumeretur*] exordiū : nō dico amicitie . ſemper. n. tuus fui ſed mutuę ſcriptionis : ac epiſtolarum miſſitationis: nam cū multoties ad te dare literas inſtituiſſem . aliquando occaſio: aliquando tempus defuerunt . nunc autem cum adſit occaſio : q̄uis ea triſtiſſima : cum ſit & tabellarius fuit omnino ſcribendū. Vigilantius noſter : noſti quo ī literis profectu vir Italicas porticus adpetebat : Tranſlaturus ad nos grecanicas lecythus & Demoſthenis arculas : veluti olī M. Tull. ad ſuos traduxerat. Quod cōſiliū n̄ modo ſummis prīcipib. Ioachimo & Lubuſiano pontifici : ſed & ſummo philoſopho Mu-

tiano noſtro mirifice ꝑbabaī. Quinimo hō amicitię ſtudioſiſſ. ſalutatis Vuittenburgenſibus ſodalib. Spalatino: Phaccho cæteris. Erphurdenſib. quoq; amicis vale dicit: Ibi Herebordū: ibi Petreiū ſalutans. & id vt fuit offitioſiſſ. & tuo & alioꝝ bonoꝝ nomine. Hoc fuit extremum illud vale: hęc extrēa verba. Credo pręſagiens futuꝝ malum: ſuos circūire & manib. amplecti voluit. Penetrauerat in Sueuiam quinto ab Heidelbergo lapide: cū ecce tibi: tres caci circūſtat hoīem manubaliſta extorto telo cōſitiunt: nos amico: ordinē literariū quaſi decurione quodam priuantes. Verū hęc oīa ex hoc nuntio ſotio viæ: & ſpectatore periculi adcipies. Quare tibi & cęteris q ingenio valetis danda erit opa. iā fato abſumptū: fatis quatenus id licet ſubmouere. ne cum mortuus ſit Vigilantius intereat. Vale & reſcribe. Itē ſcripturus Eobano: Saluta illū verbis noſtris. Raptī v. Nonas Iulij. Anno. Milleſimoquingenteſimoduodecimo.

[*fol.* 5ª.] EPITAPHIVM P. VIGILANTII BACILlarii Poetę & Oratoris celeberr. per Trebelium | D. O. M.

Occubuit celeri traiectus arundine collum:
Ille meus Vates Rhetor & ille meus.
Ille meus perijt miſere Vigilantius inq̄:
Optimus Orator Compater atq; meus:
Occubuit: perijt. iacet exanguiſq; Poeta:
Doctus et externo conditur ecce ſolo.
At quia doctiloquum ruperunt ſpicula guttur:
Interijſſe virum turba prophana putat.
Nil ego tale puto: carnis nam carcere fracto:
Libera mens regnat: vincla nec vlla timet.
Hunc igitur vidit ſpirantem nemo Poetam:
Quod cerni poterat: debile corpus erat.
Hinc viuit ſemperq; manet Vigilantius: ille
Verus homo: ęterni viuida imago dei.
Aut hoc ſi nimiū eſt: ꝑſtabūt carmīa noſtra:
Mortuus vt uolitet: viuus per ora virum. Enni-|anum.

[*fol.* 6ª.] A. Philoſturgus dedicauit. | ANNO A NATALI SALVATORIS SV- PRA SESQVIMILLESIMVM. DVO|decimo: Imperāte diuo MAXIMO | AIMILIANO Cæſare Au|guſto. Mēſe IVLIO | fato admodum | acerbo. & | miſerando. P. VIGILANTIVS. poeta & | Orator. a latronibus. intra vrbem | WIMPINAM & arcē RA|VENSPVRGVN. [sic] ne|catus: occubuit: vir mi|ro ingenio: ſūmaq; | ītegritate. Pro | quo vt ores: | precamur | viator.

[*fol.* 6ᵇ. *med.*] THEODORICI MALCZANI.

Aſta viator: hęc P. Vigilantij monumenta. quē ſtudioſa iuuentus & Præſul Lubu. ob egregias animi dotes & linguę facundiā miro ſtudio dilexerunt: moritur maloꝝ inſidijs circumuentus q̄tū ex ipſo didicimus. Anno ętatis ſuæ. xxvij. non ſine omnium bonorum lachrymis. Anno Chriſti Milleſimoquingenteſimoduodecimo. | Menſe Iulio. Abi Viator.

---

[34] hoc Ravenspurgum non est Suevicum oppidum imperiale, sed castellum Gœlerorum prope *Sulzfeld* in palatinatu inferiori.

Pag. 354. *adde* Epistolam Henrici Stromeri Aurbachii ad Nicolaum Demudt, hanc:

Lipsiæ. **CLXVIIII.*** 1. Iun. 1520.

VIRO ERVDITIONE PARITER AC VITÆ SANCTIMONIA CLARO
DOMINO NICOLAO DEMVDT
COLLEGII CANONICORVM NOVI OPERIS APVD HALLIM PRÆPOSITO
ET ARCHIDIACONO
REVERENDISSIMI CARDINALIS MAGVNCIACI A CONSILIIS
HENRICVS STROMER AVRBACHIVS MEDICVS
S. P. D.

In nundinis Lipsensibus proximis, disertissime idemque sapientissime Præposite, pollicebar tibi literaria eruditorum hominum monumenta, si qua ad nos adportarentur, me missurum. Sed hactenus præter ea, quæ partim ipse coram emisti, partim a me missa acceperas, nulla sunt advecta. Habes autem doctorum eloquentissimi ac eloquentium doctissimi Erasmi, doctæ pietatis restauratoris, et Ulrichi Hutteni equitis acerrimi Germanicæ libertatis propugnatoris novas lucubrationes. Pariter et quæ ediderunt recens Bilibaldus Pirckemerus, Fabricius Capito, ac Philippus Melanchthon, præcellentis tum eruditionis, tum eloquentiæ viri. Verum ne hoc temporis articulo nihil ad te mittam, hunc sermonem meum accipe, nuper in Petri Mosellani florentissimæ huius Academiæ nostræ moderatoris laudem panegyrici vice a me habitum. Hunc nolim tibi persuadeas iccirco missum, quod credam ineptas meas nugas tua lectione docta fore dignas, sed ut iterum atque iterum mea erga te observantia non tibi tantum, sed palam omnibus innotescat; deinde ut qui me coram dicentem audiverunt, comperiant eadem me de absente quæ in præsentem dixi asseverare; postremo ut Petri Mosellani de literis pariter et literatis optime meriti virtutes vulgo fiant perspectiores, tametsi paucos omnino offendes mortales, quibus iuvenis huius et eruditio rara et probata morum integritas per omnia sit ignota. Profecto huic nihil magis in votis est, quam mortalibus omnibus quidem pro sua virili prodesse ac optimo cuique placere, præsertim tibi, viro ut doctissimo, ita et integerrimo, quem mirum in modum amat, laudat et observat, tum ob alias virtutes tuas multas, tum vero maxime ob sedulitatem, qua niteris docendo tuos reddere non solum humaniores doctioresque, sed et sanctiores: neque enim sat habes Collegii tui canonicos ex te quotidie aliquid audire, sed illis plenius erudiendis Christophorum Ianum, hominem Latine ac Græce admodum doctum præceptorem in parte adhibuisti, quippe qui arbitreris (nec te, mea quidem sententia, tua fallit opinio) verum Christi cultum magnis auctibus tum demum crescere, cum attentis præcationibus sacrarum literarum pericia, quæ petenda suggerat, adiungitur. Intelligis autem plane, theologiæ studiosis non utilem modo, sed et necessariam esse (quod et divus Augustinus testatur) linguarum

Erasmus. Huttenus. Birckamerus. F. Capito. Melāchthon. P. Mosellanus. Ianus.

CLXVIIII*. Henrici Stro=|meri Aurbachi Medici Ser=|mo panegyricus, Petro Mosellano, quo | die Lipsensis Academiæ Rector | proclamatus est, dictus. Cui | adiecta est oratio Petri | Mosellani, de Con-|cordia, p̄sertim | in scholis | publi-|cis | tuenda, qua Stromeri | gratulationi resp̄odit. | *Libellus 12 foliis in 4⁰. constat* (*signatis* A...C), *quorum primi ultimique paginæ alteræ vacuæ sunt.* (*s. l. et a.*) Aij *et* Aiij[a] *continent epistulam quam supra exhibemus.*

Linguarum cognitio.

cognitionem; nec te præterit quod quibusdam Gryllo stolidioribus vix Paulus ipse persuadere potest, linguarum donum inter sanctispiritus dona connumerari. Iam vero pulcherrimi huius instituti tui complures ecclesiastici ordinis proceres habes sectatores, qui nihil prius,, nihil antiquius ducant, quam ut sui diurna nocturnaque manu volvant evangelicos et apostolicos libros, ut qui non ignorent hac tam salutari lectione innotescere verum Christianismum, non tam in exterarum rerum specie,' quam arcana quadam vitæ innocentia sitam esse. Quid enim eorum quæ ad doctam pietatem augendam pertinere ar-

D. Martinus de Lochau abbas Cellensis. D. Pe. abbas Portensis. D. Udal Pfister Prepositus Lipsicus. Eber. Salilacius prepositus.

bitrentur, omittunt Reverendi ac deo amabiles patres D. Martinus a Lochau Cellensis, D. Petrus Portensis Abbates, et D. Udalricus Phister Lipsiæ apud divum Thomam præpositus; item Eberhardus Salilacius Præfectus Canonicorum apud sanctum Ioannem in Halberstat, theologiæ insignes omnes pariter et religiosorum vigilantissimi præsules? Quid ille numquam satis laudatus utriusque linguæ doctissimus Ioan-

Ioannes Langus vicarius August.

nes Langus Augustinianæ religionis per Saxoniam vicarius? An non omnem movet lapidem, ut cœnobiorum suorum fratres bonis literis recte instituat, ac sui similes reddat, hoc est, non minus doctrina quam vitæ sanctimonia claros? Porro ingratissimus mortalium essem, peccaremque et privatim et publice, si hoc loco præterirem excelsum illud ecclesiasticæ dignitatis decus eundemque maximum Germaniæ Heroem Reverendissimum pariter ac illu-

Reverendis. Alb. Cardinalis Moguntiacus.

strissimum D. Albertum Cardinalem Moguntiacum principem meum clementissimum, cuius unicum est studium, omnis cura, denique solicitudo summa, ut bonæ literæ cum bonis ac sanctis moribus per amplissimas dicionis suæ regiones ubique reflorescant: et in hoc non tantum alit et fovet multos, sed etiam aliquot procul dissitos et de facie ignotos, ex nominis tamen celebritate cognitos, liberalitate sua prosequitur, ac ut in studiis iuvandis pergant, animat. Eius Mecœnatis auspiciis deus optimus maximus seculum hoc nostrum viris in omni disciplinarum genere eruditissimis ornare voluit, ut spes sit fore posthac, ut superstitio decrescat, vera pietas augeatur, quandoquidem reflorescunt iam bona studia, et pessum it spurca, fœda dedecorosaque barbaries; tum impium illud rixandi studium in pacem et mutuæ concordiæ fœdus traducitur, vera fucatis, perpetua caducis, sacra prophanis, cœlestia terrenis, Christi et eius apostolorum ut saluberrima, ita et necessaria præcepta humanis tradiciunculis præferuntur. Sed quid ego instituti mei oblitus, longius quam volebam, hæc circumduco? Receptui canam, ne dedicatoria epistola morosior longiorque sit ipso sermone. Tu etiam atque etiam cura uti valeas, et Reverendissimo cardinali domino meo clementissimo plurimum me commendes. Lipsiæ, Calendis Iuniis. Anno .M.D.XX.

AD VOLVMEN II.

Pag. 46. *adde:*

CCXXXV*.

Der Lutheriſch Pfaffen narr.

DEr Thumherr vnd drey Prieſter fragen den narren, lieber biſtu ain narr vnd redſt ſolche wort, es dunckt aber vns nit das du ain narr ſeyeſt, vñ wir wolten gern wiſſen wer du wereſt, wañ du nenſt dich nit, vnd du haſt vns in dem dritten büechlin vil geſagt das vnns nit gefelt, vnd du ſolt ſagen wer die däſchen rawmer ſeyen, ob es die Thumherren weren oder die Prieſter, darmitt das man erkennen künd wer die ſelbigen weren, damitt das der Adel vñ die Reychſtet nit die vnrechten angriffen. Der narr antwurt jn, ich bin der welt narr, vnd vnderwürff mich allē Adel gayſtlich vnd weltlich, vnd ich bin ain gůter Luther vñ fürcht kain feüer, wie wol ich meinen namen nitt darff hin zůſetzen, ſo find ich doch nitt das ich mich ſelb oder meynen brůder verratten ſoll, wañ die garn ſeind geſtelt, vñ die hund lauffen gantz frey, vnd die jeger haben das horn ſchon geblaſen, vñ warten alle tag auff vns wañ wir in das garn ſchnurren, das ſy vns vmb das leben bringen, wañ wir haben nitt vil weld das wir vns verbergen kündē, ich hoff mein brůder der Luther, vnd der von Hutten die haben aynen garten geſeet der würt dick auff geen von baumen, darinn werden gepflantzt vil vnd mancherlay blůmen, vnd wol geziert mitt weyſſen gilgen, vnd die Engel, die werden den garten zeynē, vnd der Luther vnd alle Lutheriſchen brieder die werden darein fliehen, vnd werden mit jnen alle gayſtlichen vnd weltlichen fürſten, die dem Chriſtlichen glauben vñ der warhait wöllen helffen, vñ allen frūmen Thumherren die vom Adel geſtifft ſeind, vnd die in jre eltern geſtifft haben von des frides wegen, wiewol die ſelbig ſtifftung auch offt geſchwecht ſein worden, vō denen die gern vil lehē haben vñ vil pfriend die ſelbigen begeren nit in diſen garten, wañ Chriſtus ward darinnen, wann ſy fragten nicht darnach das alle tag zwen Thumherren ſturben in des Bapſts monat, vnd jm die ain | pfriend, würd vñ dem Bapſt die ander, ich wolt geren wiſſen wa Gott ſant Peter hett erlaubt das er der Fürſten land ſoll erben nach jrem todt, vnd was der Adel geſtifft hat, das hat der Bapſt wol halb geerbt, vnd des Bapſts monat hat als gefreſſen, vnd friſt alſo ſchier alle pfriend hinweck vnd wañ wir lang ſtifften vnd zůtragen, ſo kompt des Bapſts monat vnd friſſt es alles hinweck, wie kumpt es das der Adel kaynē Römiſchen Pfaffen erbt, vnd das der Römiſch ſtůl alle lehen erbt die der Adel ſtifftet, vnd er kan nit gnůgſam ſtifften. Darumb lob ich das Reich die haben das regimēt am lengſten behalten vnd hat darob gehaltē, es iſt jn auch ſaur worden, vnd ſeyn auch aintayl darob geſtorben. Da der Pfarrer von Nürenberg zů Kölen ſtarb, da lieff ſich der Nürnberger bott zů todt, damit das der Bapſt vnd ſein gewalt nit vorkemen, das jnen die pfarr zů ſant Sebolt wer worden, vñ hetten ſys ain mal erſchnappet, ſo wer ſy jn alle mal belyben, vnd das wolt Gott nit haben. Darumb halff er dem botten das er ee gen Nürnberg kam dañ des Bapſts bott, vnd wer jn die pfriend worden ſo hetten die Pfaffen nitt boßhait genůgſam kün-

---

CCXXXV*. Adicimus hæc ex libello inscripto **Der gůt frum Lu-|theriſch Pfaffen narr hayß ich | Der mich kaufft der leße mich.** | (Effigies sannionis in ambone, ante quem canis dormiens prostratus iacet, sedentis, dextera librum evolventis, sinistra baculum cum folliculo tenentis.) *4 foll. in 4*°. quorum ultima pagina vacua est. Finit in media fere pænultima pagina sic: ¶ Dem ſtrengen vnd Veſten Adel | zů lieb hat gemacht ain narr | der gůt Lutheriſch iſt. | *** | ** | * | *Exhibemus libelli secundam paginam cum tertiæ fere duabus tertiis.* Cf. Panzeri Annalen der ä. deutſch. Litt. II. p. 46. n. 1228. cum n. 1229.

den treyben, also regierens die von Nürnberg wie vnd sy wöllen mit den Priestern, ich glaub aber das der Bapst dem Reych nichts dester hölder sey, vnd wann ers in not würt bringen so würt ers yetzund thon von des Martin Luthers wegen. . . . .

Ad pag. 372. adde:

CCCXXXXII*.

FORTISSIMORVM EQVITVM

VLRICHI HVTTENI POETÆ LAVREATI

ET

FRANCISCI A SICKINGEN

GERMANIÆ IMO TOTIVS CHRISTIANISMI LIBERTATIS ASSERTORVM

PANEGYRICVS.

Sic mihi Pierides, sic sit mihi mitis Apollo,
Quorum ira nihil ingeniis contingere quibit
Pestiferum magis aut pluri constare labore,
Iudicio soloque rei gravitate placentis
Motus ut hæc, nec digna deis mortalia nec quæ
Pectora forte iuvant, tenui deducere versu
Cogar et obscuro virtutem tollere cantu,
Obtrectatorum obprobriis actisque nefandis
Invidiæ responsurus compellar eodem:
Convicia istius nam me repetita cohortis
Audacem faciunt animusque ex crimine crescit:
Clarorum fuerit virtus obscura virorum,
Ni macilenta trahas liventi corpora vultu:
Namque velut reddit meliorem dicta Catonem

Hunc panegyricum Nicolai Asclepii Barbati, Cassellani, qui deposito munere scholastico Hombergensi inter primos Marpurgensis academiæ professores dialecticen ethicenque docuit, a. 1556. iuris doctor factus, a. 1571. grandævus emeritis stipendiis e vita decessit (cf. Freheri Theatr. viror. erud. claror. p. 860. sq., e quo sua deprompsit Iœcher v. Barbatus), profecto non ideo repetimus, quod hos versiculos non pessime natos iudicemus (nam amori hominis neque Calliope neque Clio, utut invocabat, respondebant amore: cf. vol. I. n. CXXXIII.), sed ut de Hutteno æqualium virorum iudicia, quantum facere possimus, integre proferamus. Quod non suo loco, cum ante hos quattuor annos Hutteni operum alterum volumen operis transcribendum mitterem, positum est, in causa fuit, quod tum sperabam fore ut Asclepii libro, cui inscribitur "Sylva s. poemata, inter quæ votum pro reditu salvo Ioannis comitis Hennebergici ...", Francofurti a. 1612. publicato nanciscerer. quæ spes cum adhuc me fefellit, iamque finienda est hæc Hutteni operum editio, nihil superest nisi ut ex corruptissimo depravatissimoque Münchii exemplo (*Franz von Sickingen. Stuttg. u. Tüb.* 1828. 8⁰. vol. II. p. 330...340.) carmen, satis per se miserum, quantum possem, si non sanum, tamen tolerabile reddere coner.

---

[8] actusque *M.* [12] furet *M.* [14] Catonis censorii eloquentiam ita laudat, ut simplicius illud 'facit exercitatio magistrum' scripsisset.

Causa frequens, sic aucta nitet, sic gloria maior
Invidia, semper comitem quam gloria ducet
Nobilis, et famam Francisco clara perennem
Huttenoque dabit, quod et ordine natus equestri
Et quod uterque rei decus est mirabile equestris:
Usque adeo titulo virtutum nomina solo
Arrident, vana est ipsarum mentio rerum;
Doctius arma alter, Phœbum studiosius alter
Excolit, ambo utrumque, velut nil possit Apollo
Marte sine et docto Geticus sine Apolline Phœbus.
Stemma patrum vetus est longaque ab origine ductum,
Attamen exiguo terræ cognobile puncto:
Gloria parta sibi spaciis melioribus orbem
Complebit longum et cum tempore finiet ævum.
Atque utinam mihi præsentes ante omnia Musæ
Esse velint et se dignum mihi pangere carmen;
Et mihi dicendis quodsi natura recusat,
At mihi sufficiant concepti ex hoste furores
Turpiloquo et falsis congesta iniuria verbis.
En furit inque aurem Detractio tinnit utramque
Impia, nec patitur voces mens sana rebelles
Falsaque iudicium vincit mendacia certum,
Et convivarum numerus miscetur utrinque,
Clamor ubique vagus vix et sese abstinet armis.
Quis deus hoc poterit præsentior esse furore?
Discite in absentes quam sit dixisse modeste
Utile et absentum præsentes semper amicos.
Non ideo invulgo mordacia nomina mordax,
Sed tantum invitis conferre exempla virorum
Atque pari imbutas multorum robore mentes
Esse velim: votum hoc, votum hoc, mihi credite, solum est.
Talia nitentem meditando et tempora forte
Ducentem et primos rodentem mordicus ungues
Forte et, militiæ ut periisent hactenus artes
Cum reliquis, quæ famam homini æternumque tulissent
Et decus et pretium, studiis, sub nocte serena
Sollicitum exanimi somnus cessare quiete
Et mandare iubet venturæ instantia luci:
Tunc ausi puros memini me carpere divos
'Stulte, quid hoc tentas? alio hic opus esse Marone
'Non sentis? quæ te tam pronum audacia reddit?
' Usque adeo frustra felicia secula vates
'Tot dederint, ut te præter non audeat ullus
'Tam dignum ingenio facinus? donatur amori
'Si quicquam, cecinisse cave detentus amore:

---

24 phaebus?! *sic M. Versificator certe debebat scribere* Mavors. Geticus = Thracius: 'Mars Threcen occupat' (*Hom.* Od. VIII. 361. *Ovid.* art. am. II. 588.). Et Thracia ipsa Mavortia est, a Thrace, Martis filio, dicta. 34 finnit *M.* 49 fama *M.* 55 Non] Nam *M.* 62 cædoque *M.*

'Caussæ actor turpis caussam fœdabit honestam'.
Impositum ergo humeris nostris pro viribus impar
Nosco onus admonitus, cesso cedoque monenti:
Visa canam modo et auditos ex numine versus
Posteritas leget atque omnis mirabitur ætas.
Ecce, duodenis qua cœlum animalibus orbem
Circuit obliquum adversos et despicit ignes,
Ingens egreditur magnorum turba deorum
Heroumque cohors divis permixta superbis,
Qualis inaccessam iamdudum Carolus urbem
Augustus petiturus erit, tibi, Romule, regnum
Instauret veteri et reddatur Roma decori,
Auratus gemmisque nitens metuendus et armis,
Legibus et placido multum venerabilis ore;
Præcedet belli pacisque experta iuventus
Effera quæque viris vix tum moderabitur ætas
Præsentique senes maturi robore mentis,
Qui propriis potiora alienis quique periclis
Seligere et possunt, et persuadere periti,
Quo fidant partim, partim timeantque rebelles,
Consilium ut steterit congestis viribus æquum.
Divinum est quod qui metuunt, venerantur et ardent,
Insequitur variis completus gentibus ordo,
Innumeri patres et non numerabile vulgus.
Talis visa mihi est hominum et commixtio divum:
Inter victrices olearum mixtio laurus
Aeternis iucundum hederis addebat honorem.
Naribus ambrosia est tutius concepta theatri.
Arma feri Martis vatum prudentia maior
Temperat et vindex agmen minitatur utrinque,
Omnia castigat melius præsentia cœli,
Ipse Laertiades cæcum et Menelaus Homerum
Ducebant et ab hoc tantam accepisse fatentur,
Quanta potest homini cuiquam contingere, famam;
Laudati morum sæcli subit Ennius inter
Scipiadas felix laudatos. hic quoque vidi
Nostrorum regum vulgus rubuisse nec esse
Qui canerent se, ullos nec se fecisse poetas
Vel rebus paci gestis belloque canendis.
Pone subit pius Aeneas, lectissimus heros,
Illius et sancta veniens ab origine Cæsar,
Atque pari Latium dignantur honore poetam.
Hic ego complevi largo spectacula risu,
Vilia nempe magis Plauto exercere molenti
Vergilium: tenui gestabat stercora cribro

---

62 cædoque *M.* 69 Carolus M. Romam coronandus veniens. 70 Augustis *M.* 81 i. e. Eos qui quod met. v. et ardent. 82 Uni sequitur *M.* completur *M.* 91 laëtiades *M.* (i. e. Ulixes). Menalaus *M.* 99 latissimus *M.* 101 lacium *M.* (Vergilium). 104. sq. „Cum is [Vergilius] aliquando Ennium in manu haberet rogareturque

Quæ præcedenti furtim subtraxerat Ennjo.
Men' potuisse caput somno grave tollere in altum?
Olfecisse foret mihi talia summa voluptas;
Connixi mecum frustrato turba labore
Deficiunt, obtusa sopor quod tempora pressat.
Hic cithara insignis facilique Catullus iambo
Personat et Latias docet hunc servare Camenas;
Intentum quem etsi retinebat syllaba quævis
Aptantemque lyræ currentia verba sonare,
Dulcia mulcebat grato mihi somnia nutu;
Pindarus est socio visus mihi ludere Flacco
Græcaque Romano misceri carmina versu.
Delia consequitur Romanum æterna Tibullum,
Quem merita fortis lauru Messala coronat;
Hetruscis Mæcenatem de regibus ortum
Et qui regum oculos in se converterat omnes
Turba poetarum stipat, ducebat euntem
Lenis inexhausta nam Munificentia pera.
Cynthia amatorem petulans cui debet, eidem
Acceptumque refert: lateri nam proxima dextro
Ipsa sinus male præcinctos componit et ornat
Molle hedera caput inflexa lambitque capillos.
Hic lepidum casta vidi cum coniuge Cordum,
Pyxidas uxorem unguenti parvosque ferentem
Filiolos: potuit Musarum hæc una videri,
Ni medici officio, versus faciente marito,
Fungatur nec maternas in pignore curas
Deserat ac artes doceat callere paternas.
Longa mora est quidquid narrare ex ordine vidi,
Omnia nec memini, fallunt potiora videntem:
Namque puellares choreas Eobanus agebat
Hessus, honor patriæ, socio Nasone superbus,
Adversusque latus montis quod vidimus agri
Formosas illi pascebat mille capellas,
Quas præsens Siculo dixisses gramine lætas.
At mihi, dum pecus intueor, pars magna theatri
Præterit inque sequax oculos mihi dirigit agmen:
Respiciens etenim quemnam nova laurea vatem
Comeret et pulchram mulceret dextera barbam,
Engentinus erat, quondam humanissimus hospes,
Et Spiræ hospicii me olim dignate Philymne,
Discipulum ducis: sic restant signa magistri

---

quidnam faceret, respondit se aurum colligere de stercore Ennii". *Donat.* vit. Vergil. §. 71. [110] cythara *M.* catullus jambo *M.* [111] Latias] talias *M.* [112] Intentem *M.* [114] prato *M.* [122] Læṅis in exhausta *M.* pæra *M.* [123] Cythia *M.* [127] cordum. *M.* Euricius Cordus, poeta et medicus. [128] Pixidas *M.* [132] paterna. *M.* [141] sequar *M.* [142] quam nam *M.* [143] Comeret? pulchram *M.* [144] Engentimus *M.* Philippus Engelbrecht, de Engen. Cf. vol. I. p. 16. [145] Spiræ *feci ex* pire *M.* phylimne *M.*

Indolis in iuvene et iuvenis natura magistros
Testatur mores, eadem est in utroque voluntas.
Tum dormitantem Nesenus ridet et instat
'Siccine lente iaces?' cumque expergiscerer inde,
Persuadet docto me iterum indormire susurro
Occinuitque elegum surdas mihi carmen in aures,
Quo mea claudantur mellito lumina cantu:
Nunc calamos, nunc bombardas, nunc tela gerebat,
Nunc tremula ex humeris tendens hastilia latis
Affecit mero cœlestia castra lepore.
Brixius hic Græca modulatur carmina voce
Et nil Romano non comptum prodit ab ore,
Qui quamvis multos æquet superetque poetas,
Et cedat nulli, tamen infortunia vatum
Despicit atque domo residens sublimis in alta
Oblectat dulci cœlo et sidera plectro.
Omnia qui Musis coniunxit sacra profanis,
Buschius hic, legumque sciens canonumque peritus
Quos nescire velit (nam artes contemnere notas
Sani est iudicii), proavos comitatur equestres
Ambitione sine et summam in virtute reponit.
Ravisium facili videt ipsa Niveria amore
Ludere in ornatam pingui de rure puellam.
Helvetico binos videas et in agmine vates,
Laurea Cæsareo gestantes serta favore:
Nomine ab alterius felici gloria maius
Nomen habet nomenque dedit natumque recepit
Læta sinu, cuius mox est visura nepotes;
Qui meriti et sortis Vadianum nomine ducit
Participem, socio sese veneratur amore.
Ferrea tranquillos inter Bellona poetas
Ibat et armati sepserunt Pallada cœtus:
Hic loricatam Charites circumdare nudæ
Gaudebant Venerem, neque ob id Tritonia ridet:
Unicuique suum quamvis mireris honorem,
Turpe tamen ducas seiunctam incedere partem
Alterutram et proprio spectari velle decoro;
Usque adeo pulchrum est animam corpusque fovere,
Nec male contempto mentem torpere labore
Atque parum ingenuo ingenio demergere nisu.
Hinc Marcanorum vidi certamina fratrum,

---

[148] in] ni *M.* [149] Guil. Nesenus. cf. vol. I. p. 171. [154] tæla *2.* [157] Germanus Brixius *(Germain de Brie)*, canonicus Parisiensis, Græcorum poematum (et Anti Mori) auctor. † 1550. [161] inalta *M.* [164] Hermannus Buschius. [166] Sanum poetæ Asclepii huius iudicium laudent alii, non ego. [168] Ioannes Ravisius, cognom. Textor, Nivernensis, apud Parisios professor bonarum artium, varii generis poematum scriptor. † a. 1524. Cf. *Jœcher.* h. v. [169] mornatum *M.* [172] Henricus Loritus Glareanus a patrio oppido dictus. [175] fortis *M* Ioachimus Vadianus. [187] Marckanorum *M.* comitum de Marca.

Hinc agiles Robertiadum colludere mentes:
Egregium quini comitantur namque parentem
Germani, quorum nullus quin bella cieret
Præsentique animo Fabios æquaret et arte.
Nomen habet senior primum ingeniumque paternum:
Illé cicatrices et mento et fronte superbas
Ostentat, nec nunc recipit metuitve periclum.
Hunc non dissimili Guilelmus pectore tangit;
Doctus Ioannes sequiturque Antonius illum,
Qui fortunarum, qui dux rectorque mearum
Inter Apollineæ doctos doctissimus artis:
Hos, quamvis minimus, Cyriacus passibus æquis.
Cygnea medio quorum soror agmine voce
Carmina concinuit divis et Apolline digna,
Atque parum, nisi propicios mihi reddere divos,
Iudicium Paridis ne dirimeret illa, vererer.
Tristis at a tergo Nemesis comitatur euntes
Sylvosamque manu (dictu mirabile) forti
Ardennam abiectis portabat collibus atque
Collapsos domuum muros et ferrea claustra
Despectatque imis æquatas vallibus arces;
Magna tamen viva præstat solatia virtus
Quæ parit, at partos etiam sors perdit honores:
Illa sui saltem pretium est si cetera desint,
Huic si quid desit pœna est certissima merces.
Cætera quæ deinceps vidi pulcherrima, Musæ,
Dicite, vestrum opus est tanti meminisse triumphi
Et memorare viros, magno qui laudis amore
Aethereas tollunt neglecto corpore mentes:
Humana ingreditur specie quod nescio maius
Spectaclum, sive hoc novitas augustius esse
Fecerit aut res ipsa sua pro maiestate,
Hartmundus lateri vicinus Mercuriali
Auratam virgam Cronbergius anteferebat:
Illi mellifluens recto spirabat ab ore
Sermo atque erectam pro libertate gerebat
Insignis faciem, rectum latus, omnia recta,
Recta manus, leni pectus cognobile risu,
Crinibus et raro sparsis nigrantibus albo:
Nil non mireris, nil non venereris in illo,
Ipsius ut livor nil non fastidiat absens;
Sic oculos læto volvebat lumine rectos,
Tale animus, cor tale hominis, mens tale diserti,

---

[188] Robertiadum] *i. e.* Roberti de Marca, Arduennensis apri, progenies. cf. vol. I. p. 116. cum add. vol. II. p. 487. [189] nonque *M.* parentem] Wilhelmum III. a. 1475...1511. qui infra recensitos liberos ex altera uxore Sibylla, Alberti Achillis Brandenburgensis filia, habebat. [193] mente *M.* [195] Guilielmus *M.* [196] sequitur quem *M.* [199] Ciriacus *M.* [200] Cignea *M.* [206] Andennam *M.* [208] Despectitque *M.* [210] parta *M.* [218] augustus *M.* [220] *Hartmut von Cronberg.* [230] *sic M.*

Qualia ab erecto manabant pectore verba.
Tum subeunt quorum conventus nomine tantus
Præcipuam illustris semitam complebit Olympi:
Pythius hac, illa Geticus; nunc Delius illa
(Scire nefas hominem) parte, hac Mars ferreus ibat
Partitis vicibus, æquato utrinque et honore.
Inter utrunque duo quamvis mortalia vidi
Corpora, mortalem quod erat cœleste figuram
Paulatim extrudit res illustratque caducas.
Scilicet ingenium quo maius corpore regnat,
Corpus eo minui magis absumique necesse est:
Ergo via spatiabantur modo quatuor ampla,
Divinum extremum est, medium miscetur utraque,
Ante triumphalem connectunt brachia currum,
Innumeri ducunt livorem in terga labores,
Cingebant quorum sudantia tempora palmæ,
Aurea principibus mediis sceptra anteferebant,
Continua Hutteni vigilantia prodita cura,
Non hæc quæ nihili mortalia pectora rebus
Exercet, sed quæ mentes ad sidera tollit:
Francisco veniens summo Victoria cœlo
Gloria consequitur donatum æterna triumphum.
Ingens consequitur numerus, quos inter et umbram
Ipse mei video, cura puto pectoris alta
Et studio interdum naturæ vincula rumpi:
Absentem mens namque animam expurgata relinquit,
Mens, auriga animi, successu et temporis amni
Libera momento rerum causasque vicesque
Ex Iove perdiscit, rebus ventura peractis
Scrutaturque super: nihil est præsentius illo:
Iupiter hoc divinum, hominum non invidus ille,
Concessit, quo scire queas, quo vivere possis,
Quo corpus mortale sequax animamque potentem
Reddere, sublimi quæ sese misit Olympo,
Quam Musæ sepsere novem, quam implerit Iacchus,
Quam variis vacuam curis exhaurit Apollo
Inque deum veneres calido vexere furore.
Ordine at in longo tenuem dum respicis umbram,
Agnosti notumque tibi, Marcane, salutas:
Verum accessurum somnus me liquit amantem
Et tristis ferme defuncto vita revixit.
Nunc mihi dicentur recitati ex numine versus;
Illos Calliope, hos referebat in ordine Clio.

---

[234] Getic.] cf. v. 24. [239] exducas *M.* [244] , connexum brachia, *M.* [249] hac *M.* [258] Libra *M.* [261] illa *M.* [263] corpus motare sequar anim. *M.* [264] qua *M.* misit] *an* miscet? [265] Iachus *M.* [266] Quem *M.* [269] Markane *M.* [270] amentem *puto.* [272] recitali *M.* [273] Hutteni laudes tribuit Musæ quæ heroicis versibus, Francisci ei quæ historiæ præest.

CLIO.

Nullus honos fidei, nec erat reverentia legum,
Absque fide et sola periere libidine cives:
Restituis, Francisce, docens non usque licere
Quod libet, utendum digitis et legibus esse.

CALLIOPE.

Legis abusus erat res emendanda, sed ipsi
Pontificum canones nil religionis habebant,
Et malus usus erat, ne non bonus esset abusus:
Hic labor Hutteno, canones arcere nefandos.

CLIO.

Arma meus colit hic, dicendo vincit Erasmus,
Utramque insignis Huttenus consequitur rem:
Ipsa minas canonum pietas, non arma Lutheri
Infregit talisque animus studiosior ausus.

CALLIOPE.

Nil valuit pietas, cedebat viribus illa
Et decuit vires adversum viribus uti:
Hic lingua, hic manibusque bonorum fœdere iuncto
Et libertati pietatem adiunxit et arma.

CLIO.

Fœdera cessarant, immersit spongia votis,
Muneribusque magis valuit qui summa et opum vi
Cerea corrupto pro voto iura redemit:
Promissis docuit Franciscus stare superbis.

CALLIOPE.

Errabant ficta decepti religione,
Nec quibant moniti verbis resipiscere cives:
Sed postquam Hutteni calamo gladioque peribant
Pontificum nugæ, qui iam periere reperti.

CLIO.

Plectuntur miseri, pelluntur finibus ægri,
Exilio tristes, rebus multantur egeni:
Plectuntur sontes Francisco autore reditque
Exul et amissis fruitur melioribus hospes.

CALLIOPE.

Sæva papistarum vindex tormenta coherces
Carnificum et profugos servas, Huttene, fideles,
Dumque alios tuto conaris sistere portu,
Tute ipsum Scylla mergis mediaque Charybdi.

CLIO.

Hunc aliosque simul sævo Franciscus ab æstu
Avexit mediusque viam est molitus in hostem:
Tantus amor veri, tanta est reverentia Christi,
Pro cuius toties iam libertate rebellat.

---

[277] ligitis *M.* [286] cædebat *M.* [291] voluit *M.* [292] Cærea *M.* [297] reperti] *i. e. salvati.* [300] fontes *M.* [305] Charibdi. *M.*

CALLIOPE.

At meus in tantas animavit pectora laudes
Illius et docili iussit ratione teneri,
Quod male doctorum, quod regum vulgus abhorret,
Tandem amplectetur deceptus et hactenus orbis.

CLIO.

Qui sese medios pro vero misit in hostes,
Ipse pedem mediis referet quoque ab hostibus, atque
Qui subduxerunt sese, mox cædere terga
Illorum incipiet, petit hunc victoria finem.

CALLIOPE.

Paucula magnorum capitum se opponere vero
Commoditate rei propriæ, tum viribus ausi
Fidere communemque hominum finxere salutem:
Compostam Huttenus reserabit fraude salutem.

CLIO.

Ast ego læta sinu virtutem denique lassam
Francisci excipiam, pulcherrima præmia fessæ
Largiar atque iterum in maiora pericula mittam.
Aeternum est virtutis opus, pulcherrima merces
Ipsa sibi, ignavam semperque exosa quietem
Gaudet in angustis sese extendisse periclis.

CALLIOPE.

Nunc Decios iuvenem reverentem fovimus ipsæ,
Non satis in solis Brutum et qui vendicet armis
Vim querere illatam, monitis cum cedere nobis
Arma querine potest victus ratione docentis?
Illa quæ poterit dici clementia maior
Præmonuisse mali? excusat clementia vires.

CLIO.

Exequimur tenues, soror, a gravioribus orsus
Nos telis, tamen unum opus est, unum ex Iove solo,
Qui tibi sublimes commisit versibus auras,
Heroum inspirare animis mirandaque facta.

CALLIOPE.

Vile igiturne putas tenui nos pectine magnos
Contexisse animos? tu quantum surgere cunque
Posse putas, si facta tui contradere alumni
Deficies, si forte velis, et lassa quiesces?

CLIO.

Linguarum Reuchlinus honor, facundus Erasmus
Thespiadum, magno debemus sacra Luthero:
At res Francisci ingenio instauratur equestris,
Utque illi in multis, sic hic perfectus in uno.

---

[314] sese] se *M.* [322 sqq.] Cf. vol. I. p. 449. §§. 10. 11. [330] quærere *M.* cædere *M.* [331] quæri ne *M.* [313] Thespiadum] Musarum.

CALLIOPE.

Quicquid at omnigenæ sese congesserit artis
In magni tenero iamdudum corpore Erasmi,
Finditur in varios Hutteni nobilis usus,
Militia duros etiam exercente labores.

CLIO.

Fœdera principibus plebi iurata tuendæ
Et confecta simul, Francisce, et fracta notabas:
Quæ dum speratur prætexto tuta sub illo,
Incidit in prædam crudeli incauta latroni:
Ergo manu forti, detecta fraude, suorum
Dum purgare vias et crevit tollere fures,
Ostendens quid nobilitati debeat et quid
Officio invisos in sese transtulit hostes;
Sed cui vera placet sublata fraude voluntas,
Ingenium ratione iuvabit, robore corpus.

CALLIOPE.

Corporis exiguum pretium est, paciendo petuntur
Sydera, verum animæ pretium non æstimet ullus:
Ergo hoc quo maius nihil est et amica tyrannis
Pontificum et fraus cæca rapit mergitque profundo,
Non tulit Huttenus, iustis sed vindicat armis.
Sed quas insequitur, quantas incurrere fraudes
Abstinet? en gladio petitur petiturque veneno
Et petitur pretio; quid non tentatur in illum?
Ne tamen invito nullus perdatur Olympo,
Innumeros capitis voluit numeraro capillos.

CLIO.

Interiit pietas, periere oracula vatum,
Emicuere sacræ voces revocante Luthero:
Militia interiit, hanc instauratque foretque.
Efferet et summo fortis Franciscus Olympo.

CALLIOPE.

Tota deo puri vis est sacrata Lutheri,
Totus in hoc hæret studio qui cetera sprevit,
Hutteni ingenium veneratur tota poesis,
Ut dubites, Martine, fore ne sit aptior idem.

CLIO.

Mille hostes animum nondum fregere potentem,
Mille etiam insidiæ nondum cepere sagacem,
Crimina mille virum nondum vicere disertum,
Felicem in cunctis non vicit dira libido.

---

353 prætexta *M.* 361 værum *M.* i. e. anima inæstimabilis est. 365 insequitur qu incurrere *sic M.* 366 Abstinet! *M.* Cf. e. gr. vol. I. p. 368. 372. 368. sq. cf. evang. sec. Matth. X. 29. sq. 371 sacre *M.* 374 i. e. *des lauteren Luther.* 377 dubites Martine forene sit *M.* 379 capere *M.*

CALLIOPE.

Cura, labor, languor, præsentia mille periclu,
Insidiæ, pretium nocituro, pocula, mensæ
Etsi in diversas rapuerunt nobile partes
Ingenium, solito durat mens firma labore.

CLIO.

Zoilus æterno demens invidit Homero,
Mævius et Bavius summo invidere Maroni,
Cæruleus magno Leus en pallescit Erasmo,
Militiæ rebus sese super æthera tollet
Franciscus, sive invideat seu rideat orbis.

CALLIOPE.

Tota papistarum tempestas exoriatur
Atque Gomorreæ tota signorantia Romæ:
Per Stygias iuramus aquas, frustrabitur omnis
Vindice et Hutteni dextra cadet, inde salubre
Christi evangelium toto celebrabitur orbe.

Quæ restant memori potiora recondita mente,
Quamvis officiosa nequit comprendere lingua,
Quin mentem ipse rei tantæ vis esse capacem
Crediderim, ne posse rear comprendere verbis:
At vos felices, quorum commissa saluti
Præclara ingenia, hæc vestra nam ope tuta manere
Fidimus, interitu vestro ruitura timemus:
Sed mihi causa metum tollit, victoria causam
Commendat, spes victuræ pulcherrima dextræ
Ex pietate venit, pro qua certamina divi
In terram reduces tentabunt viribus æquis.

---

386 Zolius ætherno *M.* cf. supra p. 86. ad v. 45. 387 cf. *Verg.* ecl. 3,90. c. *Servio.* 388 Cæruleus] Britannus Eduardus Leus. cf. vol. I. p. 346. et Indic. bibl. Hutt. n. 52. 391 *Ital. 'signoranza'.* 406 equis. *M.*

Pag. 387. *ad versum 3. adnotationis post v.* visum est *adde. Illud quod Burckhardo primum visum est, sic inscriptum est:* Ein Tragedia oder Spill: gehal|ten in dem küniglichen | Sal zu Pariß. | (*Rudis scænæ imago e ligno expressa, diversa ab ea quæ est in* Eyn Comedia *et c.*) *Constat libellus 4 foliis in* 4^0., *paginæ altera et postrema vacuæ relictæ sunt. Pag.* 3. *incipit:* Dises Spil oder Tragedy | ist in dem Künigklichen Sale zu Pariß nach | vermelter gestalt gehalten worden. | JN gedachtem Sal saß auff eyner hohen büny oder | stůl der Bapst u. s. w. *Pag.* 7. *sic exit* gelechter bewegt worden. | M.D.XXiiij. *Parvas Reuchlini, Erasmi, Hutteni aliasque figuras, quales in altero exemplo ad margines sunt, hoc exemplar omisit.*
